
PAX
EX LIBRIS
MONTSERRAT

ENCHIRIDION
DOGMATUM ET MORUM

TUTISSIMO AC UNIFORMI SCHOLARUM OMNIUMQUE ECCLESIASTICORUM USUI ACCOMODATUM

EX SUMMA THEOLOGIAE

D. THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

AD VERBUM DEPROMPTUM

NOTISQUE AUCTUM

AC

PIO VII. P. M.

DICATUM

A D. PLACIDO ZURLA

MONACHO BENEDICTINO CAMALDULENSI
AD S. MICHAELIS DE MURIANO VENET. S. TH. L.

TOMUS PRIMUS

VERONAE
Typis Vicentini et Franchini
MDCCCLXI.

BEATISSIME PATER

Summo Ecclesiae Antistiti, intima dignitatis praerogativa omnium Christianorum Patri, ac Doctori, singulari autem D. O. M. beneficio per id temporis dato, ut felicissimo omine ipsomet Pontificatum solemniter ineunte, *ceu* sol refulserit (*) *pacis ac prosperitatis laetissima spes, id operis nativo jure deberi sum ratus, quod et purgatissimam dogmatum morumque tesseram exhibeat, ac universos Christi Fideles velut ad commune magisterii centrum revocando, ipsasque idcirco etsi liberas scholasticarum opinionum discrepantias semovendo, nedum*

(*) *Ex numismate excuso an.* 1801.

colligandis theologorum animis in unitatem spiritus in vinculo pacis, sed et tutandae, ac provehendae externae tranquillitati, valeat inservire. En, Beatissime Pater, quae me ratio impulerit ad opus hujuscemodi ex D. Thoma eliciendum, tuoque Nomini, Majestatique dicandum. Ex D., inquam, Thoma: non enim aptior, simulque utilior, ac acceptior addiscendi norma licet accire, quam e summo illo Praeceptore, qui tum omnium theologorum judicio, tum Conciliorum, ac ipsiusmet Apostolicae Tuae Sedis oraculo ceu Angelus scholae est habitus ingentibusque praeconiis insignitus. Hinc mihi quam maxime sperandum eo ipso Te hos meos qualescumque conatus, humilimamque oblationem haud dedignaturum, quod eam apud omnes studeam evulgare doctrinam, quam Praedecessores tui in difficilioribus componendis, dirimendisque controversiis tantopere suspexere, ac venerati sunt. Terret nihilominus vel ipsa praesentis voluminis exiguitas, et impar tanto molimini vis; at simul exiguitas eadem animum quodammodo mihi adauget, utpote quae magis scholarum periodum, et germanam, nitidamque veritatum theologicarum omnibus proficuam explanationem deceat, quin cumulatissima harumce disciplinarum tractatione, ac minus utilium vel profundiorum ambage ac pondere disquisitionum, studiosa praesertim juventus opprimatur, et ignoret fortasse utilia, ut superflua discat. Hoc porro consilium a Te minime improbatum iri confido, quippe qui a recte instituta sacrorum ratione studiorum permagnum Ecclesiasti-

cae rei universae, cui summo omnium plausu, ac ex merito praees fulcimentum, et decus accessurum fore optime nosti. Quod vero trepidatione quavis depulsa, me suavissime recreat, ac in optatissimi tui favoris fiduciam erigit, est eximia ea humanitas atque clementia, qua omnium animos in Tui admirationem, et amorem pertrahis. Jamque vix ore prolato tali tuo praestantissimo ac singulari prorsus ornamento, hanc tibi devinctissimam Venetiarum urbem, voces, gaudium, gestientis obsequentisque cordis sensus mecum congeminare subaudio, cujus anteactis priscae celsitudinis fastis illud novum beneficentissimo coelesti munere accessit, ut gubernandae Petri navis, clavo Te admoveri in suo sinu conspexerit, ac summam animi tui facilitatem, comitatemque fuerit admirata, adeo ut inexplebili quodam venerationis, ac effusissimae in Te voluntatis ardore percita, et inflammata, velut sedibus convulsa suis, aemula concertatione Te suum delicium, et columen inspicere, comitari, obsequi unice inhiarit. Quid vero, ut nostra recenseam, ab eximia tua benignitate gratius, simulque honorificentius huic coenobio accidere poterat, quam Te, inopinato, primoque post inaugurationem gressu advenientem, excepisse, eo ipso auspicatissimo die, auro cedroque signando, quo Te ex ordine S. P. N. Benedicti ad Pontificatus fastigium assumptum nostra ejusdem ordinis congregatio Camaldulensis, solemni pompa, venit, et gaudiis est prosecuta? Quae cum ipsemet inspexerim, ac alte insideant animo, in jucundissimam spem adducor te

patronum indulgentissimum et mihi humillimo pro tua clementia extiturum. Excipe igitur, Beatissime Pater, hoc mole quidem tenue, at pura refertum doctrina, juvandis, componendisque Catholicorum absque partium studio theologicis disciplinis adornatum munusculum, simulque specimen, ac pignus ex eo habeas castae, probatissimaeque theologicae doctrinae, cui congregatio nostra avito quodam, et inconcusso, in Apostolicam tuam Sedem vinculo obsequentissime devota, incumbit; meque tantae dignationis munere auctum, et studiosissimo corde fausta quaeque Tibi gestisque tuis adprecantem, ad pedis osculum clementer admitte

SANCTITATIS TUAE

Ex Coenobio S. Michaelis de Muriano Venetiarum
Kal. Sept. MDCCCII.

Humill. Addict. Obseq. Famulus, et Filius
D. Placidus Zurla.

PRAEFATIO

Quid consilii caeperim, quidque praestare hoc meo qualicumque labore studuerim, statim accipito. In tanta temporum acerbitate, qua non humana solum, sed et divina infando ausu susque deque verti ab irrequieta planeque phrenetica novitatum libidine heu! misere conspeximus, hoc recreandis bonorum omnium animis, atque in suavissimam spem erigendis quammaxime profuturum nemo ambiguerit, ut qui clericali militiae adscripti inveniuntur, quippe qui ceu fortes in Israel a Domino speciatim sunt constituti, privatis partium studiis aliquando posthabitis, communique addiscendi norma informati, velut unico sub duce in agmen conveniant, et qui paratiores ad sancta praelianda praelia *existunt, directe* in tot multiformes hostes ir*ruant*, eosque prosternant (prout non paucos providentissimo D. O. M. beneficio hac ipsa aetate excelluisse laetamur) reliqui vero omnes eodem solidioris doctrinae zelo acti, ac unius *labii*, uniusque cordis effecti, haud minori utilitate pretioso fidei deposito a quavis aggressione servando custodiendoque sedulas agant excubias. At quis iste praestantissimus dux, cui nedum tyrones sed et ceteri omnes ad praefata

munia strenue obeunda libenter signa deferant sua, justeque praeconcepto omnimodae adhaesionis obsequio, se instituendos, dirigendosque committant? An aliquem ex iis dixeris, qui hactenus tradendae Theologiae facem editis elementis, aut institutionibus, praebuerunt? At quamvis permulti in hac palaestra optime meriti occurrant, vix aliquem repereris qui aut domesticas scholarum, caeteroquin catholicarum, opiniones non redoleat, insimuleturve, et idcirco ab aliorum systematum fautoribus non rejiciatur, aut negligatur; vel si quis etiam nullius addictus jurare in verba magistri dialectica utatur methodo, aeque ac reliqui haud tantam obtinet auctoritatem, ut ne praeoccupatae dicam Academiae, sed ne liberiores quidem, uni potius quam alteri indivulse inhaerendum existiment. Hinc vel in unius urbis Lycaeis varii ad edocendum auctores adhibentur, et non raro melioris frugis Theologi ex hac ipsa elementarium operum varietate, ne dicam redundantia, magis magisque in deligendo aptiori ancipites redduntur, conqueruntur que, et generalem aliquam scholarum normam, aut centrum privatis ac plerumque adiaphoris et inutilibus dissidiis expers, solumque veritatibus fidei et morum germane exponendis destinatum, effusis votis exoptant. Quibus ut fiat satis haud alia incedendum via videtur, quam ad sublimioris subsellii Magistros, videlicet Ecclesiae Patres confugiendo, perennes prorsus ac ineclutabiles fidei nostrae assertores, et Ecclesiasticae traditionis testes lucupletissimos.

Horumce utili lectione allectus, jam ab an. MDCCI. Ven. Joseph Maria Thomasius, Clericus Regularis, dein Cardinalis creatus, novam tradendae Theologiae normam e Patrum opusculis proposuit in egregio suo *Indiculo institutionum theologicarum veterum Patrum* ad Cl. Mabillonium misso, ut per eum scilicet, et consodales doctissimos, Patrumque amantissimos id operis perficeretur; at Mabillonio ejusque sociis tunc temporis Annalibus Benedictinis, aliisque operibus concinnandis distractis, paucos post annos, ad normam praefati indiculi *Institutiones Theologicae antiquorum Patrum* typis de Propaganda fide prodierunt, uberius dein opera et recensione P. Vezzosi, itidem Romae; sed cumulatissime nuperis hisce annis Florentiae Auctore Angelo Cigheri: *Veterum Patrum theologia universa*, quo in opere tum tractatuum copia ac delectu, tuum praefationum notarumque praestantia conspicuo, diu desideratam Patrum Bibliothecam Thologiae candidatis exhibuit, sicut hoc vario tempore non defuerunt qui peculiares aliquas Theogiae partes collectis Patrum operibus praestitere, cujusmodi nuper Zabeus de *Religione.*

At quamvis ceu inaestimabilis pretii margaritae talium virorum labores censendi sint, uberrime siquidem ex Patrum studio rei catholicae incremento prospectum iri, quis ibit inficias? nihilo secius haud consueto scholarum curriculo eos consuluisse fatendum est, sed privatae potius, fusiorique auditorum, praeceptorumque lectioni. Haec enim prolixior studendi via est,

et sine continuo scholasticarum nexu propositionum; jamque vel ipsemet Cigheri in sua praefatione id innuit, dum ad maximam Ecclesiae felicitatem efflagitat, ut Episcopi, aliique Praelati in scholarum usu = proponant theologicum aliquem, sed perbrevem auctoris jam probati cursum, vel alium a catholico viro conficiendum, qui omissis tot opinionum ambagibus, quae faciunt angustias; solisque constans theologo dignis et necessariis quaestionibus ad totam exhauriendam catholicae theologiae materiam, pro singularum probatione habeat praecipua divinae Scripturae loca, quibus addatur quoad fieri potest explicatio et interpretatio facta per Patres: quem aut alterum cursum legant in scholis eruditi Lectores: et ad quaestiones singulas quae quotidie ad examen vocantur, curent jungi respondentem illius Patris, qui in hoc opere positus est, tractatum aut librum, quem legentes et secundum regulas interpretantes, scrutantes, analizantes, eruant sensa, sententias percipiant, et sequantur doctrinam. Ita a juventute sua Clerici assueti Patrum doctrinis habebunt cuncta recta et probata, discernent pretiosa a vilibus; quae vera sunt judicabunt, sciantque sanam sustinere doctrinam. =

Quidni igitur dicendum si et hujusmodi elementaris theologica institutio ex alicujus praestantissimi Patris et Doctoris Ecclesiae scriptis promatur, immo et talis Patris atque Doctoris, qui universali elogio ceu veterum omnium Patrum interpres fidissimus habeatur? Adest, et felicissimo Ecclesiae bono adest D. Thomas

Aquinas, quem haud incunctanter divinitus inspiratum arbitrabere si vel solam inimitabilem ac nitidissimam rerum sublimiorum expositionem perpenderis, adeo ut ab Incarnata Sapientia, a qua potissimum se didicisse, quam a librorum studio testatur, audire meruerit: *Bene de me scripsisti Thoma;* unde non mirum si et gloriosissimus *Angelici Doctoris* titulus communi plausu et obsequio ei accesserit.

Neque hic immorandum esse existimarim, ut ejusdem operum vindicias ad aequam critices, et hermeneutices lancem, prout accuratiores Patrum editores, Maurini praesertim, et nuper fratres Ballerini in D. Leonem, et Arevalus in D. Isidorum ingenti eruditionis ac sagacitatis vi agere consueverunt, expendere contendam. Hance provinciam prae aliis PP. Quietif, Echard, Natalis ab Alexandro, Bernardus de Rubeis, ex insigni Praedicatorum ordine, summo omnium plausu cumulatissime obiere, nec actum iterare praestat. Non ergo Auctoris, ejusque doctrinae ineclutabilem auctoritatem contra censuras in quaedam ejus loca temere, et injuste ab heterodoxis, et pseudo-criticis impactas, nec signanter theologicae ejus Summae, de qua agimus, authenticitatem contra Joannem Launojum, Petrum de Alva et Astorga, nec non immunitatem a plagio contra Lucam Wadingum, et Joannem de la Haye, ac intrinsecam methodi, rerumque delectus praestantiam, adstruere mens est; sicut neque per alia Apologetica, historica, chronologica vagari, quae omnia in editione Summae typis Simonis Occhi an. MDCCLV.

a P. de Rubeis enodata reperies; sed praesertim in ejusdem auctoris triginta *Dissertationibus criticis, et apologeticis de gestis, ac scriptis, et doctrina D. Thomae Aquinatis* apud Pasqualem itidem Venetiis impressis an. MDCCL. Sat erit indicare Innocentium V. S. Pont. in sermone *Ecce plusquam Salomon hic*, de D. Thomae Doctrina asseruisse: *Qui eum tenuit numquam inventus est a veritatis tramite deviasse, et qui eum impugnavit, semper de veritate suspectus fuit*, Joannem XXII. in Bulla canonizationis *Redemptionem: Non absque speciali Dei infusione perfecit opera;* ac idipsum Clementem VI, Urbanum V, S. Pium V, Sixtum V, Clementem VIII. Paulum V. Alexandrum VII. et alios appositis Bullis, Brevibus, ac Decretis gloriosissime declarasse, et generatim S. Romanam Sedem hujusce Doctoris scripta in gravioribus fidei negotiis, ac controversiis expendendis dirimendisque consuluisse atque suis oraculis confirmasse. Praeter quam quod enim doctrinae mira soliditas, et enucleatio id expostulat, hoc insuper singulare et prope divinum ei inest, quod S. Pius V. in Bulla *Mirabilis Deus* eloquitur: *Omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi, et veritate doctrinae, ex eo tempore, quo coelestibus Civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses, confusae ac convictae dissiparentur, quod et antea saepe, et liquido nuper in Sacris Tridentini Concilii Decretis apparuit... cujus meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur.*

Nec solum Tridentina, sed et aliae oecumenicae Synodi, Lugdunensis, Viennensis, Florentina, Lateranensis, praeter reliquas omnes, post ejus excessum, qui accidit an. MCCLXXIV. una cum Universitatibus celebrioribus, Parisina speciatim, Salmanticensi, et scholis fere omnibus ceu tot praecones, ac testes luculentissimi tanti doctoris dignitatem, atque vere Angelicam praestantiam extollunt. Quae omnia apud praemissos auctores, nec non P. Joannem a D. Thoma, et P. Seraphinum Piccinardum, aliosque uberrime exposita et enucleata, de theologica presertim Summa verificari res in aprico est, siquidem ultimis vitae suae annis eam ceu absolutissimam, ac methodicam rerum theologicarum a se tot in operibus antea expositarum collectionem confecit, quam neque ad finem perduxit, sed interruptam ad quaestionem 90. tertiae partis reliquit, et cui ultimam manum probabilius imposuit Henricus de Gorcomio, adjecto Supplemento tertiae partis, ex Commentario D. Thomae in quartum librum Sententiarum delibato; eaque Summa prae aliis ejus operibus *ab omnibus* celebratur, consulitur, atque tenetur, *et in Graecam* et Armenicam, aliasque linguas fuit versa, et solerter a pluribus contracta, ut mox *dicemus*; immo tanti a Tridentino Concilio *facta fuit*, ut in aulae medio una cum S. Scri*ptura* et Pontificum Decretis eamdem supra mensam fuerit collocata, ut cumulatius exinde pateat non aliam theologo digniorem, utilioremque normam posse proponi, cui ceu lapidi lydio immobiliter inhaereat.

Hujusmodi ergo incomparabile ac prope divinum Theologicae Summae opus, ceu commune scholarum theologicarum centrum auspicatissimum denuo proponere satius duxi, jamque adhuc extant scholae praesertim in florentissimo PP. Praedicatorum ordine, quae ei e vestigio inhaerere gloriantur: et prae aliis lubet in medium proferre B. Gregorium Card. Barbadicum qui in suis sapientissimis percelebris Seminarii Patavini institutionibus solemniter indicit ut = Scholasticae Theologiae professor sequatur omnino doctrinam S. Thomae, quam discipulis non scribendo, sed ex ejusdem doctoris Summa typis impressa explicando tradet, cumque propterea non solum proprium, sed et unicum doctorem habebit, et ponet in eo operam, ut auditores erga illum quam optime afficiantur, satisque bonos theologos se sciat effecturum, si sola doctrina S. Thomae suos auditores erudiat = Nuperrime autem Em. Card. Gerdil, quem fatis functum prid. id. Aug. hujus anni deflemus, in suo *Saggio d'istruzione teologica* loquens de norma a professore sectanda inquit, = il corpo più perfetto in questo genere si è per commune giudizio de' Saggi la Somma di S. Tommaso, sì per la Dottrina, come per l'aggiustatezza dell' ordine = ipsique institutionum theologicarum veterum Patrum auctores supra relati, juxta D. Thomae Summam eas disponendas decernunt, atque adeo haec velut earum nexus vel fax splendidissima erit, et iis juncta collectionem absolutissimam ecclesiasticae Traditionis poterit exhibere. Verum enimvero quia

de praebendo specialim opportuno tyronibus aetatis nostrae pabulo agitur, cui ipsiusmet Summae prolixitas, et inusitata quarumdam metaphysicarum ambago quaestionum, quas pro suorum indole temporum peracute inseruerat Angelicus, parum congruere dignoscitur, non pauca idcirco ex ea omittere est, ut subdit Gerdil = pure potrà il professore tralasciare varie questioni nate unicamente dal modo di filosofare di que' tempi = immo potius ea tantum excerpere, quae ad Enchiridion quoddam aut Manuale veritatum dogmatico-moralium iisdem D. Thomae verbis conficiendum sufficere videantur, quod nedum in consueto scholarum stadio, sed et extra ipsum ab omnibus inoffenso pede, et uniformi norma optatissima possit percurri. Hinc et factum confido, eos qui antea praedictis de causis a Summae lectione arcebantur, et mutuo dumtaxat repetito plagio, absque directa operis lectione, nonnullos Angelici Summae textus ad roborandas fidei morumque propositiones adhibebant, hunc novum delectum aequi bonique facturos. Novum dixi delectum, ut simul fatear et alios extare, quos in antecessum consului, ne crambem recoquere videar. Hoc porro discriminis reperi, quod caeteri vel quaestionum omnium articulorumque synopsim exhibeant, cujusmodi e. g. sunt ii a P. Seraphino a Porrecta, a Carbone, ab Alagona elucubrati, nec non ille in usum lycaei de propaganda fide, articulorum omnium corpus seu positiva referens argumenta, resectis objectionibus; vel non eadem D. Thomae verba in iis inveniantur, ut in primis tribus;

vel generatim nullus ad hodiernae theologicae scholae normam sit apposite elaboratus, prout in votis mihi fuit, tum res apprime notas brevi afferendo, abstrusiores vero easque praecipue quae erroribus aetatis nostrae conterendis inserviunt, fusius prosequendo, semper tamen ipsiusmet Summae textu religiose servato ne quae in assequendo exponendoque ejus sensu, suspicio possit oriri, simulqne inimitabilis expressionum nitidissima vis intacta servaretur, et quidem juxta editionem in 7. vol. in quarto typis Simeonis Occhi Venetiis cusam anno MDCCLIX. cui accedunt variae dissert. exquisitae P. de Rubeis; et si aliquando nectendis selectis periodis verbum aliquod assuere oporteat, diligenter diverso charactere, vulgo *corsivo* distinctum patebit. Sicut autem non a textu simplicissimo aeque ac nitidissimo, ita nec a methodo geometrica prorsus, et admiranda recedendum putavi; adeoque et hoc Enchiridion tribus constabit partibus, unaquaeque autem relativis Angelici quaestionibus conflata, quae suis cum articulis propriis indicabuntur locis, ut quae fusius in Summa ipsa inspicere malueris, prompte reperire queas.

Quoniam vero errores ac definitiones permultae, et insuper privatae in Catholicis lyceis opiniones nonnullae post D. Thomam emersere, quaedam idcirco eruditionis ergo adsuere visum est; et ne oculus identidem disrupta continua Angelici textus lectione perlustrandis in paginarum calce correspondentibus notis distraheretur, angereturque, consultius duxi has in selecta

capita et paragraphos in cujusque Tomi fine collectas simulque ex ordine dispositas transferre. Eo porro animum appuli, ut quae Theologum hodierna luce scire deceat, inibi exponantur, vel adumbrentur saltem: minus enim congruere sum ratus ut opus contractae scholarum periodo, ac praeciso et compendioso veritatum specimini omnibus opportuno destinatum in molem excresceret. Caeterum exsaturandae auditorum, Praeceptorumque fusioris studii aviditati sat a me factum iri existimavi dum promptuarium apposite reserare inibi constitui, quo praecipuos e Patribus, aliisque scriptoribus sedulo indicarem, ac tali pacto minus usitatam in Thelogicis institutionibus, sed apprime utilissimam selectam Theologicam Bibliographiam ad sua loca quodammodo concinnarem, unde confertissima omnis aevi eruditio ex accurata et improba auctorum ac textuum percensione, velut in fonte pro lubitu quisque possit delibare. Utique vel ex solo Angelico Doctore cujuslibet posterioris erroris profligationem, vel subsecutae solemnis definitionis argumentum derivare potuissem: quod singulare prorsus in S. Thoma theologi omnes cum relatis S. Pii V. verbis agnoscunt: verum haud rite Catholicae institutionis methodo ita consultum iri nemo non viderit, qui in theologicis castris non unius, ut exercitatissimi, sed plurium bellatorum robore de hostibus pervicacissimis triumphandum perpenderit; quod et ipsemet Angelicus insinuat in 1. p., q. 1. a. 8. ubi de auctoritatis argumento, nec non in 2. 2. q. 10. a. 12. Quapro-

pter in adnotationibus haec tria praestare satago, videlicet concisam controversiarum tractationem; aliorum Angelici Praeceptoris operum indicationem, quibus enucleatius res expenditur; demum Patrum, Pontificum, Conciliorumque sillogem, adjectis etiam reliquis melioris notae auctoribus ex professo agentibus, unde concordia quaedam perpetuae Traditionis textui D. Thomae accedat.

Haec praemittenda censui. Etsi autem scopum me penitus attigisse jure diffidam in laborioso ac perdifficili rerum adeo excellentium delectu, nihilosecius inde animus viresque mihi succrescunt quod non inutilem Ecclesiae symbolam attulerim, vulgatius ac lectu facilius reddendo hoc praestantissimum D. Thomae Aquinatis opus, simulque perantiquam, ac ut ita dicam gentilitiam mei Ordinis Benedictini erga ipsum S. Doctorem obsequentissimam necessitudinem, quem suis in coenobiis primis pueritiae annis, et ultimo vitae termino hospitii ac mutui amoris officio fovisse gloriatur, meo quoque calculo utcumque exiguo confirmarem. Faxit Deus ut sicut praecavendis arcendisque peculiarium scholarum dissidiis, et unico sub duce colligendis ecclesiasticorum omnium studiis Theologicis hoc Enchiridion fuit apposite concinnatum, ita concors et propensa horumce voluntas respondeat, et Angelici praeceptoris doctrina tum praecipue in scholarum tyrocinio, cum in catechesi, concionibus, casuum resolutionibus, Animarum regimine, rerumque omnium theologicarum norma, diurna nocturnaque manu versetur, ablegatis

perpetus privatis commentationibus, ac systematum dissidiis, quibus, ut ait Mabill. de studiis monasticis p. 2. c. 4. = Non modicum post D. Thomam Theologicae facultati a neotericis derogatum est; futiles namque speculationes, seu potius nugatorias cavillationes in ipsa congesserunt, ut a gravitate illa, ac theologizandi majestate, in Christi fidelium lyceis omnino servanda, multum recederit = Quod ut magis magisque summo theologiae totiusque Ecclesiae bono tandem eveniat, praecipue intererit lectioni D. Thomae, illum veterum aliorum Patrum copulari, variasque Angelici quaestiones relativis eorum operibus dilucidare, ut suis quibusque locis in appendice insinuabitur. Ad id porro non parum juvaminis afferre poterit vel ipsa Patrum Bibliotheca a Tricaletio elaborata, licet eorum analysim solum exhibeat adjectis tamen pluribus eorum textibus Ecclesiasticam doctrinam mirifice roborantibus. Quid enim non abunde sperandum ab iis, quos Patrum studium rite et ingenue comparatum direxerit, ac informarit? Tum inconcussa religionis principia in ipso limpidissimo fonte ebibent, tum praejactas quodammodo posteriorum haereseon, errorumque confutationes apud eos reperient, ut speciatim de D. Thoma Lubomilus ostendit, eorumque immobili auctoritate, vivido zelo, gravi simul et plano dicendi stylo, et eximiis virtutibus allecti ac inflammati, non partium studiis, non inflante scientia, nec inhiantes plus sapere quam oportet sapere, sed pacem, et veritatem diligentes, et hanc facientes in charitate, cre-

scent in illo per omnia, qui est caput Christus. Nec Patres solum, sed et Conciliorum, Summorumque Pontificum Canones atque sanctiones, biblicam quoque et ecclesiasticam eruditionem adire debet theologus, ut sua probe obeat officia, hoc praesertim aevo quo quis neget ampliorem doctrinae segetem requiri, cum non haereses modo, sed et aperta infremat incredulitas, adeoque magis magisque pertimescenda sit terribilis illa comminatio apud Oseam 4. 6. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi?* Oh! utinam id otii quod inutilibus terebatur quaestionibus, solidiori huic addiscendi regulae, a Mabillonio potissimum in aureo citato tractatu de studiis monasticis tantopere inculcatae, et per partes eruditissime explicitae, insumatur.

Hujus praeloquii finem excipiat Concilii Valentini III. Canon primus, quo nil theologo rite instituendo aptius, aut utilius. *Quia Doctorem gentium in fide et veritate fideliter commonentem, obedienterque audivimus:* O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt; *et iterum:* Profana autem et inaniloquia devita multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; *et iterum:* Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita, sciens quia generant lites: servum autem Domini non oportet litigare; *et iterum:* Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: *paci quantum Deus dederit, et charitati studere*

cupientes, attendentes pium ejusdem Apostoli consilium, sollicitì servare unitatem spiritus in vinculo pacis, *novitates vocum, et praesumptivas garrulitates, unde potius inter fratres contentionum, et scandalorum fomes excitari potest, quam aedificatio ulla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus; indubitanter autem doctoribus pie et recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque* S. *Scripturae lucidissimis expositoribus, idest Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, caeterisque in Catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum, et obtemperanter intellectum submittimus, et pro viribus quae ad salutem nostram scripserunt, amplectimur. Nam de praescientia Dei, et de praedestinatione, et de quaestionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud tantum firmissime tenendum esse credimus, quod ex maternis Ecclesiae visceribus nos hausisse gaudemus.*

SYLLABUS

QUAESTIONUM

D. THOMAE AQUINATIS

IN TITULIS HUJUS PRIMI TOMI EXPOSITARUM

PARS TERTIA

TRACTATUS DE TRINITATE.

DE CREATIONE.

SYLLABUS

APPENDICIS

C. I. Q. I. DE S. DOCTRINA

C. II. DE DEO.

C. III. DE TRINITATE.

C. IV. DE CREATIONE.

D. MICHAEL ANGELUS FUME

ABBAS GENERALIS

ORDIS CAMALDULENSIS

Cum Librum, cui titulus: *Enchiridion Dogmatum et morum*, etc. a P. D. Placido Zurla Monacho Nostro S. Th. Lectore compositum recognoverint, atque in lucem edi posse probaverint RRmi. PP. D. Ludovicus Nacchi Abbas visitator ac D. Franciscus Sandri Abbas procurator generalis Ordinis nostri, auctori facultatem concedimus, ut opus praefatum typis mandare queat, ac publici juris facere, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. Hujus rei gratia hasce litteras manu Nostra subscriptas, sigilloque Nostro munitas dedimus.

Dat. Romae apud S. Romualdum id. Aug. MDCCCII.

D. Michael Angelus Abbas Gen.

L. S.

D. Andreas Politi Cancell.

DIVI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

SUMMAE THEOLOGIAE

PARS PRIMA

Prologus.

Quia catholicae veritatis doctor non solum provectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire (secundum illud Apost. 1. ad Cor. 3. 1. *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam:)* propositum nostrae intentionis in hoc opere est, ea quae ad Christianam religionem pertinent, eo modo tradere secundum quod congruit ad eruditionem incipientium.

Consideravimus namque, hujus doctrinae novitios, in iis quae a diversis scripta sunt plurimum impediri: partim quidem propter multiplicationem inutilium quaestionum, articulorum, et argumentorum: partim etiam quia ea quae sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum ordinem disciplinae, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se praebebat occasio disputandi: partim quidem quia eorumdem frequens repetitio et fastidium, et confusionem generabat in animis auditorum.

Haec igitur et alia hujusmodi evitare studentes, tentabimus cum confidentia divini auxilii, ea quae ad sacram doctrinam pertinent, breviter ac dilucide prosequi, secundum quod materia patietur.

(Q. 1.) DE SACRA DOCTRINA

Vide Append. Cap. I. § 1.

Et ut intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur, necessarium est primo investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, et ad quae se extendat.

(a. 1.) Necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quamdam secundum revelationem divinam praeter philosophicas disciplinas, quae ratione humana investigantur. Primo quidem quia homo ordinatur ad Deum sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud Isa. 64. 4. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse praecognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem quod ei nota fierent quaedam per revelatioem divinam, quae rationem humanam excedunt.

Ad ea etiam quae de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina: quia veritas de Deo per rationem investigata, a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret: a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius, et certius proveniat, necessarium fuit quod de divinis per divinam revela-

tionem instruerentur. Necessarium igitur fuit praeter philosophicas disciplinas, quae per rationem investigantur, sacram doctrinam per revelationem haberi.

Nihil *autem* prohibet de eisdem, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde Theologia quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa Theologia, quae pars philosophiae ponitur.

(a. 2.) *V. Append. C. 1.* § 2. Sacra doctrina est scientia. Sed sciendum est quod duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica, Geometria, et hujusmodi; quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut Perspectiva, procedit ex principiis notificatis per geometriam, et Musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei, et Beatorum. Unde sicut Musicus credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.

(a. 4.) Sacra doctrina magis est speculativa quam practica: quia principalius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis: de quibus agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit.

(a. 5.) Ista scientia omnes alias transcendit tam speculativas quam practicas. Speculativarum enim scientiarum una altera dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiae. Et quantum ad utrumque haec scientia alias speculativas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem,

quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex luminae divinae scientiae, quae decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiae, quia ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem finem ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis.

(a. 6.) Haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et judicare; judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur . . . . ille qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur: unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio, ut patet per Aug. de Trin. lib. 12. c. 14.

(a. 7.) Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem.

(a. 8.) Haec doctrina est argumentativa; *hinc* dicitur ad Tit. 1. 19. de Episcopo *amplectente eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Verum* sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis; ita haec doctrina non

argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei; sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum, sicut Apos. I. ad Cor. 15. ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam. Sed tamen considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiae nec probant sua principia, nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiae; suprema vero inter eas, scilicet metaphysica disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit; si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius. Unde sacra scriptura, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum, quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium; manifestum est, probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.

V. App. C. 1. § 3. 4. 5. Argumentari ex auctoritate, est maxime proprium hujus doctrinae, eo quod principia hujus doctrinae per revelationem habentur. Et sic oportet quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinae: nam licet locus ab auctoritate, quae fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate, quae fundatur super revelatione divina, est efficacissimus.

Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Unde et Apos. dicit II. ad Cor. 10..5: *in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.* Et inde est, quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus Act. 17. 28. inducit verbum Arati dicens: *sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt: genus Dei sumus.* Sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis, et probabilibus. Auctoritatibus autem canonicae scripturae, utitur proprie, ex necessitate argumentando: auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, et Prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta. Unde dicit Aug. in epis. 19. ad Hier. c. 1. *solis eis scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissime credam; alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripserunt.*

(a. 9.) *Quia* Deus omnibus providet, secundum quod competit eorum naturae; est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat: quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet; ideo convenienter in sacra scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium: et hoc

est, quod dicit Dionysius, Coelestis Hierarch. c. 1: *impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.*

(a. 10.) Sacra Scriptura sub una littera habet plures sensus. *Unde* Gregorius dicit 20. Moral. c. 1: *sacra Scriptura omnes scientias ipso lucutionis suae more transcendit: quia uno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium. Sane* auctor sacrae Scripturae est Deus, in cujus potestate est ut non solum voces ad significandum accomodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatae *per* voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur, et eum supponit.

Hic autem sensus spiritualis, trifariam dividitur. Sicut enim dicit Apostolus ad Hebr. 7. lex vetus figura est novae legis: *et ipsa nova lex*, ut dicit Dionysius in Eccles. hierar. c. 5. part. 1. *est figura futurae gloriae.* In nova etiam lege ea, quae *in capite sunt* gesta, sunt signa eorum, quae nos *agere debemus.* Secundum ergo quod ea quae sunt *veteris legis*, significant ea, quae sunt novae legis, est *sensus* allegoricus; secundum vero quod ea, *quae in* Christo sunt facta, vel in iis quae Christum *significant*, sunt signa eorum, quae nos agere *debemus*, est sensus moralis; prout vero significant ea, quae sunt in aeterna gloria, est sensus anagogicus. Quia vero sensus litteralis est quem auctor *intendit; auctor* autem sacrae Scripturae Deus est, *qui omnia simul* suo intellectu comprehendit; *non*

est inconveniens, ut dicit Aug. 12. Confes. *si etiam secundum litteralem sensum, in una littera Scripturae plures sint sensus.*

Multiplicitas *autem*, non facit aequivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis: quia sicut jam dictum est, sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces, aliarum rerum possunt esse signa. Et ita etiam nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam, quae est 48. Non tamen ex hoc aliquid deperit sacrae Scripturae; quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.

DE DEO

(Q. 2.) AN DEUS SIT.

Vide Append. Cap. II. § 1.

Quia igitur principalis intentio sacrae doctrinae, est Dei cognitionem tradere, et non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est principium rerum, et finis earum, et specialiter rationalis creaturae, ut ex dictis manifestum est, a. 7. 9. praec. ad hujus doctrinae expositionem intendentes; primo tractabimus de Deo; secundo de *motu* rationalis creaturae in Deum; tertio de Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum. Consideratio autem de Deo, tripartita erit: primo considerabimus ea, quae ad essentiam divinam pertinent; secundo ea, quae pertinent ad distinctionem Personarum: tertio ea, quae pertinent ad processum creaturarum ab ipso. Circa essentiam vero divinam: primo considerandum est an Deus *sit: secundo* quomodo sit, vel potius quomodo non *sit: tertio* considerandum erit de his, quae ad operationem ipsius pertinent, scilicet de scientia, et de voluntate, et potentia.

(a. 1.) Haec propositio *Deus est,* quantum in *se est,* per se nota est: quia praedicatum est idem cum subjecto. Deus enim est suum esse, ut infra patebit. Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quae sunt magis nota quoad nos . . . . *Quamvis enim* dicat Damascenus, de fid. orthod.

l. 1. c. 1 et 3: *omnibus cognitio existendi Deum naturaliter est inserta . . . tamen* cogitari potest oppositum ejus, quod est Deum esse, secundum illud psalm. 52: *dixit insipiens in corde suo non est Deus;* ergo Deum esse non est per se notum, *et tantum* sub quadam confusione est nobis naturaliter insertum: in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo: homo enim naturaliter desiderat beatitudinem, et quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens: multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias; quidam vero voluptates; quidam autem aliquid aliud.

(a. 2.) *Forte quis dicet:* videtur quod Deum esse non sit demonstrabile: Deum enim esse, est articulus fidei; sed ea, quae sunt fidei non sunt demonstrabilia; *deinde* si demonstraretur Deum esse, hoc non esset nisi ex effectibus ejus; sed effectus ejus non sunt proportionati ei, cum ipse sit infinitus, et effectus finiti; finiti autem ad infinitum non est proportio.

Ast Apostolus dicit ad Rom. 1. 20: *invisibilia Dei, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sed hoc non esset, nisi per ea quae facta sunt, posset demonstrari Deum esse.... dicendum ergo, quod Deum esse, et alia hujusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet, illud quod secundum se demonstrabile est, et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. *Ad alterum* dicendum, quod per effectus non pro-

portionatos causae, non potest perfecta cognitio de causa haberi, sed tamen ex quocumque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse, et sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam.

(a. 3.) Deum esse, quinque viis probari potest. Prima et manifestior via, est quae sumitur ex parte motus. Certum est enim, et sensu constat, aliqua moveri in hoc mundo. Omne autem quod movetur, ab alio movetur: nihil enim movetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud, ad quod movetur; movet autem aliquid, secundum quod est actu: movere enim, nihil aliud est, quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem, non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod ens in actu; sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet, et alterat ipsum. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu, et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa: quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo, quod secundum idem, et eodem modo aliquid sit movens, et motum, vel quod moveat seipsum. Omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergo id a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio: hic autem non est procedere in infinitum, quia sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquid aliud movens, quia moventia secunda non movent nisi per hoc, quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet nisi per hoc, quod est motus a manu. Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur: et hoc omnes intelligunt Deum.

Secunda via est ex ratione causae efficientis; invenimus enim in istis sensibilibus, esse ordinem causarum efficientium; nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile. Non autem est possibile quod in causis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis, primum est causa medii, et medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantum. Remota autem causa, removetur effectus. Ergo si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens, et sic non erit nec effectus ultimus, nec causae efficientes mediae: quod patet esse falsum; ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.

Tertia via est sumpta ex possibili, et necessario; quae talis est. Invenimus enim in rebus quaedam, quae sunt possibilia esse, et non esse, cum quaedam inveniantur generari, et corrumpi, et per consequens possibilia esse, et non esse. Impossibile est autem, omnia quae sunt talia, semper esse, quia quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset, quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse; et sic modo nihil esset: quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium, vel habet causam suae necessitatis aliunde, vel non habet. Non est autem possibile quod procedatur in infinitum in necessariis, quae habent

causam suae necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est. Ergo necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis; quod omnes dicunt Deum.

Quarta via sumitur ex gradibus, qui in rebus inveniuntur. Invenitur enim in rebus aliquid magis, et minus bonum, et verum, et nobile, et sic de aliis hujusmodi. Sed magis, et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est; sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime ens. Nam quae sunt maxime vera, sunt maxime entia, ut dicitur II. Metaphys. Quod autem dicitur maxime tale, in aliquo genere, est causa omnium, quae sunt illius generis; sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem libro dicitur. Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa esse, et bonitatis, et cujuslibet perfectionis; et hoc dicimus Deum.

Quinta via sumitur ex gubernatione rerum. Videmus enim, quod aliqua quae cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem: quod apparet ex hoc quod semper, aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id, quod est optimum. Unde patet quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem, quae non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente, et intelligente, sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem; et hoc dicimus Deum.

Objicies: si Deus esset, nullum malum inveniretur in mundo, quia si unum contrariorum fuerit

infinitum, *ut est bonitas Dei*, totaliter destruetur aliud, *nempe quodcumque malum*. Resp. Aug. in Enchir. c. 11: *Deus cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens, et bonus, ut bene faceret etiam de malo*. Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ut esse permittat mala, et ex eis eliciat bona.

(Q. 3.) DE DEI SIMPLICITATE.

Vide Append. C. II. § 1.

Cognito de aliquo, an sit, inquirendum restat quomodo sit, ut sciatur de eo, quid sit. Sed quia de Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit, non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potius quomodo non sit . . . . Potest autem ostendi de Deo quomodo non sit, removendo ab eo,* quae ei non conveniunt, utpote compositionem, et motum, et alia hujusmodi. Primo ergo inquiretur, de simplicitate ipsius, per quam removetur ab eo compositio. Et quia simplicia in rebus temporalibus sunt imperfecta, et partes, secundo inquiretur de perfectione ipsius; tertio de infinitate ejus; quarto de immutabilitate; quinto de unitate.

(a. 1.) *Simplicitas Dei probatur ex* Joan. 4. 14: *spiritus est Deus. Et sane*, ostensum est supra; quod Deus est primum movens immobile; . . . quod est primum ens; . . . et nobilissimum in entibus . . . . impossibile est igitur, Deum esse corpus . . . Partes vero corporeae attribuuntur Deo in Scripturis, ratione suorum actuum, secundum quamdam similitudinem; sicut actus oculi est videre, unde oculus de Deo dictus, significat virtutem ejus ad videndum

modo intelligibili, non sensibili; et simile est de aliis partibus.

(a. 2.) Deus non est compositus ex materia, et forma; et impossibile est in Deo esse materiam: primo quidem quia materia est id, quod est in potentia. Ostensum est autem, q. 2, a. 3, quod Deus est purus actus, non habens aliquid de potentialitate. Unde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, et forma.

Secundo, quia omne compositum ex materia, et forma est perfectum, et bonum per suam formam; unde oportet quod sit bonum per participationem, secundum quod materia participat formam. Primum autem, quod est bonum, et optimum, quod Deus est, non est honum per participationem: quia bonus per essentiam, prius est bono per participationem. Unde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, et forma.

Tertio, quia unumquodque agens, agit per suam formam: unde secundum quod aliquid se habet ad suam formam, sic se habet ad hoc, quod sit agens. Quod igitur primum est, et per se agens, oportet quod sit primo, et per se forma. Deus autem est primum agens, cum sit prima causa efficiens, ut ostensum est. Est igitur per essentiam suam forma, et non compositus ex materia, et forma.

(a. 3.) De Deo dicitur quod est vita, et non solum quod est vivens, ut patet Jo. 14. 6: *ego sum via, veritas, et vita.* Sicut autem se habet vita ad viventem, ita Deitas ad Deum. Ergo Deus est ipsa Deitas, et dicendum, quod Deus est idem quod sua essentia, vel natura. Ad cujus intellectum, sciendum est, quod in rebus compositis ex materia, et forma, necesse est quod differant natura, vel essentia, et suppositum: quia essentia, vel natura, comprehendit in se illa tantum, quae cadunt in defini-

tione speciei; sicut humanitas comprehendit in se ea, quae cadunt in definitione hominis: his enim homo est homo, et hoc significat humanitas, hoc scilicet, quo homo est homo. Sed materia individualis, cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam, non cadit in definitione speciei: non enim cadunt in definitione hominis hae carnes, et haec ossa, aut albedo, vel nigredo, vel aliqua hujusmodi: unde hae carnes, et haec ossa, et accidentia designantia hanc materiam, non concluduntur in humanitate, et tamen in eo, quod est homo, includuntur: unde id quod est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas: et propter hoc non est totaliter idem homo, et humanitas: sed humanitas significatur ut pars formalis hominis, quia principia definientia habent se formaliter, respectu materiae individuantis. In his igitur, quae non sunt composita ex materia, et forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, idest per hanc materiam, sed ipsae formae per se individuantur, oportet quod ipsae formae sint supposita subsistentia; unde in eis non differt suppositum, et natura. Et sic cum Deus non sit compositus ex materia, et forma, ut ostensum est, oportet quod Deus sit sua Deitas, sua vita, et quidquid aliud sic de Deo praedicatur.

(a. 4.) Hilarius dicit in VII de Trin: *esse non est accidens in Deo, sed subsistens veritas;* id ergo quod subsistit in Deo, est suum esse; *et idcirco* Deus non solum est sua essentia, ut ostensum est, sed etiam suum esse: quod quidem, multipliciter ostendi potest. Primo quidem quia quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam ejus, oportet esse causatum vel a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, et causatur ex principiis essentialibus

speciei; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum esse rei sit aliud ab ejus essentia, necesse est, quod esse rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus ejusdem rei. Impossibile est autem, quod esse sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei, quia nulla res sufficit quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum. Oportet ergo quod illud cujus esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud esse, et aliud ejus essentia.

Secundo, quia esse est actualitas omnis formae vel naturae, non enim bonitas, vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur, quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam. Cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est supra, sequitur quod non sit aliud in eo essentia, quam suum esse. Sua igitur essentia est suum esse.

Tertio quia sicut illud quod habet ignem, et non est ignis, est ignitum per participationem; ita illud, quod habet esse, et non est esse, est ens per participationem. Deus autem est sua essentia, *ut ostensum* est. Si igitur non sit suum esse, erit ens per participationem, et non per essentiam. Non ergo erit primum ens, quod absurdum est dicere. Est igitur Deus suum esse, et non solum sua essentia.

(a. 5.) *Quia* genus est prius secundum intellectum eo, quod genere continetur, sed nihil est prius Deo nec secundum rem, nec secundum intellectum; ergo Deus non est in aliquo genere . . . *Si objiciatur:* substantia est ens per se subsistens: hoc au-

tem maxime convenit Deo. Ergo Deus est in genere substantiae . . . Dicendum, quod substantiae nomen non significat hoc solum quod est per se esse . . . sed significat essentiam cui competit sic esse, idest per se esse, quod tamen esse non est ipsa ejus essentia; et sic patet quod Deus non est in genere substantiae.

(Q. 4.) DE DEI PERFECTIONE.

(a. 1.) *Perfectio Deo competit*: Matth. 5. 48: *estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* . . . (a. 2.) Dicendum *etiam*, quod in Deo sunt perfectiones omnium rerum, ut dicit Dionysius c. 5. de Divin. nom. *quod Deus in una existentia omnia praehabet.* Primo quidem per hoc, quod quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva; vel secundum eandem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agens aequivocum sicut in Sole est similitudo eorum, quae generantur per virtutem Solis . . . Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones praeexistere in Deo secundum eminentiorem modum. Et hanc rationem tangit Dionysius ibid. dicens de Deo, *quod non quidem hoc est, hoc autem non est; sed omnia est, ut omnium causa.*

Secundo vero ex hoc, quod supra ostensum est, quod Deus est ipsum esse per se subsistens: ex quo oportet quod totam perfectionem essendi in se contineat.

(Q. 6.) DE BONITATE DEI.

Vide Append. C. II. § 1.

Quod de perfectione dictum est, idipsum de bonitate dicendum. (a. 2.) *Nempe* Deus est summum bonum: (a. 4.) unumquodque dicitur bonum bonitate divina, sicut primo principio exemplari effectivo, et finali totius bonitatis; *seu* similitudine divinae bonitatis sibi inhaerente, quae est formaliter sua bonitas, denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium, et etiam multae bonitates.

(Q. 7.) DE INFINITATE DEI.

(a. 1.) *De infinitate Dei clare loquitur* Damascenus l. 1 Orthod. fidei, c. 4: *Deus est infinitus, et aeternus, et incircumscriptibilis.* Omnes antiqui Philosophi attribuunt infinitum primo principio, et hoc rationabiliter, considerantes res effluere a primo principio in infinitum. Sed quia quidam erraverunt circa naturam primi principii, consequens fuit ut errarent circa infinitatem ipsius: quia enim ponebant *primum* principium materiam, consequenter *attribuerunt* primo principio infinitatem materialem, dicentes aliquod corpus infinitum esse primum principium rerum. (a. 3.) *At falso, nam corpus esse actu infinitum repugnat, etiam si mathematice sumatur; semper enim sub aliqua forma, et figura est concipiendum,* et sic erit finitum, est enim figura quae termino, vel terminis comprehenditur. (a. 2.) *Ex dictis autem sequitur, quod sicut* omne, quod est praeter *Deum*, est ex Deo sicut ex primo principio, ergo *nihil quod* est praeter Deum, potest esse infinitum.

(Q. 8.) DE EXISTENTIA DEI IN REBUS.

Vide Append. C. II. § 1.

(a. 1.) *Infinito convenit* quod ubique, et in omnibus sit; *et revera:* ubicumque operatur aliquid, ibi est. Sed Deus operatur in omnibus, secundum illud Isaiae 26. 12: *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ergo Deus est in omnibus rebus; ... non quidem sicut pars essentiae, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei, in quo agit.

(a. 2.) Est *etiam* ubique: Jerem. 23. 24: *coelum, et terram ego impleo. Duplici* autem modo, secundum aliquid Deus est in omni loco, quod est esse ubique: primo quidem sic est in omnibus rebus, ut dans eis esse, et virtutem, et operationem: sic enim est in omni loco ut dans ei esse, et virtutem locativam. Item locata sunt in loco, in quantum replent locum, et Deus omnem locum replet non sicut corpus (corpus enim dicitur replere locum, in quantum non compatitur secum aliud corpus) sed per hoc, quod Deus est in aliquo loco, non excluditur quin alia sint ibi; imo per hoc replet omnia loca, quod dat esse omnibus locatis, quae replent omnia loca.

(a. 3.) Est *autem* Deus ubique per essentiam, praesentiam, et potentiam . . . est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur: est per praesentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt, et aperta oculis ejus: est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi . . . *Recte* S. Greg. in Ezech. hom. 8: *Deus communi modo est in omnibus rebus, praesentia, potentia, et substantia; tamen familiari modo dicitur esse in aliquibus per gratiam.*

(Q. 9.) DE DEI IMMUTABILITATE.

(a. 1.) Deus est immutabilis. Primo quidem, quia *supra* ostensum est q. 2. a. 3. esse aliquod primum ens, quod Deum dicimus; et quod hujusmodi primum ens oportet esse purum actum, absque permixtione alicujus potentiae, eo quod potentia simpliciter, est posterior actu. Omne autem quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia. Ex quo patet, quod impossibile est Deum aliquo modo mutari. Secundo . . . quia omne quod movetur, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam: et sic in omni eo, quod movetur, attenditur aliqua compositio. Ostensum est autem supra, quod in Deo nulla est compositio, sed est omnino simplex. Unde manifestum est, quod Deus moveri non potest. Tertio, quia omne quod movetur motu suo, aliquid acquirit, et pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat; Deus autem cum sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere, nec extendere se in aliquid, ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus. Et inde est, quod quidam antiquorum, quasi ab ipsa veritate coacti, posuerunt primum principium esse immobile.

Quae autem locutiones sacrae Scripturae motum, ac mutationem Deo tribuere videntur, hujusmodi dicuntur de Deo metaphorice.

(Q. 10.) DE DEI AETERNITATE.

(a. 1.) *Immobilitatem porro consequitur aeternitas, quae definitur* a Boetio de Consol. III: *interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio* . . . Sic ex duobus notificatur aeternitas. Primo ex hoc, quod id, quod est in aeternitate est interminabile, idest principio et fine carens, ut terminus ad utrumque referatur. Secundo per hoc, quod ipsa aeternitas successione caret, tota simul existens.

(a. 2.) Cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse aeternum. Nec solum est aeternus, sed est sua aeternitas; cum tamen nulla alia res sit sua duratio, quia non est suum esse, Deus autem est suum esse uniforme; unde sicut est sua essentia, ita sua aeternitas . . . in scripturis *autem*, verba diversorum temporum attribuuntur Deo, in quantum ejus aeternitas omnia tempora includit; non quod ipse varietur per praesens, praeteritum, et futurum.

(a. 5.) Aevum differt a tempore, et ab aeternitate, sicut medium existens inter illa . . . *Nam* tempus habet prius, et posterius, aevum autem non habet in se prius, et posterius, sed ei conjungi possunt; aeternitas autem, non habet prius, neque posterius, neque ea compatitur.

(Q. 11.) DE UNITATE DEI.

Vide Append. C. II. § 1.

(a. 3.) *Unitas Dei aperte* dicitur in Deut. 6. 4: *audi Israel: Dominus Deus noster, Deus unus est.* Deum autem esse unum, ex tribus demonstratur.

Primo quidem ex ejus simplicitate: manifestum est enim, quod illud unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile .... Secundo vero, ex infinitate ejus perfectionis ... Si essent plures Dii, oporteret eos differre .... et perfectio alteri eorum deesset .... Unde et antiqui Philosophi, quasi ab ipsa coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt unum tantum principium. Tertio, ab unitate mundi. Omnia enim quae sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem, dum quaedam quibusdam deserviunt ... Oportet ergo, quod primum reducens omnia in unum ordinem, sit unum tantum; et hoc est Deus.

(Q. 12.) QUOMODO DEUS A NOBIS COGNOSCATUR.

Vide Append. C. II. § 2.

Quia in superioribus consideravimus, qualiter Deus sit secundum seipsum, restat considerandum qualiter sit in cognitione nostra, idest quomodo cognoscatur a creaturis.

(a. 1.) *Licet* intellectus creatus possit videre Deum per essentiam ... secundum quod dicitur *1. Joan. 3. 2: videbimus eum sicuti est,* (a. 3.) *tamen videri* non potest oculis corporalibus, *juxta quod* dicit Aug. in lib. de videndo Deum ad Paulinam, c. 9: *Deum nemo vidit unquam, vel in hac vita sicut ipse est, vel in Angelorum vita, sicut visibilia ista, quae corporali visione cernuntur* ... *Nulla enim sensus* potentia potest se extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus est, ut supra ostensum est; (q. 3.) unde nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu ... *Dumque Job dicit: in carne mea videbo Deum Salvatorem meum,*

non intelligitur quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem visurus sit *Deum; et si Augustinus* Lib. ult. de Civ. Dei, c. 29, *dicit: vis itaque praepollentior oculorum erit illorum,* scilicet glorificatorum . . . *ut videant et incorporalia,* . . . ipse postmodum hoc determinat dicens: *valde credibile est, sic nos visuros mundana tunc corpora coeli novi, et terrae novae, ut Deum ubique praesentem, et universa etiam corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus; non sicut nunc invisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sed sicut homines, inter quos viventes, motusque vitales exercentes vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus.* Ex quo patet, quod hoc modo intelligit oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens: quod quidem a sensu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitiva. Quod autem statim, visis corporibus, divina praesentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, et ex refulgentia divinae claritatis in corporibus innovatis. Quod si instet quis Deum videri ab homine visione imaginaria, dicitur enim Isaiae 6. 1: *vidi Dominum sedentem super solium etc.* . . . dicendum, quod in visione imaginaria non videtur Dei essentia, sed aliqua forma in imaginatione formatur, repraesentans Deum secundum aliquem modum similitudinis, prout in Scripturis divinis divina per res sensibiles metaphorice describuntur.

(a. 4.) *Nihilominus notandum est etiam, quod non potest* intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibile ab ipso,

(a. 5.) et aliqua dispositio supernaturalis ei superadditur ad hoc, quod elevetur in tantam sublimitatem . . . et istud est lumen, de quo dicitur Apoc. 21. 23. quod *claritas Dei illuminabit eam*, scilicet societatem beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficiuntur deiformes, idest Deo similes, secundum illud Jo: 3. 2: *cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.*

(a. 6.) Non *tamen dicendum, quod* omnes aequaliter Dei essentiam videant: *stella differt a stella*, ait Apostolus 1 Cor. 15. 4. . . . Unde intellectus plus participans de lumine gloriae, perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriae, qui plus habet de charitate.

(a. 7.) *Attamen* caeterum comprehendere Deum impossibile est cuicumque intellectui creato. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur: perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile . . . *Porro* Deus cujus esse est infinitum, infinite cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere . . . Unde imposssibile est, quod Deum comprehendat . . . . Qui igitur videt Deum per essentiam, videt hoc in eo, quod infinite existit, et infinite cognoscibilis est; sed *hic infinitus* modus non competit ei, ut scilicet *ipse infinite* cognoscat; sicut aliquis probabiliter scire *potest* aliquam propositionem esse demonstrabilem, *licet* eam demonstrative non cognoscat.

(a. 8.) *Absit quoque* ut videntes Deum per essentiam, omnia in Deo videant . . . *Inferiores enim Angeli purgantur a superioribus a nescientia*, ut dicit Dionysius c. 7 Coelest. Hier. Ipsi etiam nesciunt *futura* contingentia, et cogitationes cordium: *hoc enim solius* Dei est. Non ergo quicumque vident *Dei* essentiam, vident omnia. Et *sane:* nullus

intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia, quae Deus facit, vel potest facere: hoc enim esset comprehendere ejus virtutem: sed horum, quae Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.

(a. 9.) Nemo autem in hac vita potest videre Deum per essentiam: *non videbit me homo, et vivet,* Exod. 33, 20 . . . Anima *enim* nostra, quamdiu in hac vita vivimus, habet esse in materia corporali: unde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quae habent formam in materia, vel quae per hujusmodi cognosci possunt . . . Et hujus signum est, quod anima nostra quanto magis a corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior. Unde in somniis, et alienationibus a sensibus corporis, magis divinae rivelationes percipiuntur, et praevisiones futurorum. Quod ergo anima elvetur usque ad supremum intelligibilium, quod est essentia divina, esse non potest, quandiu hac mortali vita utitur . . . Sic *ergo* in Scripturis dicitur aliquis Deum vidisse in quantum formatae sunt aliquae figurae sensibiles, vel imaginariae secundum aliquam similitudinem aliquid divinum repraesentantes, *ut Jacob dum dixit: vidi Deum facie ad faciem* Gen. 32. 30; *vel* dicendum; quod sicut Deus miraculose aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam, et supernaturaliter, et praeter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium, usque ad visionem suae essentiae elevavit, ut dicit Aug. 12. super Gen. ad litt. c. 26. 27. 28. et in libro de videndo Deum, c. 13. de Moyse, qui fuit Magister Judaeorum, et de Paulo qui fuit Magister gentium. *Neque opponi posset, ex eodem Aug. ibid.* c. 25. *quod* visione intellectuali videntur ea, quae sunt in anima per suam essentiam; *unde* cum Deus sit per essen-

tiam suam in anima nostra, per essentiam suam videtur a nobis. *Respondetur enim*, quod visio intellectualis est eorum, quae sunt in anima per suam essentiam, sicut intelligibilia in intellectu. Sic autem *Deus est* in anima beatorum, non autem in anima nostra, sed per praesentiam, essentiam, et potentiam.

(a. 12.) *Nihilominus* per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possumus, *nempe* habitudinem ipsius ad creaturas, quod scilicet omnium est causa; et differentiam creaturarum ab ipso, quod scilicet ipse non est aliquid eorum, quae ab eo causantur; et quod haec non removentur ab eo propter ejus defectum, sed quia superexcedit.

(a. 13.) *At: nobis revelavit Deus per spiritum suum, quae nemo principum hujus saeculi, idest* philosophorum, *novit*, 1 Cor. 11. 10. *scilicet per* gratiam perfectior cognitio de Deo habetur a nobis, quam per rationem naturalem: quod sic patet. Cognitio *enim* quam per naturalem rationem habemus, duo requirit, scilicet phantasmata ex sensibus accepta, et lumen naturale intelligibile, cujus virtute intelligibiles conceptiones ab eis abstrahimus. Et quantum ad utrumque juvatur humana cognitio per revelationem gratiae. Nam et lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti; et interdum etiam phantasmata in imaginatione hominis *formantur divinitus* magis exprimentia res divinas, quam ea, quae naturaliter a sensibus accipimus, sicut apparet in visionibus propheticis: et interdum etiam aliquae res sensibiles formantur divinitus, aut etiam voces ad aliquid divinum exprimendum; sicut in baptismo visus est Spiritus Sanctus in specie columbae, et vox Patris audita est: *hic est Filius meus dilectus*.

(Q. 13.) DE NOMINIBUS DEI.

Consideratis his, quae ad divinam cognitionem pertinent, procedendum est ad considerationem divinorum nominum. Unumquodque enim nominatur a nobis, secundum quod ipsum cognoscimus.

(a. 1.) Ostensum est supra, quod Deus in hac vita non potest a nobis videri per suam essentiam, sed cognoscitur a nobis ex creaturis secundum habitudinem principii, et per modum excellentiae, et remotionis. Sic igitur potest nominari a nobis ex creaturis; non tamen ita, quod nomen significans ipsum exprimat divinam essentiam, secundum quod est; sicut hoc nomen *homo* exprimit sua significatione essentiam hominis, secundum quod est; significat enim ejus definitionem declarantem ejus essentiam: ratio enim quam significat nomen, est definitio. *Unde si* dicit Dionysius 1. cap. de div. nom. quod *neque nomen ejus est, neque opinio,* et Proverb. 30. 4. dicitur: *quod nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* dicendum, quod ea ratione dicitur Deus non habere nomen, vel esse supra nominationem, quia essentia ejus est supra id, quod de Deo intelligimus, et voce significamus.

(a. 2.) Aliquod nomen dicitur de Deo substantialiter . . . Aug. VII. de Trin. c. 3 et 7. et l. V. c. 4: *Deo hoc est esse, quod fortem esse, vel sapientem esse, et si quid de illa simplicitate dixeris, qua ejus substantia significatur* . . . Si igitur praedicta nomina divinam substantiam significant, imperfecte tamen, sicut et creaturae imperfecte eam repraesentant. Cum *vero* dicitur, Deus est bonus, non est sensus; Deus est causa bonitatis, vel Deus non est malus; sed est sensus: id quod bonitatem dicimus in creaturis, praeexistit in Deo, et hoc quidem

secundum modum altiorem. Unde ex hoc non sequitur, quod Deo competat esse bonum, in quantum causat bonitatem; sed potius e converso; quia est bonus, bonitatem rebus diffundit, secundum illud Augustini de doctrina Christiana L. 1. c. 32: *in quantum bonus est, sumus.*

(a. 8.) Nomen *Deus*, est nomen operationis . . . unde dicit Dion. c. 12. de div. nom. quod *Deitas est, quae omnia videt providentia, et bonitate perfecta.* Ex hac autem operatione hoc nomen *Deus* assumptum, impositum est ad significandam divinam naturam.

(a. 11.) Dicitur Exod. 3. 13. quod Moysi quaerenti: *si dixerint mihi, quod est nomen ejus? quid dicam eis?* respondit ei Dominus: *sic dices eis: qui est, misit me ad vos.* Ergo hoc nomen *qui est*, est maxime proprium nomen Dei . . . triplici ratione . . . Primo quidem, propter sui significationem. Non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse. Unde cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, et hoc nulli alii conveniat, ut supra ostensum est, q. 3. a. 4. manifestum est, quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum: unumquodque enim nominatur a sua forma. Secundo, propter ejus universalitatem . . . Quolibet enim alio nomine, determinatur aliquis modus substantiae rei; sed hoc nomen *qui est*, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes, et ideo nominat ipsum pelagus substantiae infinitum. Tertio vero, ex ejus consignificatione: significat enim esse in presenti; et hoc maxime proprie de Deo dicitur, cujus esse non novit praeteritum, vel futurum, ut dicit Aug. in V. de Trin. c. 2.

(Q. 14.) DE SCIENTIA DEI.

Vide Append. C. II. § 3.

Post considerationem eorum, quae ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quae pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quaedam est, quae manet in operante, quaedam vero, quae procedit in exteriorem effectum; primo agemus de scientia, et voluntate (nam intelligere in intelligente est, et velle in volente); et postmodum de potentia Dei, quae consideratur ut principium operationis divinae, in effectum exteriorem procedentis.

(a. 1.) In Deo perfectissime est scientia; *unde* Apostolus dicit Rom. 11. 33: *o altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei!* .... *et sane* secundum modum immaterialitatis, est modus cognitionis . . . Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis, ut ex superioribus patet, q. 7. sequitur quod ipse sit in summo cognitionis. (a. 2.) *Deus* se ipsum intelligit: *quae sunt Dei nemo novit, nisi spiritus Dei*, 1. Cor. 11. 11. (a. 3.) s*eque ideo* comprehendit, nam: *omne quod intelligit se, comprehendit se, ut ait* Aug. quaest. 14. (a. 4.) *quia* et ipsum intelligere Dei est ejus substantia, ut *idem* Aug. L. VII. de Trin. c. 7: *Deo hoc est esse, quod sapientem esse.* Hoc autem est sapientem esse, quod intelligere. (a. 5.) *Multo magis autem* cognoscit alia a se: *omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus*, Hebr. 4. 13. *ita nempe*, quod Deus se ipsum videt in se ipso; quia se ipsum videt per essentiam suam; alia autem a se, videt non in se ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. (a. 7.) *Attamen* in scientia divina nullus est

discursus *juxta* quod Aug. dicit in L. 15. de Trin. c. 14. quod: *Deus non particulatim, vel sigillatim omnia videt velut alternante conceptu hinc illuc, inde huc, sed omnia videt simul, maxime* cum Deus effectus suos in se ipso videat sicut in causa, *unde* ejus cognitio non est discursiva (a. 8.) *Dictum* est sicut in causa, eo quod scientia Dei est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis est causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum . . . . Manifestum est autem quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere: unde necesse est quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis. *Hinc* dicit Aug. L. 15. de Trin. c. 13: *universas creaturas, et spirituales, et corporales, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit. Nec obstat, quod* Origenes dicit super Epist. ad Rom. super illud: *quos vocavit hos et justificavit: non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, ideo scitur a Deo antequam fiat . . .* Etenim Origenes locutus est attendens rationem scientiae, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate, ut mox dictum est. Sed quod dicit ideo praescire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiae, non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea praescierit; non tamen res futurae sunt causa quod Deus sciat.

(a. 9.) *Scientia Dei extenditur ad omnia.* Quaecumque possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quaecumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiam si actu non sint. Et

pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam. Sed horum, quae actu non sunt, est attendenda quaedam diversitas. Quaedam enim licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est ejus esse, aeternitate mensuretur, quae sine successione existens totum tempus comprehendit, praesens intuitus Dei fertur in totum tempus, et in omnia, quae sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi praesentialiter. Quaedam vero sunt, quae sunt in potentia Dei, vel creaturae, quae tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt: et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae. Quod ideo dicitur, quia ea, quae videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.

(a. 13.) *Cum mox dictum sit*, quod Deus sciat omnia non solum quae actu sunt, sed etiam quae sunt in potentia sua, vel creaturae, horum autem sunt quaedam contingentia nobis futura: sequitur, quod Deus contingentia futura cognoscat. *Ideo* dicitur in Psalm. 32. 15: *qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum;* scilicet hominum; sed opera hominum sunt contingentia, utpote libero arbitrio subjecta . . . Contingens, ut est in sua causa, consideratur ut futurum, et ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita; et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. Deus autem, cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso. Omnia quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia; non solum ea ratione,

qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno super omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui, secundum suam praesentialitatem, et tamen sunt futura contingentia, suis causis proximis comparata.

Opponi autem potest: a causa necessaria procedit effectus necessarius. Sed scientia Dei, est causa scitorum, ut supra dictum est. Cum ergo ipsa sit necessaria, sequitur scita ejus esse necessaria. *Deinde,* omne scitum a Deo necesse est esse, quia etiam omne scitum a nobis, necesse est esse; cum tamen scientia Dei certior sit quam scientia nostra. Sed nullum contingens futurum, necesse est esse. Ergo nullum contingens futurum est scitum a Deo.

Ad primum dicendum, quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, sicut germinatio plantae est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus Solis qui est causa prima, sit necessarius: et similiter scita a Deo sunt contingentia, propter causas proximas, licet scientia Dei, quae est causa prima, sit necessaria. *Ad alterum:* illud, quod scitur a nobis, oportet esse necessarium etiam secundum quod in se est, quia ea, quae in se sunt contingentia, a nobis sciri non possunt; sed ea, quae sunt scita a Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt divinae scientiae, ut dictum est, *supra in probatione,* non autem absolute, secundum quod in propriis causis considerantur.

(a. 15.) *Demum* scientia Dei *non est* variabilis, *juxta* quod dicitur Jacobi 1. 17. quod *apud Deum non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.*

(a. 16.) *Alia etiam distinguitur in Deo scientia speculativa, alia practica.* Deus de se ipso habet scientiam speculativam tantum: ipse enim, operabilis non est. De omnibus vero aliis, habet scientiam speculativam, et practicam. Speculativam quidem, quantum ad modum; quidquid enim in rebus nos speculative cognoscimus definiendo, et dividendo, hoc totum Deus multo perfectius novit. Sed de his, quae potest quidem facere, sed secundum nullum tempus facit, non habet practicam scientiam, secundum quod practica scientia dicitur a fine. Sic autem habet practicam scientiam de his, quae secundum aliquod tempus facit. Mala vero, licet ab eo non sint operabilia, tamen sub cognitione practica ipsius cadunt, sicut et bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea; sicut et aegritudines cadunt sub practica scientia medici, in quantum per artem suam curat eas.

(Q. 19.) DE VOLUNTATE DEI.

Vide Append. C. II. § IV.

Post considerationem eorum, quae ad divinam scientiam pertinent, considerandum est de his, quae pertinent ad voluntatem divinam; ut sit prima consideratio de ipsa Dei voluntate; secunda de his, quae ad voluntatem absolute pertinent; tertia de his, quae ad intellectum in ordine ad voluntatem pertinent.

(a. 1.) *Patet* in Deo voluntatem, esse sicut et in eo est intellectus: voluntas enim, intellectum consequitur..... Natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem, *talem* habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo;

cum vero non habet, quaerat ipsum, et utrumque pertinet ad voluntatem. Unde in quolibet habente intellectum, est voluntas; sicut in quolibet habente sensum, est appetitus animalis. Et sic oportet in Deo esse voluntatem cum sit in eo intellectus; et sicut suum intelligere est suum esse, ita et suum velle.

(a. 2.) Deus *autem*, non solum se vult, sed etiam alia a se; quod apparet a simili prius introducto. Res enim naturalis non solum habet naturalem inclinationem respectu proprii boni, ut acquirat ipsum, cum non habet; sed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, secundum quod possibile est... Unde si res naturales, in quantum perfectae sunt, suum bonum aliis communicant, multo magis pertinet ad voluntatem divinam ut bonum suum aliis per similitudinem communicet, secundum quod possibile est. Sic igitur vult, et se esse, et alia; sed se ut finem, alia vero ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare.

(a. 3,) *Non tamen* quicquid Deus vult, ex necessitate vult . . . Bonitatem suam esse Deus ex necessitate vult, sicut et voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem. . . . Alia autem a se, Deus vult in quantum ordinantur ad suam bonitatem ut in finem. . . . Unde cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute, et tamen necessarium est ex suppositione. Supposito enim quod velit, non potest non velle, quia non potest voluntas ejus mutari.

Objici potest: quidquid est Deo naturale, est necessarium: quia Deus est per se necesse esse, et principium omnis necessitatis. Sed naturale est ei velle quidquid vult: quia in Deo nihil potest esse praeter naturam, ergo quicquid vult, ex ne-

cessitate vult. *Dein:* Quicquid Deus scit, ex necessitate scit. Sed scientia divina est ejus essentia, ita voluntas Divina. Ergo quicquid Deus vult, ex necessitate vult.

Resp. ad primum; quod non est naturale Deo velle aliquid aliorum, quae non ex necessitate vult; neque tamen innaturale, aut contra naturam, sed est voluntarium.

Ad secundum; sicut divinum esse in se est necessarium, ita et divinum velle, et divinum scire; sed divinum scire, habet necessariam habitudinem ad scita; non autem divinum velle ad volita: quod ideo est, quia scientia habetur de rebus, secundum quod sunt in sciente; voluntas autem comparatur ad res, secundum quod sunt in se ipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse, secundum quod sunt in Deo, non autem secundum quod sunt in se ipsis, habent necessitatem absolutam, ita quod sint per se ipsa necessaria: propter hoc Deus quaecumque scit, ex necessitate scit; non autem quaecumque vult, ex necessitate vult.

(a. 4.) *Dicendum,* voluntatem Dei esse causam rerum, et Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturae, ut quidam existimaverunt. Quod quidem apparere potest tripliciter. Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus, et natura, necesse est ut agenti per naturam praedeterminetur finis, et media necessaria ad finem, ab aliquo superiore intellectu; sicut sagittae praedeterminatur finis, et certus modus a sagittante. Unde necesse est, quod agens per intellectum, et voluntatem, sit prius agente per naturam. Unde cum primum in ordine agentium sit Deus, necesse est quod per intellectum, et voluntatem agat. Secundo, ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet ut unum effectum producat:

quia natura uno, et eodem modo operatur, nisi impediatur; et hoc ideo, quia secundum quod est tale, agit: unde quamdiu est tale, non facit nisi tale: omne enim agens per naturam, habet esse determinatum. Cum igitur esse divinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi: non potest esse, quod agat per necessitatem naturae, nisi forte causaret aliquid indeterminatum, et infinitum in essendo: quod est impossibile. Non igitur agit per necessitatem naturae, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis, et intellectus ipsius. Tertio, ex habitudine effectuum ad causas. Secundum hoc enim, effectus procedunt a causa agente, secundum quod praeexistunt in ea: quia omne agens agit sibi simile. Praeexistunt autem effectus in causa secundum modum causae. Unde cum esse divinum sit ipsum ejus intelligere, praeexistunt in eo effectus ejus, secundum, modum intelligibilem, et per modum intelligibilem procedunt ab eo, et sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio ejus ad agendum quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum.

(a. 6.) *Facile hinc sequitur,* quod necesse est voluntatem Dei semper impleri; *secundum* quod di*citur in Ps. 113. 3: omnia quaecumque voluit Deus fecit.*

Quod si opponatur, I. Tim. 11. 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire;* sed hoc non ita evenit: ergo voluntas *Dei* non semper impletur;

Dicendum, quod illud verbum Apostoli, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri etc.* potest tripliciter intelligi. Uno modo, ut sit accomoda distributio secundum hunc sensum: Deus vult salvos

fieri omnes homines, qui salvantur, non quia nullus homo sit quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus fit, quem non velit salvum fieri, ut dicit Augustinus, l. 1. de praed. Ss. c. 8. et Enchir. c. 103; Secundo, potest intelligi, ut fiat distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum, secundum hunc sensum: Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri, mares, et feminas, Judaeos, et Gentiles, parvos, et magnos: non tamen omnes de singulis statibus. Tertio, secundum Damascenum, l. 2 orth. fid. c. 29. intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quae quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinae, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum . . . *sic* judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suae justitiae.

(a. 7.) Voluntas Dei est omnino immutabilis; *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur*, Num. 23. 19 . . . . . cum enim voluntas sit boni, . . . et tam substantia Dei, quam ejus scientia sit omnino immutabilis, oportet voluntatem ejus omnino esse immutabilem; . . . et licet Deum velle aliquid, non sit necessarium absolute, tamen necessarium est ex suppositione, propter immutabilitatem divinae voluntatis, ut supra dictum est (a. 3.) *et ideo verba* Gen. 6. 7. *poenitet me fecisse hominem, et alia similia*, metaphorice intelligenda sunt secundum similitudinem nostram.

(a. 8.) *An ideo* voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponit? Respondeo quod divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus; . . . quod contingit propter efficaciam di-

vinae voluntatis. Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activae in semine contingit quod filius nascitur dissimilis Patri in accidentibus, quae pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam effectibus aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter proveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causae proximae sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos praeparavit . . . *Dum igitur* dicit Augustinus in Enchir. c. 103: *nullus fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvari; et ideo rogandus est ut velit, quia necesse est fieri si voluerit*, intelligenda est necessitas in rebus volitis a Deo non absoluta, sed conditionalis; necesse est enim, hanc conditionalem veram esse: si Deus hoc vult, necesse est hoc esse.

(a. 9.) *Voluntas Dei numquam fertur in malum. Impossibile est enim*, quod aliquod malum in quantum hujusmodi, appetatur, neque appetitu naturali, neque animali, neque intellectuali, qui est voluntas, tamen aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum . . . et hoc sensu quidam dixerunt quod Deus vult mala esse, *quia* ordinantur ad aliquod bonum. Sed hoc

non recte dicitur: quia malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens . . . Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri . . . Unde malum culpae, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult, *sed permittit*; sed malum naturalis defectus, vel malum poenae, vult, volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum: sicut volendo justitiam, vult poenam, et volendo ordinem naturae servari, vult quaedam naturaliter corrumpi.

(a. 11.) Voluntas Dei proprie dicta, vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphorice dicta, quatenus exterius manifestatur, est voluntas signi.

(a. 12.) Circa autem divinam voluntatem, ponuntur quinque signa; scilicet prohibitio, praeceptum, consilium, operatio, et permissio. His *nempe signis, suam nobis indicat voluntatem.*

(Q. 20.) DE AMORE DEI.

Deinde considerandum est, de his, quae absolute ad voluntatem Dei pertinent. In parte autem appetitiva, inveniuntur in nobis et passiones animae, ut gaudium, amor, et hujusmodi; et habitus moralium virtutum, ut justitia, fortitudo, et hujusmodi. Unde primo, considerabimus de amore Dei; secundo, de justitia Dei, et misericordia ejus.

(a. 1.) Necesse est ponere amorem in Deo. Primus enim motus voluntatis, et cujuslibet appetitivae virtutis, est amor . . . nullus enim desiderat aliquid, nisi bonum amatum; neque aliquis gaudet, nisi de bono amato . . . . Ostensum est autem, in Deo esse voluntatem, unde necesse est in eo ponere amorem. *Hinc* Joan. 4. 16 dicit: *Deus charitas est.*

(a. 2.) Deus omnia existentia amat: nam omnia existentia in quantum sunt, bona sunt . . . et amor Dei est infundens, et creans bonitatem in rebus. *Ideo legitur in Sap.* 11. 25: *diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti; et si in* Psal. 5. 7. dicitur: *odisti omnes, qui operantur iniquitatem, sic intelligendum est, quia* in quantum peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt: et hoc in eis a Deo non est: unde secundum hoc, ab ipso odio habentur.

(a. 3.) *Non tamen* Deus aequaliter diligit omnia, cum enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, ut dictum est, non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet uni majus bonum, quam alteri. (a. 4.) *Et ideo* meliora magis diliguntur a Deo.

(Q. 21.) DE JUSTITIA, ET MISERICORDIA DEI.

Post considerationem divini amoris, de justitia, et misericordia ejus agendum est.

(a. 1.) Duplex est species justitiae. Una, quae consistit in mutua datione, et acceptione, et haec dicitur justitia commutativa: et haec non competit Deo, quia ut dicit Apostolus Rom. 11. 35: *quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Alia, quae consistit in distribuendo, et dicitur distributiva justitia, secundum quod aliquis gubernator, vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiae, vel cujuscumque multitudinis gubernatae, demonstrat hujusmodi justitiam in gubernante; ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam. Unde dicit Dionysius c. 8. de div. nom: *oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam, quod omnibus tribuit propria secundum*

uniuscujusque existentium dignitatem, et uniuscujusque naturam, in proprio salvat ordine, et virtute.

(a. 2.) *Haec* justitia Dei, quae constituit ordinem in rebus conformem rationi sapientiae suae, quae est lex ejus, convenienter etiam veritas nominatur; et sic etiam dicitur in nobis veritas justitiae. Sic in Psal. 84. 11. dicitur: *misericordia, et veritas obviaverunt sibi*, et ponitur ibi veritas pro justitia.

(a. 3.) Misericordia est Deo maxime attribuenda, tamen secundum effectum, non secundum passionis affectum . . . Tristari *nempe* de miseria alterius, non competit Deo; sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit, ut per miseriam quemcumque defectum intelligamus. *Sic* dicitur in Psal. 110. 4: *miserator, et misericors Dominus.*

(a. 4.) Dicitur in Psal. 26. 10: *omnes viae Domini, misericordia, et veritas;* et necesse est, quod in quolibet opere Dei, misericordia, et veritas inveniantur. Si tamen misericordia pro remotione cujuscumque defectus accipiatur, quamvis non omnis defectus proprie possit dici miseria, sed solum defectus rationalis naturae, quam contingit esse felicem; nam miseria felicitati opponitur. Hujus autem necessitatis ratio est, quia cum debitum, quod ex divina justitia redditur, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturae, neutrum potest in aliquo opere Dei praetermitti. Non enim potest facere aliquid Deus, quod non sit conveniens sapientiae, et bonitati ipsius; secundum quem modum diximus aliquid esse debitum Deo. Similiter etiam quicquid in rebus creatis facit, secundum convenientem ordinem, et proportionem facit; in quo consistit ratio justitiae. Et sic oportet in omni opere Dei esse justitiam. Opus autem divinae justitiae, semper praesupponit opus misericordiae, et in eo fundatur. Creaturae enim non debetur aliquid, nisi propter

aliquid in ea praeexistens, vel praeconsideratum, et rursus, si illud creaturae debetur, hoc erit propter aliquid prius, et cum non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquid, quod ex sola bonitate divinae voluntatis dependeat; quae est ultimus finis.

Contra hanc unionem misericordiae, et justitiae in omnibus operibus Dei, *dici potest*, quod Apostolus Rom. 15. conversionem Judaeorum attribuit justitiae, et veritati; conversionem autem Gentium, misericordiae. Ergo non in quolibet opere Dei, est justitia, et misericordia. *Deinde*, multi justi in hoc mundo affliguntur. Hoc autem est injustum. Non ergo in omni opere Dei est justitia, et misericordia.

Ad primum dicendum, quod quaedam opera attribuuntur justitiae, et quaedam misericordiae, quia in quibusdam vehementius apparet justitia, in quibusdam misericordia. Sic justitia, et misericordia Dei, apparet in conversione Judaeorum, et Gentium. Sed aliqua ratio justitiae apparet in conversione Judaeorum, quae non apparet in conversione Gentium, sicut quod salvati sunt propter promissiones patribus factas. Ad *alterum* dicendum, quod in hoc etiam, quod justi puniuntur in hoc mundo, apparet justitia, et misericordia, in quantum per hujusmodi afflictiones aliqua levia in eis purgantur, et ab affectu terrenorum in Deum magis eriguntur, secundum illud Gregorii l. 26. Mor. c. 9: *mala, quae in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire compellunt.*

(Q. 22.) DE PROVIDENTIA DEI.

Vide Append. C. II. § V.

Consideratis autem his, quae ad voluntatem absolute pertinent, procedendum est ad ea, quae respiciunt simul intellectum, et voluntatem. Hujusmodi autem est providentia quidem respectu omnium, praedestinatio vero, et reprobatio, et quae ad haec consequuntur, respectu hominum specialiter in ordine ad aeternam salutem. Nam, et post morales virtutes in scientia morali consideratur de prudentia, ad quam providentia pertinere videtur.

(a. 1.) Necesse est ponere providentiam in Deo. Omne enim bonum, quod est in rebus, a Deo creatum est, ut supra ostensum est. In rebus autem creatis, invenitur bonum non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, et praecipue in finem ultimum, qui est bonitas divina. Hoc igitur bonum ordinis, in rebus creatis existens, a Deo creatum est . . . ratio autem ordinandorum in finem, providentia vocatur: *sic* dicitur Sap. 14. 3: *tua autem, Pater, providentia gubernat.*

(a. 2.) Quidam totaliter providentiam negaverunt, sicut Democritus, et Epicurei, ponentes mundum factum esse casu. Quidam vero posuerunt incorruptibilia tantum providentiae subjacere, corruptibilia vero, non secundum individua, sed secundum species, sic enim incorruptibilia sunt . . . Sed necesse est dicere, omnia divinae providentiae subjacere, non in universali tantum, sed etiam in singulari. Quod sic patet. Cum enim omne agens

agat propter finem, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis . . . Causalitas autem Dei, qui est primus agens, se extendit usque ad omnia entia non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia principia, non solum incorruptibilium, sed etiam corruptibilium. Unde necesse est, omnia, quae habent quocumque modo esse, ordinata esse a Deo in finem, secundum illud Apostoli ad Rom. 13. 1: *quae a Deo sunt, ordinata sunt*. Cum ergo nihil aliud sit Dei providentia, quam ratio ordinis rerum in finem, ut dictum est, necesse est omnia, in quantum participant esse, in tantum subdi divinae providentiae. Similiter etiam Deus omnia cognoscit, et universalia, et particularia, et cum cognitio ejus comparetur ad res, sicut cognitio artis, ad artificiata, necesse est quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis.

Objicies, quod si omnia sunt provisa a Deo, nihil erit fortuitum, et sic perit casus, et fortuna: quod est contra communem opinionem. *Deinde*, videmus multa mala in rebus esse. Aut igitur Deus non potest ea impedire: et sic non est omnipotens; aut non de omnibus curam habet. *Insuper* secundum illud Eccli. 15. 14: Deus *ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui:* et specialiter de malis hominibus legitur Psal. 80. 13: *dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Demum Apost. ad Cor. I. 9. 4. dicit, quod *non est Deo cura de bobus:* et eadem ratione, de aliis creaturis irrationalibus. Non igitur omnia subsunt divinae providentiae.

Ad primum dicendum, quod inquantum aliquis effectus ordinem alicujus causae particularis effugit, dicitur esse causale, vel fortuitum respectu causae

particularis; sed respectu causae universalis, a cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum: sicut et concursus duorum servorum, licet sit causalis in quantum ad eos, est tamen provisus a Domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat.

Ad secundum dicendum, quod aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit, aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius . . . Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo: non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit Augustinus in Enchiridio, c. 11: *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret etiam de malo.* Ex duabus autem rationibus, quas nunc solvimus, videntur moti fuisse, qui divinae providentiae subtraxerunt corruptibilia, in quibus inveniuntur casualia, et mala.

Ad tertium dicendum, quod in hoc, quod dicitur Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo a divina providentia; sed ostenditur quod non praefigitur ei virtus operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus, quae aguntur tantum, quasi ab altero directae in finem, non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, ut creaturae rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, et eligunt: unde signanter dicit, in manu consilii sui. Sed quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, necesse est ut ea, quae ex libero arbitrio fiunt, divinae providentiae subdantur.

Providentia enim hominis, continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universali. Hominum autem justorum, quodam excellentiori modo Deus habet providentiam, quam impiorum, in quantum non permittit contra eos evenire aliquid, quod finaliter impediat salutem eorum: nam *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,* ut dicitur Rom. 8. 28. Sed ex hoc ipso, quod impios non retrahit a malo culpae, dicitur eos dimittere, non tamen ait quod totaliter ab ejus providentia excludantur, alioquin in nihilum deciderent, nisi per ejus providentiam conservarentur. Et ex hac ratione videtur motus fuisse Tullius, qui res humanas, de quibus consiliamur, divinae providentiae subtraxit.

Ad ultimum dicendum, quod quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium sui actus, speciali quodam modo subditur divinae providentiae, ut scilicet ei imputetur aliquid ad culpam, vel ad meritum, et reddatur ei aliquid, ut poena, vel praemium. Et quantum ad hoc, curam Dei Apostolus a bobus removet, non tamen ita, quod individua irrationalium creaturarum ad Dei providentiam non pertineant, ut Rabbi Moyses existimavit.

(a. 3.) Deus immediate omnibus providet, *juxta quod dicitur* Job. 34. 13: *quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Super quo dicit Gregorius, I. 24. Mor. c. 26: *mundum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit. Quia vero* ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisarum in finem, et executio hujus ordinis, quae gubernatio dicitur, quantum ad primum horum, Deus immediate omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, et quas-

cumque causas aliquibus effectibus praefecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet, quod ordinem illorum effectuum in sua ratione praehabuerit. Quantum autem ad secundum, sunt aliqua media divinae providentiae, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis; sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. Et secundum hoc excluditur opinio Platonis, quam narrat Gregorius Nyssenus, l. 8. de provid. c. 3. triplicem providentiam ponentis. Quarum prima est summi Dei, qui primo et principaliter providet rebus spiritualibus, et consequenter toti mundo quantum ad genera, species, et causas universales. Secunda vero providentia est, qua providetur singularibus generabilium et corruptibilium: et hanc attribuit Diis qui circumeunt coelos, idest substantiis separatis, quae movent corpora coelestia circulariter. Tertia vero providentia est rerum humanarum, quam attribuebat daemonibus, quos Plato ponebat medios inter nos, et Deos, ut narrat Aug. l. 9. de Civ. Dei. c. 1. et l. 8. c. 14.

(a. 4.) Providentia divina quibusdam rebus necessitatem imponit, non autem omnibus; ut quidam crediderunt . . . et in hoc est immobilis, et certus divinae providentiae ordo, quod ea, quae ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessario, sive contingenter.

(Q. 23.) DE PRAEDESTINATIONE.

Vide Append. C. II. §. V.

Post considerationem divinae providentiae, agendum est de praedestinatione, et de libro vitae.

(a. 1.) *Quod* homines praedestinentur a Deo, *patet* ex Rom. 8. 20: *quos praedestinavit, hos et vocavit. Et sane:* finis ad quem res creatae ordinantur a Deo, est duplex. Unus qui excedit proportionem naturae creatae, et facultatem; et hic finis est vita aeterna, quae in divina visione consistit, quae est supra naturam cujuslibet creaturae. Alius autem finis est naturae creatae proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suae naturae. Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute suae naturae pervenire, oportet quod ab alia trasmittatur, sicut sagitta a sagittante mittitur ad signum. Unde, proprie loquendo, rationalis creatura, quae est capax vitae aeternae, perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa. Cujus quidem transmissionis ratio in Deo praeexistit, sicut et in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse providentiam. Ratio autem alicujus fiendi in mente auctoris existens, est quaedam praeexistentia rei fiendae in eo. Unde ratio praedictae transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae, praedestinatio nominatur: nam destinare est mittere. Et sic patet, quod praedestinatio, quantum ad objecta, est quaedam pars providentiae.

Objicies. Dicit Damascenus in II. lib. Orthod. fid. c. 30: *praecognoscit Deus ea, quae in nobis sunt, non autem praedeterminat ea. Deinde ait* Apost. 1. Cor. 2. 12: *nos autem, non spiritum hujus mundi*

accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Si ergo homines praedestinarentur a Deo, cum praedestinatio sit Dei beneficium, esset praedestinatis nota sua praedestinatio: quod patet esse falsum.

Ad primum dicendum, quod Damascenus nominat praedeterminationem, impositionem necessitatis; sicut est in rebus naturalibus, quae sunt praedeterminatae ad unum. Quod patet ex eo, quod subdit: *non enim vult malitiam, neque compellit virtutem.* Unde praedestinatio non excluditur. *Ad alterum* dicendum, quod etiamsi aliquibus ex speciali privilegio sua praedestinatio reveletur, non tamen convenit ut reveletur omnibus: quia sic illi, qui non sunt praedestinati, desperarent, et securitas in praedestinatis negligentiam pareret.

(a. 3.) *Quoniam* praedestinatio est pars providentiae, *et* ad providentiam pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quae providentiae subduntur, ut supra dictum est, *ideo* cum per divinam providentiam homines in vitam aeternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere: et hoc dicitur reprobare, et *hoc sensu* dicendum, quod Deus aliquos reprobat, *et sic legitur* Malach. 1. 2: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Oppones illud *Sap.* 11. 25: *diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Ergo Deus nullum hominem reprobat. *Deinde, sicut* praedestinatio est causa salutis praedestinatorum, *sic* reprobatio erit causa perditionis reproborum. Hoc autem est falsum: dicitur enim Oseae 13. 9: *perditio tua, Israel ex te est: tantummodo ex me auxilium tuum;* praeterea dicitur Eccl. 7. 14: *considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit.* Ergo non esset hominibus imputandum, quod pe-

reunt. Hoc autem est falsum: non ergo Deus aliquem reprobat.

Ad primum dicendum, quod Deus omnes homines diligit, et etiam omnes creaturas, in quantum omnibus vult aliquod bonum, non tamen quodcumque bonum vult omnibus. In quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita aeterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.

Ad secundum dicendum, quod aliter se habet reprobatio in causando, quam praedestinatio. Nam praedestinatio est causa, et ejus, quod expectatur in futura vita a praedestinatis, scilicet gloriae, et ejus, quod percipitur in praesenti, scilicet gratiae. Reprobatio vero, non est causa ejus, quod est in praesenti, scilicet culpae; sed est causa derelictionis a Deo. Est autem causa ejus, quod redditur in futuro, scilicet poenae aeternae. Sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, et a gratia deseritur. Et secundum hoc verificatur dictum prophetae, scilicet: *perditio tua, Israel, ex te.*

Ad tertium dicendum, quod reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Unde cum dicitur quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed secundum impossibilitatem conditionatam, sicut dictum est, quod praedestinatum necesse est salvari necessitate conditionata, quae non tollit libertatem arbitrii. Unde licet aliquis non possit gratiam adipisci qui reprobatur a Deo; tamen quod in hoc peccatum, vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit. Unde, et merito, sibi imputatur in culpam.

(a. 5.) *Quaeritur,* utrum praescientia meritorum sit causa praedestinationis. *Dicit* Apostolus ad Titum 3. 5: *non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos*

fecit. Sicut autem salvos nos fecit, ita praedestinavit nos salvos fieri. Non ergo praescientia meritorum est causa, vel ratio praedestinationis. *Attamen,* cum praedestinatio includat voluntatem, sic inquirenda est ratio praedestinationis, sicut inquiritur ratio divinae voluntatis. Non *autem* est assignare causam divinae voluntatis ex parte actus volendi; sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid, propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanae mentis, qui diceret merita esse causam divinae praedestinationis, ex parte actus praedestinantis; sed hoc sub quaestione vertitur, utrum ex parte effectus, praedestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quaerere, utrum Deus praeordinaverit se daturum effectum praedestinationis alicui, propter merita aliqua.

Fuerunt igitur quidam, qui dixerunt, quod effectus praedestinationis praeordinatur alicui, propter merita praeexistentia in alia vita: et haec fuit positio Origenis, qui posuit animas humanas ab initio creatas, et secundum diversitatem suorum operum, diversos status eas sortiri in hoc mundo corporibus unitas. Sed hanc opinionem excludit Apostolus Rom. 9. 2. dicens: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.*

Fuerunt ergo alii, qui dixerunt, quod merita praeexistentia in hac vita, sunt ratio, et causa effectus praedestinationis. Posuerunt enim Pelagiani, quod initium benefaciendi sit ex nobis, consummatio autem a Deo. Et sic ex hoc contingit, quod alicui datur praedestinationis effectus, et non alteri: quia unus initium dedit se praeparando, et non alius. Sed contra hoc est quod dicit Apostolus II Cor. 3. 5. quod *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* Nullum autem anterius

principium inveniri potest, quam cogitatio. Unde non potest dici, quod aliquod a nobis initium existat, quod sit ratio effectus praedestinationis.

Unde fuerunt alii, qui dixerunt, quod merita sequentia praedestinationis effectum, sunt ratio praedestinationis, ut intelligatur quod ideo Deus dat gratiam alicui, et praeordinavit se ei daturum, quia praescivit eum bene usurum gratia; sicut si rex det alicui militi equum, quem scit eo bene usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, et id, quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem, quod id, quod est gratiae, est praedestinationis effectus; et hoc non potest poni ut ratio praedestinationis, cum hoc sub praedestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio praedestinationis, hoc erit praeter effectum praedestinationis. Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, et ex praedestinatione, sicut nec est distinctum quod est causa secunda, et causa prima. Divina enim providentia, producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum est. Unde et id, quod est per liberum arbitrium, est ex praedestinatione.

Dicendum est ergo, quod effectum praedestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo *in particulari*; et sic nihil prohibet, aliquem effectum praedestinationis esse causam, et rationem alterius; posteriorem quidem prioris, secundum rationem causae finalis; priorem vero posterioris, secundum rationem causae meritoriae, quae reducitur ad dispositionem materiae; sicut si dicamus, quod Deus praeordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis; et quod praeordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari praedestinationis effectus in communi; et sic impos-

sibile est, quod totus praedestinationis effectus in communi, habeat aliquam causam ex parte nostra; quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu praedestinationis; etiam ipsa praeparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit, nisi per auxilium divinum, secundum illud Thren. ult. 21: *converte nos Domine ad te, et convertemur.* Habet tamen, hoc modo, praedestinatio ex parte effectus pro ratione divinam bonitatem, ad quam totus effectus praedestinationis ordinatur ut in finem, et ex qua procedit sicut ex principio primo movente.

Objic. dicit Apostolus Rom. 8. 30: *quos praescivit, et praedestinavit:* et Glossa Ambrosii, super illud Rom. 9. *miserebor, cui miserebor* etc. dicit: *misericordiam illi dabo, quem praescio toto corde reversurum ad me.* Ergo videtur, quod praescientia meritorum sit causa praedestinationis. Praeterea: praedestinatio divina includit divinam voluntatem, quae irrationabilis esse non potest; cum praedestinatio sit propositum miserendi, ut Augustinus dicit l. 2 de Praed. Sanct. Sed nulla alia ratio potest esse praedestinationis, nisi praescientia meritorum. Praeterea: *non est iniquitas apud Deum,* ut dicitur Rom. 9. 14. Iniquum autem esse videtur, ut aequalibus inaequalia dentur: omnes autem homines sunt aequales, et secundum naturam, et secundum peccatum originale; attenditur autem in eis inaequalitas secundum merita, vel demerita propriorum actuum. Non igitur inaequalia praeparat Deus hominibus praedestinando, et reprobando, nisi propter differentium meritorum praescientiam.

Ad primum dicendum, quod usus gratiae praescitus, non est ratio collationis gratiae, nisi secundum rationem causae finalis, ut dictum est *in probatione propositionis.*

Ad secundum dicendum, quod praedestinatio habet rationem ex parte effectus in communi, ipsam divinam bonitatem; in particulari autem, unus effectus est ratio alterius, ut dictum est *in probatione propositionis.*

Ad tertium dicendum, *quod* hoc esset contra justitiae rationem, si praedestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia. In his enim, quae ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus, vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque praejudicio justitiae; et hoc est, quod dicit paterfamilias, Matt. 20. 15: *tolle quod tuum est, et vade: annon licet mihi quod volo facere?* ... *Caeterum,* voluit Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem, per modum misericordiae, parcendo, et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiae, puniendo. Et haec est ratio, quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat, et hanc causam assignat Apostolus Rom. 9. 22; et II Tim. 2. 20.... *Notandum, quod* Aug. dicit super Joannem, tract. 26: *quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.*

(a. 6.) Praedestinatio est certa, *hinc* super illud Rom. 8: *quos praescivit, hos et praedestinavit,* dicit Glossa ex Aug. l. 2. de dono persev. c. 14: praedestinatio est *praescientia, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Nec dicas,* quod praedestinatio non sit certa, quia super illud Apoc. 3. 11: *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam,* dicit Aug. l. de corrept. et gr. c. 13. quod *alius non est accepturus, nisi iste perdiderit; etenim* corona dicitur esse alicujus, dupliciter: uno modo ex praedestinatione divina, et sic nullus coronam suam amittit; alio modo ex merito gratiae. Quod enim meremur,

quodammodo nostrum est; et sic suam coronam aliquis amittere potest, per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur: non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundum illud Job. 34. 24: *conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.* Sic enim, in locum Angelorum cadentium, substituti sunt homines, et in locum Judaeorum, Gentiles. Substitutus autem in statum gratiae, etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit, quod de bonis, quae alius fecit, in aeterna vita gaudebit, in qua unusquisque gaudebit de bonis tam a se, quam ab aliis factis.

(a. 8.) Quaeritur, utrum praedestinatio possit juvari precibus Sanctorum. Circa hanc quaestionem, diversi errores fuerunt. Quidam enim attendentes certitudinem divinae praedestinationis, dixerunt superfluas esse orationes, vel quicquid aliud fiat, ad salutem aeternam consequendam, quia his factis, vel non factis, praedestinati consequuntur, reprobati non consequuntur. Sed contra hoc sunt omnes admonitiones Sacrae Scripturae, exhortantes ad orationem, et ad alia bona opera.

Alii vero dixerunt, quod per orationes mutatur divina praedestinatio: et haec dicitur fuisse opinio Aegyptiorum, qui ponebant, ordinationem divinam, quam fatum appellabant, aliquibus sacrificiis, et orationibus impediri posse. Sed contra hoc etiam est auctoritas Sacrae Scripturae: dicitur enim I. Reg. 15. 20: *porro triumphator Israel non parcet, neque poenitudine flectetur*: et Rom. 11. 29. dicitur, quod *sine poenitentia sunt dona Dei, et vocatio.*

Et ideo aliter dicendum, quod in praedestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa praeordinatio divina, et effectus ejus. Quantum igitur ad primum, nullo modo praedestinatio juvatur precibus

Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis praedestinetur a Deo. Quantum vero ad secundum, dicitur praedestinatio juvari precibus Sanctorum, et aliis bonis operibus, quia providentia, cujus praedestinatio est pars, non subtrahit causas secundas; sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiae; sicut igitur sic providentur naturales effectus, ut etiam causae naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent; ita praedestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam, sub ordine praedestinationis cadat quicquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriae, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde praedestinatis conandum est, et bene operandum, et orandum: quia per hujusmodi, praedestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur II. Petr. 1. 10: *satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, et electionem faciatis.*

(Q. 24.) DE LIBRO VITAE.

(a. 1.) Praedestinatorum conscriptio, dicitur liber vitae. Dicitur autem metaphorice aliquid conscriptum in intellectu alicujus, quod firmiter in memoria tenet . . . Unde ipsa Dei notitia, qua firmiter tenet, se aliquos praedestinasse ad vitam aeternam, dicitur liber vitae.

(a. 3.) *Quomodo autem* aliquis deleatur de libro vitae, *juxta illud* Psal. 68. 29: *deleantur de libro viventium,* quidam dicunt, quod de libro vitae nullus potest deleri secundum rei veritatem, potest tamen aliquis, secundum opinionem hominum. Est enim consuetum in Scripturis, ut aliquid dicatur

fieri, quando innotescit: et secundum hoc, aliqui dicuntur esse scripti in libro vitae, in quantum homines opinantur eos ibi scriptos, propter praesentem justitiam, quam in eis vident, sed quando apparet, vel in hoc saeculo, vel in futuro, quod ab hac justitia exciderint, dicuntur inde deleri. Et sic etiam exponitur in glossa deletio talis, super illud Psal. 68: *deleantur de libro viventium.*

Sed quia non deleri de libro vitae, ponitur inter praemia justorum, secundum illud Apoc. 3. 5: *qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitae;* (quod autem Sanctis repromittitur, non est solum in hominum opinione) potest dici, quod deleri, vel non deleri de libro vitae, non solum ad opinionem hominum referendum est, sed etiam quantum ad rem. Est enim liber vitae conscriptio ordinatorum in vitam aeternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus; scilicet ex praedestinatione divina, et haec ordinatio numquam deficit; et ex gratia: quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita aeterna; et haec ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex [gratia habita ad habendum vitam aeternam, a qua tamen deficiunt per peccatum mortale. Illi igitur, qui sunt ordinati ad habendum vitam aeternam ex praedestinatione divina, sunt simpliciter scripti in libro vitae, quia sunt ibi scripti ut habituri vitam aeternam in se ipsa; et isti numquam delentur de libro vitae. Sed illi, qui sunt ordinati ad habendum vitam aeternam, non ex praedestinatione divina, sed solum ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitae, non simpliciter, sed secundum quid, quia sunt ibi scripti ut habituri vitam aeternam, non in seipsa, sed in sua causa; et tales possunt deleri de libro vitae; ut deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid prae-

sciat, postea nesciat; sed ad rem scitam, quia scilicet Deus scit aliquem prius ordinari in vitam aeternam, et postea non ordinari, cum deficit a gratia.

(Q. 25.) DE DIVINA POTENTIA.

Post considerationem divinae praescientiae, et voluntatis, et eorum, quae ad hoc pertinent, restat considerandum de divina potentia.

(a. 1.) Manifestum est, quod unumquodque, secundum quod est actu, et perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus . . . Ostensum est autem supra, quod Deus est purus actus, et simpliciter, et universaliter perfectus, neque in eo ulla imperfectio locum habet. Unde sibi maxime competit, esse principium activum.

(a. 2.) *Pariter*, esse ejus est infinitum, in quantum non est limitatum per aliquid recipiens, ut patet per haec, quae dicta sunt, cum de infinitate divinae essentiae ageretur. Unde necesse est, quod activa potentia Dei sit infinita; (a. 3.) *nempe quod* sit omnipotens; *sive* possit omnia possibilia; . . . quaecumque *scilicet*, contradictionem non implicant. Et *hinc, quia* peccare est deficere a perfecta actione, et posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiae, propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens.

(a. 4.) *Neque* potest facere quod praeterita non fuerint, *quod* contradictionem implicat; *ideo* Aug. dicit contra Faustum l. 25. c. 5: *quisquis ita dicit: si Deus omnipotens est, faciat ut ea, quae sunt, facta non fuerint: non videt hoc se dicere, si Deus omnipotens est, faciat ut ea, quae vera sunt, eo ipso quod vera sunt, falsa sint.*

(a. 5.) *E contra,* Deus potest facere, quae non fecit; . . . *nempe* potest alia facere de potentia absoluta, quam quae praescivit, et praeordinavit se facturum; non tamen potest esse, quod aliqua faciat, quae non praesciverit, et praeordinaverit se facturum: quia ipsum facere subjacet praescientiae, et praeordinationi, non autem ipsum posse, quod est naturale. Ideo enim Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideo potest quia vult, sed quia talis est in sui natura . . . . *Unde,* licet iste cursus rerum sit determinatus istis rebus, quae nunc sunt, non tamen ad hunc cursum limitatur divina sapientia, et potestas. Unde licet istis rebus, quae nunc fiunt, nullus alius cursus esset bonus, et conveniens, tamen Deus posset alias res facere, et alium eis imponere ordinem . . . . *Sane* supra ostendimus Deum non agere quasi ex necessitate naturae, sed voluntatem ejus esse omnium rerum causam, neque etiam ipsam voluntatem naturaliter, et ex necessitate, determinari ad has res. Unde nullo modo iste cursus rerum sic ex necessitate a Deo provenit, quod alia provenire non possent.

(a. 6.) *Sequitur etiam,* quod Deus possit meliora facere ea, quae fecit. Licet *enim* Universum (suppositis istis rebus) non possit esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit . . . . potest tamen Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, et sic esset illud universum melius. *Nec dicatur, quod* quidquid Deus facit, potentissime, et sapientissime facit, ergo Deus non potest aliquid facere melius quam fecit. *Nam* si ly *melius* sit adverbium, et importet modum ex parte facientis, sic Deus non potest facere melius, quam sicut fecit: quia non potest facere ex majori sapientia, et bonitate. Si autem importet modum ex parte facti, sic

potest facere melius, quia potest dare rebus a se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia. *Excipe tamen*, quod humanitas Christi ex hoc, quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei, et Beata Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis; sicut non potest aliquid esse melius Deo.

(Q. 26.) DE DIVINA BEATITUDINE.

Ultimo autem, post considerationem eorum, quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, considerandum est de divina beatitudine.

(a. 1.) Beatitudo maxime Deo competit. Nihil *enim* aliud sub nomine beatitudinis intelligitur, nisi bonum perfectum intellectualis naturae, cujus est suam sufficientiam cognoscere in bono, quod habet; et cui competit, ut ei contingat aliquid, vel bene vel male, et sit suarum operationum domina. Utrumque autem istorum, excellentissime Deo convenit, scilicet perfectum esse, et intelligentem. Unde *beatitudo maxime* convenit Deo, (a. 2.) *Et quidem secundum* intellectum, *sicut* cujuslibet intellectualis naturae beatitudo, consistit in intelligendo. In Deo *nempe* non est aliud, esse, et intelligere, secundum rem, sed tantum secundum intelligentiae rationem. Attribuenda ergo est Deo beatitudo secundum intellectum, sicut et aliis beatis, qui per assimilationem ad beatitudinem ipsius, beati dicuntur.

(a. 3.) *Quo autem sensu*, Deus sit beatitudo cujuslibet beati, dicendum, quod beatitudo intellectualis naturae consistit in actu intellectus, in quo duo

possunt considerari, scilicet objectum actus, quod est intelligibile, et ipse actus, qui est intelligere. Si igitur beatitudo consideretur ex parte ipsius objecti, sic solus Deus est beatitudo: quia ex hoc solo est aliquis beatus, quod Deum intelligit, secundum illud Augustini in l. 5. Confess. c. 4: *beatus est, qui te novit, etiamsi alia ignoret.* Sed ex parte actus intelligentis, beatitudo est quid creatum in creaturis beatis; in Deo autem est, etiam secundum hoc, aliquid increatum.

Et haec dicta sufficiant de his, quae pertinent ad divinae essentiae unitatem.

TRACTATUS DE TRINITATE

Consideratis his, quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, restat considerare de his, quae pertinent ad trinitatem personarum in divinis. Et quia personae divinae secundum relationes originis distinguuntur, secundum ordinem doctrinae, prius considerandum est de origine, sive de processione; secundo, de relationibus originis; tertio, de personis.

(Q. 27.) DE PROCESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Vide Append. C. III. § 1.

(a. 1.) *Dari processionem in divinis, testatur Dominus*, Joan. 8. 42: *ego ex Deo processi.* Hanc processionem, diversi diversimode acceperunt. Quidam acceperunt hanc processionem, secundum quod effectus procedit a causa: et sic accepit Arius, dicens Filium procedere a Patre, sicut primam ejus creaturam, et Spiritum Sanctum procedere a Patre, et Filio, sicut creaturam utriusque. Et secundum hoc, neque Filius, neque Spiritus Sanctus esset verus Deus, quod est contra id, quod dicitur de Filio 1. Joan. ult. 20: *ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Et de Spiritu Sancto, dicitur 1. Cor. 6. 19: *nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* templum autem habere, solius Dei est.

Alii vero hanc processionem acceperunt, secundum quod causa dicitur procedere in effectum, in quantum vel movet ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimit; et sic accepit Sabellius, dicens ipsum Deum Patrem, Filium dici, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine; et eumdem dicit Spiritum Sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, et ad vitam movet. Huic autem acceptioni, repugnant verba Domini de se dicentis Joan. v. 19: *non potest facere a se filius quidquam:* et multa alia, per quae ostenditur quod non est ipse Pater, qui Filius.

Si quis autem diligenter consideret, uterque accepit processionem secundum quod est aliquid extra: unde neuter posuit processionem in ipso Deo; sed cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, sicut secundum actionem, quae tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio ad extra; ita secundum actionem, quae manet in ipso agente, attenditur processio quaedam ad intra. Et hoc maxime patet in intellectu, cujus actio, scilicet intelligere, manet in intelligente. Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae, ex ejus notitia procedens. Quam quidem conceptionem, vox significat, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis .... *igitur* fides catholica processionem ponit in divinis; ... secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis, a dicente, quod manet in ipso.

(a. 2.) Processio verbi in divinis, habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio conjuncto, et secundum rationem similitudinis: quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura existens, *quae omnia*

proprie generationem important, ut in viventibus, idcirco processio verbi in divinis, dicitur generatio, et ipsum Verbum procedens, dicitur Filius.

Neque valet objicere, quod in nobis talis processio secundum modum intelligibilem non dicitur generatio; *ideo neque in Deo dicenda sit; etenim,* intelligere in nobis, non est ipsa substantia intellectus, *sicut est in Deo* . . . Unde *in divinis,* Verbum procedens, procedit ut ejusdem naturae subsistens, et propter hoc dicitur proprie Genitum, et Filius . . . . ideo in Psalm. 11. 7: *ego hodie genui te,* . . . et ex persona divinae Sapientiae dicitur Prov. 8. 24: *nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: ante colles ego parturiebar.*

(a. 3.) *Verum* in divinis, est alia processio praeter processionem Verbi, . . . nam Spiritus Sanctus procedit a Patre, ut dicitur Joan. 15. ipse autem est alius a Filio, secundum illud Joan. 14. 16: *rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis. Haec autem altera processio,* est processio amoris; *intellectuali siquidem naturae, datur non solum actio intellectus, sed etiam actio voluntatis,* secundum quam amatum est in amante, sicut per conceptionem Verbi, res dicta, vel intellecta, est in intelligente.

(a. 4.) *Haec porro* processio amoris in divinis, non debet dici generatio, juxta illud Athanasii; *Spiritus Sanctus a Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Ad cujus evidentiam sciendum est, quod haec est differentia inter intellectum, et voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem, fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Processio igitur,

quae attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis, et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans, generat sibi simile. Processio autem, quae attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, et moventis in aliquid. Et ideo, quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus, quo nomine, quaedam vitalis motio, et impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum. *Nec dicatur:* quod procedit in divinis per modum amoris, procedit in similitudinem naturae, alias esset extraneum a natura divina, et sic esset processio ad extra; *et ideo,* quod procedit in divinis per modum amoris, procedit ut genitum. *Respondetur enim,* quod quidquid est in divinis, est unum cum divina natura. Unde ex parte hujus unitatis, non potest accipi propria ratio hujus processionis, vel illius, secundum quam, una distinguitur ab alia; sed oportet, quod propria ratio hujus, vel illius processionis, accipiatur secundum ordinem unius processionis ad aliam. Hujusmodi autem ordo attenditur secundum rationem voluntatis, et intellectus. Unde secundum horum propriam rationem sortitur in divinis nomen utraque processio, quod imponitur ad propriam rationem rei significandam: et inde est, quod procedens per modum amoris, et divinam naturam accipit, et tamen non dicitur natum, et processio, quae non est generatio, remansit sine speciali nomine; sed potest nominari *spiratio,* quia est processio spiritus . . . Similitudo *autem,* aliter pertinet ad verbum, et aliter ad amorem: nam ad verbum pertinet, in quantum ipsum est quaedam similitudo rei intellectae, sicut

genitum est similitudo generantis; sed ad amorem pertinet, non quod ipse amor sit similitudo, sed in quantum similitudo est principium amandi. Unde non sequitur, quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.

(a. 5.) *Ex his quoque facile derivatur,* quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi verbi, et amoris; *namque* processiones in divinis, accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent; hujusmodi autem actiones, in natura intellectuali, et divina non sunt nisi duae, scilicet intelligere et velle.

(Q. 28.) DE RELATIONIBUS DIVINIS.

(a. 1.) Relationes quaedam sunt in divinis realiter. *Et sane:* cum aliquid procedit a principio ejusdem naturae, necesse est quod ambo, scilicet procedens, et id, a quo procedit, in eodem ordine conveniant; et sic oportet, quod habeant reales respectus ad invicem: cum igitur processiones in divinis sint in identitate naturae, ut ostensum est, quaest. praeced. a. 2. et 4. necesse est, quod relationes, quae secundum processiones divinas accipiuntur, sint relationes reales. *Idque clarius patet ex eo,* quod Pater non dicitur nisi a paternitate, et Filius a filiatione. Si igitur paternitas, et filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiae tantum, quod est haeresis Sabelliana. *Sunt ergo in divinis, reales quaedam relationes.*

(a. 2.) *Absit autem, ut hae relationes in Deo sint quid diversum a sua essentia, sicut* circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse, sed errorem suum postmodum in Rhemensi Concilio revocasse;

et revera, omnis res, quae non est divina essentia, est creatura; sed relatio realiter competit Deo, *ut mox vidimus;* si ergo non est divina essentia, erit creatura; et ita ei non erit adoratio latriae exhibenda, contra quod in praefatione cantatur: *ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas.*

Quod ut magis constet, consideremus etiam in rebus creatis relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixae, quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum. Si vero consideretur relatio secundum quod est accidens, sic est inhaerens subjecto, et habens esse accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus consideravit relationem primo modo tantum. Quidquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale: nihil enim est in Deo, ut accidens in subjecto; sed quidquid est in Deo, est ejus essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiae divinae, idem omnino ei existens . . . et non differt nisi secundum intelligentiae rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae. Patet ergo, quod in Deo non est aliud esse relationis, et essentiae, sed unum, et idem.

(a. 3.) *Sequitur ex dictis, quod* relationes, quae sunt in Deo, realiter abinvicem distinguantur. Cum *enim* in Deo realiter sit relatio, ut dictum est a. 1. oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio, in sui ratione includit distinctionem. Unde oportet, quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quae est essentia,

in qua est summa unitas, et simplicitas, sed secundum rem relativam.

(a. 4.) *Sequitur quoque, quod* in Deo sint tantum quatuor relationes reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, et processio. Relationes *namque* reales, in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo non extra, sed intra. Hujusmodi autem processiones sunt duae tantum, ut supra dictum est, q. 27, a. 3. praecipue, quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quae est processio verbi; alia secundum actionem voluntatis, quae est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem, oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio, et alia ipsius principii. Processio autem verbi, dicitur generatio secundum propriam rationem, quae competit rebus viventibus. Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur paternitas: relatio vero procedentis a principio, dicitur filiatio. Processio vero amoris non habet nomen proprium, ut supra dictum est q. 27. a. 4. unde neque relationes, quae secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio principii hujus processionis spiratio; relatio autem procedentis processio: quamvis haec duo nomina ad ipsas processiones, vel origines pertineant, et non ad relationes.

Objici posset primo quod, considerandae sint in Deo relationes intelligentis ad intellectum, et volentis ad volitum; quae videntur esse relationes reales, nec sub *quatuor* praedictis continentur. Non ergo sunt solum quatuor reales relationes in Deo. *Secundo:* relationes reales accipiuntur *in Deo* secundum processionem intelligibilem verbi. Sed relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, ut Avicenna dicit. Ergo in Deo sunt infinitae relationes reales.

Ad primum dicendum, quod in his, in quibus differunt intellectus et intellectum, volens et volitum, potest esse realis relatio et scientiae ad rem scitam, et volentis ad rem volitam. Sed in Deo est idem omnino intellectus et intellectum: quia intelligendo se, intelligit omnia alia; et eadem ratione voluntas et volitum. Unde in Deo hujusmodi relationes non sunt reales, sicut neque relatio ejusdem ad idem. Sed tamen relatio ad verbum est realis: quia verbum intelligitur ut procedens per actionem intelligibilem, non autem ut res intellecta. Cum enim intelligimus lapidem, id quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur verbum.

Ad secundum dicendum, quod in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur: quia alio actu intelligit homo lapidem, et alio actu intelligit se intelligere lapidem, et alio etiam intelligit hoc intelligere; et sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, et per consequens relationes intellectae. Sed hoc in Deo non habet locum, quia uno actu tantum omnia intelligit.

(Q. 29.) DE PERSONIS DIVINIS.

Praemissis his, quae de processionibus, et relationibus praecognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de personis. Et primo secundum, considerationem absolutam, et deinde, secundum comparativam considerationem. Oportet autem absolute de personis primo quidem in communi considerare, deinde de singulis personis.

(a. 1.) *Juxta Boetium* l. de duabus nat. *persona est rationalis naturae iudividua substantia.*

(a. 2.) *Idque hypostasis nomine, graeci ex usu loquendi nuncupant.*

(a. 3.) *Quaerendum est nunc*, utrum nomen personae, et hypostas,is sit ponendum in divinis. *Utique sane, juxta* quod dicitur in symbolo Athanasii, *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.*

Nec obest, quod Hieronymus dicit in Epist. ad Damasc. in med. quod in hoc nomine hypostasis, venenum latet sub melle, *sicut neque officit dicere, quod* definitio personae supra posita non videtur Deo competere; quia ratio importat discursivam cognitionem, quae non competit Deo, et sic Deus non potest dici rationalis naturae. *Etenim* Hieronymus dicit sub hoc nomine venenum latere, quia antequam significatio hujus nominis esset plene nota apud Latinos, haeretici per hoc nomen simplices decipiebant, ut confiterentur plures essentias, sicut confitentur plures hypostases, propter hoc quod nomen substantiae, cui respondet in graeco nomen ὑπόστασις, communiter accipiatur apud nos pro essentià. *Ad secundum vero* dicendum, quod Deus potest dici rationalis naturae, secundum quod ratio non importat discursum, sed communiter intelligibilem naturam. Quidam autem dicunt, quod definitio superius a Boetio data, non est definitio personae secundum quod personas in Deo dicimus. Propter quod Richardus de S. Victore l. IV de Trin. c. 18. et 23. corrigere volens hanc definitionem, dixit quod *persona*, secundum quod de Deo dicitur, *est divinae naturae incommunicabilis existentia.*

(a. 4.) Persona in quacumque natura significat id, quod est distinctum in natura illa; sicut in humana natura significat has carnes, haec ossa, et hanc animam, quae sunt principia individuantia hominem: quae quidem licet non sint de significatione personae, sunt tamen de significatione personae humanae. Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis. Relatio autem in divinis

non est sicut accidens inhaerens subjecto, sed est ipsa divina essentia: unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita Paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina, significat relationem ut subsistentem.

(Q. 30.) DE PLURALITATE PERSONARUM IN DIVINIS.

Vide Append. C. III. § 1.

(a. 1.) Plures esse personas in divinis, sequitur ex praemissis. Ostensum est enim supra, a. 4. quaest. praec. quod hoc nomen persona, significat in divinis relationem ut rem subsistentem in natura divina. Supra autem habitum est, q. 27. a. 1. 3. 4. quod sunt plures relationes reales in divinis; unde sequitur quod sint plures res subsistentes in divina natura. Et hoc est esse plures personas in divinis.

Nec sequitur, quod plures sint substantiae; substantia *enim* non ponitur in definitione personae *a Boetio data,* secundum quod significat essentiam, sed secundum quod significat suppositum: quod patet ex hoc, quod additur *individua.* Ad significandam autem substantiam sic dictam, habent Graeci nomen hypostasis. Unde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentiae, propter nominis aequivocationem.

(a. 2.) Dicitur I. Joan. ult. 7: *tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.* Quaerentibus autem *quid tres?* re-

spondetur *tres personae*, ut Aug. dicit l. 7. de Trin. c. 4. *Jamque* dicendum, quod secundum praemissa, necesse est ponere tantum tres personas indivinis. Ostensum est enim, articulo praecedenti quod plures personae sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter distinctae. Realis autem distinctio inter relationes divinas non est, nisi ratione oppositionis relativae, ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quae autem relationes oppositae non sunt, ad eamdem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo, et filiatio, cum sint oppositae relationes, ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens, est persona Patris, et Filiatio subsistens, est persona Filii. Aliae autem duae relationes (*quatuor enim relationes esse in divinis, jam vidimus* q. 26. a. 4.) ad neutram harum oppositionem habent, sed sibi invicem opponuntur. Impossibile est igitur, quod ambae uni personae conveniant. Oportet ergo quod vel una earum conveniat utrique dictarum personarum, aut quod una uni, alia alii. Non autem potest esse quod processio conveniat Patri, et Filio, vel alteri eorum: quia sic sequeretur, quod processio intellectus (quae est generatio in divinis secundum quam accipitur Paternitas, et Filiatio) prodiret ex processione amoris secundum quam accipitur *spiratio*, et processio, si persona generans, et genita procederent a spirante: quod est contra praemissa, q. 26. a. 3. 4. Relinquitur ergo, quod spiratio conveniat et personae Patris, et personae Filii, utpote nullam habens oppositionem relativam nec ad paternitatem, nec ad filiationem, et per consequens oportet, quod conveniat processio alteri personae, quae dicitur persona Spiritus Sancti, quae per modum amoris procedit, ut supra habitum est q. 27. a. 4. Relinquitur ergo, tantum tres personas esse

in divinis, scilicet Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, licet sint quatuor relationes . . . et sic spiratio, quae non separatur a persona Patris, et Filii, sed convenit utrique, licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas, quia non convenit uni tantum personae: neque relatio personalis, idest constituens personam. Sed hae tres relationes Paternitas, Filiatio, et Processio dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes: nam Paternitas est persona Patris, Filiatio persona Filii, Processio persona Spiritus Sancti procedentis.

(Q. 31.) DE HIS, QUAE AD UNITATEM, VEL PLURALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

(a. 1.) *Hinc sequitur*, quod Athanasius in Symb. fid. dicit, quod *Unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate, veneranda sit* . . . Et sicut ponitur pluralitas personarum in divinis, ita utendum est nomine Trinitatis: quia hoc idem quod, significat pluralitas indeterminate, significat hoc nomen *Trinitas* determinate.

(Q. 32.) DE DIVINARUM PERSONARUM COGNITIONE.

Vide Append. C. III. § 2.

(a. 1.) *Videndum nunc* juvat, utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci. *Minime sane.* Ostensum est enim supra, q. 12. a. 4. 12. quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest.

nisi ex creaturis. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam . . . Virtus autem creativa Dei, est communis toti Trinitati; unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem, cognosci possunt de Deo ea, quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea, quae pertinent ad distinctionem personarum.

Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem ad dignitatem ipsius fidei, quae est ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt, unde Apost. dicit ad Hebr. 11. 1. quod *fides est de non apparentibus;* et idem Apostolus dicit I. Cor. 2. 6: *sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est.* Secundo, quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandum fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus.

Quae igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare nisi per auctoritates, his, qui auctoritates suscipiunt: apud alios vero, sufficit defendere non esse impossibile quod praedicat fides. Unde Dionysius dicit 11. cap. de divin. Nom. (non multum remote a princ. lect. 1.) *si aliquis est, qui totaliter eloquiis resistit, longe erit a nostra philosophia; si autem ad veritatem eloquiorum,* scilicet sacrorum, *respicit, hoc et nos canone utimur.*

Objiciet aliquis, quod inveniuntur a philosophis multa dicta de Trinitate personarum. Dicit enim Aristoteles in I. de Coelo, et Mundo: (tex. 2.) *per hunc numerum,* scilicet ternarium, *adhibuimus nos*

ipsos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quae sunt creata. Augustinus etiam dicit Confes: (c. 9. parum a princ.) *ibi legi,* scilicet in libris Platonicorum, *non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis, et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*... *Trismegistus* etiam dixit (in lib. qui dicitur *Pimander,* dialog. 4.): *Monas genuit Monadem, et in se suum reflexit ardorem.*

Verum Aristoteles non est sic intelligendus, quod ipse poneret ternarium numerum in divinis. Sed vult dicere, quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis, et orationibus propter quamdam ternarii numeri perfectionem. In libris autem Platonicorum, invenitur *in principio erat Verbum,* non secundum quod Verbum significat personam genitam in divinis, sed secundum quod per Verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae Filio appropriatur . . . ponebant *enim* Platonici unum primum ens, quod etiam dicebant esse patrem totius universitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, vel paternum intellectum; in qua erant notiones omnium rerum, sicut Macrobius (l. 1. non procul a med.) recitat super somnium Scipionis. Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, quae videretur Spiritui Sancto respondere. Sic autem nos non ponimus Patrem, et Filium secundum substantiam differentes; sed fuit error Origenis (tom. 11. super illud Joan. 1. et *Deus erat Verbum:* et idem refert Hieron. in Epist. ad Pamm. et Oceanum), et Arii sequentium Platonicos. Quod vero Trismegistus dicit *Monas monadem genuit, et in se suum reflexit ardorem,* non est referendum ad generationem Filii, vel proces-

sionem Spiritus Sancti, sed ad productionem mundi. Nam unus Deus produxit unum mundum, propter sui ipsius amorem.

Quo ex capite statim intelligitur, quod cognitio divinarum personarum fuit necessaria nobis, et *quidem* dupliciter. Uno modo ad recte sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia fecisse verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturae. Per hoc autem, quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliam causam extrinsecam, sed propter amorem suae bonitatis. Unde et Moyses postquam dixerat Gen. 1. 1: *in principio creavit Deus coelum, et terram:* subdit: *dixit Deus: fiat lux*, ad manifestationem divini verbi: et postea dixit: *vidit Deus lucem quod esset bona*, ad ostendendum probationem divini amoris. Et similiter in aliis operibus. Alio modo, et principalius, ad recte sentiendum de salute generis humani, quae perficitur per Filium incarnatum, et per donum Spiritus Sancti.

(a. 2.) *Quaeritur* utrum sint ponendae notiones in divinis . . . Ad hoc praecipue nos cogit haereticorum instantia. Cum enim confiteamur Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum esse unum Deum, et tres personas, quaerentibus, quo sunt unus Deus, et quo sunt tres, sicut respondetur quod sunt essentia, vel Deitate unum, ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit personas distingui: et hujusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significantes, ut Paternitas, et Filiatio.

(a. 3.) Notio *igitur* dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinae autem personae multiplicantur secundum originem. Ad ori-

ginem autem pertinet *a quo alius, et qui ab alio:* et secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, sed per hoc, quod a nullo est: et sic ex hac parte ejus notio est *innascibilitas.* Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter: quia in quantum Filius est ab eo, innotescit nomine *Paternitatis;* in quantum autem Spiritus Sanctus est ab eo, innotescit nomine *communis spirationis.* Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, et sic innotescit per *Filiationem;* et per hoc, quod est alius ab eo, scilicet Spiritus Sanctus, et per hoc innotescit eodem modo sicut et Pater, scilicet *communi spiratione.* Spiritus Sanctus autem innotescere potest per hoc, quod est ab alio, vel ab aliis, et sic innotescit *Processione;* non autem per hoc, quod alius sit ab eo, quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in divinis, scilicet *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communis Spiratio, et Processio.*

(a. 4.) Circa notiones, aliqui absque periculo haeresis contrarie sunt opinati, non intendentes sustinere aliquid contrarium fidei. Sed si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in haeresim laberetur.

(Q. 33.) DE PERSONA PATRIS.

(a. 1.) Consequenter considerandum est de personis in speciali. Dicit Augustinus l. IV. de Trin.: *Pater est principium totius Deitatis. Dicitur autem principium, et non causa,* quia principium communius est quam causa, et quanto aliquod nomen est communius, tanto convenientius assumitur in divi-

nis. Unde hoc nomen *causa*, videtur importare diversitatem substantiae, et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen *principii*. Graeci *tamen*, utuntur in divinis indifferenter nomine causae, sicut et nomine principii. *Notandum vero est*, quod licet hoc nomen *principium*, quantum ad id, a quo imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum, non tamen significat prioritatem, sed originem.

(a. 2.) *Recte autem, et proprie vocatur Pater*, quia *id, per quod* distinguitur persona Patris ab omnibus aliis, est paternitas, nomen *vero* proprium cujuslibet personae significat id, per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis. *Hinc* dicitur in Psal. 88. 27 *ipse invocavit me, Pater meus es tu.*

(a. 4.) *Dicitur quoque* ingenitus, quia in quantum est principium non de principio, innotescit per hoc quod non est ab alio: quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen *ingenitus*. *Ideo* dicit Hilarius IV. de Trin. prope finem: *est unus ab uno, scilicet ab ingenito genitus, proprietate videlicet in unoquoque, et innascibilitatis, et originis.*

(Q. 34.) DE PERSONA FILII.

Vide Append. Cap. III. § 3.

(a. 1.) *Quoad personam Filii, ei* attribuuntur tria nomina, scilicet *Filius, Verbum, et Imago.* Sed ratio Filii ex ratione Patris consideratur, unde restat considerandum de Verbo, et Imagine.

(a. 2.) Verbum proprie dictum, in divinis personaliter accipitur, et est proprium nomen personae Filii: significat enim quamdam emanationem intel-

lectus. Persona autem, quae procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius; et hujusmodi processio dicitur generatio, ut supra ostensum est, q. 27. a. 2. Unde relinquitur quod solus Filius proprie dicatur Verbum in divinis. *Verbum solus Filius accipitur*, S. Aug. l. VI. de Trin.

Objici potest: quicumque intelligit, intelligendo concipit verbum, sed Filius intelligit, ergo Filius est aliquod verbum, et sic non est proprium Filii esse Verbum. Praeterea Hebr. 1. 3. dicitur de Filio: *portans omnia verbo virtutis suae*, ex quo Basilius l. 5 contra Eunom. c. XI. accipit, quod Spiritus Sanctus sit Verbum Filii. Non est ergo proprium Filii, esse Verbum.

At dicendum *primo*, quod eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum... est autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus: unde est quidem intelligens, non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens.

Secundo dicendum, quod cum de Filio dicitur, *portans omnia verbo virtutis suae*, verbum figurate accipitur pro effectu verbi . . . *Et sic dum* Basilius interpretatur Verbum pro Spiritu Sancto, improprie, et figurate locutus est, prout Verbum alicujus dici potest omne illud, quod est manifestativum ejus, ut si ea ratione dicatur Spiritus Sanctus verbum Filii, quia manifestat Filium.

(a. 3.) *Quaeri potest*, utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam. *Utique, nam ut* dicit Aug. in l. 83 Quaestionum (quaest. 69) *in nomine Verbi significatur non solum respectus ad Patrem, sed etiam ad illa, quae per Verbum facta sunt operativa virtute.* Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam... *et* quia Deus uno actu et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum.

(Q. 35.) DE IMAGINE.

(a. 2.) *Quod persona Filii nedum Verbum, sed et imago vocari debeat,* docet Aug. VII. de Trin. cap. 11: *solus Filius est imago Patris. Advertendum est autem,* quod doctores Graecorum communiter dicunt Spiritum Sanctum esse imaginem Patris et, Filii; sed Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis. Non enim invenitur in canonica Scriptura nisi de Filio: dicitur enim ad Colos. 1. 15. *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturae,* et ad Heb. 1. 3: *qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus.* Hujus autem rationem assignant quidam *diversimode, et* dicendum est, quod sicut Spiritus Sanctus quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut et Filius, non tamen dicitur natus; ita licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago: quia Filius procedit ut Verbum, de cujus notione est similitudo speciei ad id, a quo procedit; non autem de ratione amoris, quamvis hoc conveniat amori, qui est Spiritus Sanctus in quantum est amor divinus.

(Q. 36.) DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

Vide Append. Cap. III. § 4.

Post considerationem praedictam, considerandum est de his, quae pertinent ad personam Spiritus Sancti, qui non solum dicitur Spiritus Sanctus, sed etiam amor, et donum Dei.

(a. 1.) Ad significandam divinam personam, quae procedit per modum amoris, accomodatum est ex usu Scripturae hoc nomen *Spiritus Sancti . . . Tres*

sunt, qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus I. Joan. ult. 7. ut autem Aug. dicit VII. de Trin. c. IV. et seq. *cum quaeritur quid tres? dicimus, tres personae* . . . . et hujus quidem convenientiae *nominis*, ratio sumi potest ex duobus. Primo quidem ex ipsa communitate ejus, quod dicitur Spiritus Sanctus. Ut enim Aug. dicit XV. de Trin. c. 18. et V. c. 11: *quia Spiritus Sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter. Nam et Pater est Spiritus, et Filius est Spiritus, et Pater est Sanctus, et Filius est Sanctus.* Secundo vero, ex propria significatione. Nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsionem quamdam, et motionem significare videtur: nam flatum, et ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris quod moveat, et impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quae in Deum ordinantur. Quia igitur persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus Sanctus nominatur. *Vid.* q. 27. a. 4.

(a. 2.) *Ex his, quae diximus* q. 27. a. 3. q. 30. a. 2. *sequitur, quod* Spiritus Sanctus procedat a Filio, *secundum* quod dicit Athanasius (in Symbolo) suo *Spiritus Sanctus a Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Si enim non esset a Filio, nullo modo posset ab eo personaliter distingui: quod ex supra dictis patet, q. 27. a. 3. et q. 30. a. 2 . . . *Sane* Pater habet duas relationes, quarum una refertur ad Filium, et alia ad Spiritum Sanctum, quae tamen quia non sunt oppositae, non constituunt duas personas, sed ad unam personam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio, et Spiritu Sancto non esset invenire nisi duas relationes, quibus uterque refertur ad Patrem, illae relationes non essent ad invicem oppositae, sicut

neque duae relationes, quibus Pater refertur ad illos. Unde sicut persona Patris est una, ita sequeretur quod persona Filii, et Spiritus Sancti esset una, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est haereticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo, quod Filius, et Spiritus Sanctus ad invicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in divinis aliae relationes oppositae, nisi relationes originis, ut supra probatum est, q. 28. a. 4. Oppositae autem relationes originis, accipiuntur secundum principium, et secundum quod est a principio. Relinquitur ergo, quod necesse est dicere, vel Filium esse a Spiritu Sancto quod nullus dicit; vel Spiritum Sanctum esse a Filio, quod nos confitemur; et huic quidem consonat ratio processionis utriusque.

Dictum est enim supra, q. 27. a. 2. 4. et q. 28. a. 4. quod Filius procedit per modum intellectus ut verbum, Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis ut amor. Necesse est autem quod amor a verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus. Unde et secundum hoc manifestum est, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio.

Ipse etiam ordo rerum hoc docet. Nusquam enim hoc invenimus quod ab uno procedant plura absque ordine nisi in illis solum, quae materialiter differunt, sicut unus faber producit multos cultellos materialiter ab invicem distinctos, nullum ordinem habentes ad invicem . . . Si ergo ab una persona Patris procedunt duae personae, scilicet Filius, et Spiritus Sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem. Nec potest aliquis ordo alius assignari, nisi ordo naturae, quo alius est ex alio. Non est igitur possibile dicere, quod Filius et Spiritus sic procedant a Patre, quod neuter eorum procedat ab

alio, nisi quis poneret in eis materialem distinctionem, quod est impossibile.

Unde etiam ipsi Graeci processionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, et esse a Patre per Filium: et quidam eorum dicuntur concedere quod sit a Filio, vel profluat ab eo, non tamen quod procedat: quod videtur vel ex ignorantia, vel ex protervia esse. Quia si quis recte consideret, inveniet processionis verbum inter omnia, quae ad originem qualemcumque pertinent, communissimum esse. Utimur enim eo ad designandam qualemcumque originem; sicut quod linea procedit a puncto, radius a sole, rivus a fonte, et similiter in quibuscumque aliis. Unde ex quocumque alio ad originem pertinente, potest concludi, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio.

Objiciunt, quod apud Joan. 16. 26. *et Concil. Constantinop.* 1. can. 7. *dicitur, solummodo Spiritum a Patre procedere ... sicut et ait Damascenus* l. 1. *orthod. fid.* c. XI. nullo igitur modo, *concludunt*, debuit addi in symbolo nostro quod Spiritus Sanctus procedat a Filio; sed videntur esse anathematis rei, qui hoc addiderunt.

Respondeo, quod licet per verba non inveniatur in Sacra Scriptura quod Spiritus Sanctus procedat a Filio, invenitur tamen quantum ad sensum, et praecipue ubi dicit Filius, Jo. 16. 14. de Spiritu Sancto loquens; *ille me clarificabit, quia de meo accipiet... Neque omissio in objecto textu, dici potest exclusio, sicut* cum Dominus Matth. 11. 27. dicit: *nemo novit Filium nisi Pater,* non excluditur quin Filius seipsum cognoscat. *Quoad Damascenum, notandum,* quod Spiritum Sanctum non procedere a Filio, primo fuit a Nestorianis introductum, ut patet in quodam symbolo Nestorianorum, damnato in Ephesina Synodo.

Et hunc errorem secutus fuit Theodoricus Nestorianus, et plures post ipsum: inter quos fuit etiam Damascenus. Unde in hoc ejus sententiae non est standum. Quamvis a quibusdam dicatur, quod Damascenus sicut non confitetur Spiritum Sanctum esse a Filio, ita etiam non negat, ex vi *suorum* verborum.

Quantum vero ad additionem in symbolo nostro factam, haec continebatur implicite in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus Sanctus a Patre procedere. *Porro* in quolibet Concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in Concilio damnabatur. Unde sequens Concilium non faciebat aliud symbolum quam primum, sed id, quod implicite continebatur in primo symbolo, per aliqua addita explanabatur contra haereses insurgentes. Unde in determinatione Chalcedonensis Synodi dicitur, quod *illi, qui fuerunt congregati in Concilio Constantinopolitano, doctrinam de Spiritu Sancto tradiderunt, non quod minus esset in praecedentibus, qui apud Nicaeam congregati sunt, inferentes, sed intellectum eorum adversus haereticos declarantes.* Quia igitur tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum Sanctum non procedere a Filio, non fuit necessarium quod hoc explicite poneretur; sed postea insurgente errore quorumdam, in quodam Concilio in occidentalibus partibus congregato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis, cujus auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur.

(a. 3.) *Quaerendum nunc*, utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium. *Maxime*, ut ait Hilarius l. XII de Trin. in fine, *conserva hunc oro fidei meae religionem, ut semper obtineam Patrem, scilicet te, et Filium tuum una tecum adorem, et Spiritum Sanctum tuum, qui est ex te per Unigenitum tuum, promerear. Et sane*, quia Filius habet a Patre, quod

ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici quod Pater per Filium spiret Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est.

(a. 4.) *Absit tamen, quod Pater et Filius dicantur esse duo principia Spiritus Sancti.* Pater *siquidem,* et Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti non opponantur relative, sequitur quod Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

(Q. 37.) DE NOMINE SPIRITUS SANCTI, QUOD EST AMOR.

Diximus quod alia duo sint nomina hujus tertiae divinae personae, nempe amor, et donum. (a. 1.) Nomen amoris in divinis sumi potest essentialiter, et personaliter: et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus Sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filii. *Vide* q. 27. a. 3. *et sic* Gregorius dicit in Hom. Pentecostes 30. in Evang. *ipse Spiritus Sanctus est amor.*

(a. 2.) *Quaeritur utrum dici possit, quod* Pater, et Filius diligant se Spiritu Sancto: *utique, ut* Aug. dicit VI. de Trin. c. 5. quod *Spiritus Sanctus est quo genitus a generante diligitur, genitoremque suum diligit. Notandum est autem, quod,* cum *diligere* in divinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet, et notionaliter; secundum quod essentialiter sumitur, sic Pater, et Filius non diligunt se Spiritu Sancto, sed essentia sua . . . Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic *diligere* nihil est aliud, quam spirare amorem; sicut dicere est producere verbum, et florere est producere flores. Sicut ergo dicitur

arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio se, et creaturam (in quantum Verbum genitum sufficienter repraesentat Patrem, et omnem creaturam) . . . et Pater, et Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente, et se, et nos, (in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primae, secundum quam Pater, *et Filius amant* se, et omnem creaturam).

(Q. 38.) DE NOMINE SPIRITUS SANCTI, QUOD EST DONUN.

(a. 2.) *Superest nunc ut videamus* utrum donum sit proprium nomen Spiritus Sancti. *Utique*, ut Aug. dicit in IV. de Trin. c. 20. *sicut natum esse, est Filium a Patre esse; ita Spiritum Sanctum donum Dei esse, est a Patre, et Filio procedere. Et sane* manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur . . . ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Unde cum Spiritus Sanctus procedat ut amor, sicut jam dictum est, procedit in ratione primi doni. Unde dicit Aug. XV. de Trin. c. 19. quod *per donum, quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.*

(Q. 39.) DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

Post ea, quae de personis divinis absolute tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, et ad proprietatem, et ad actus notionales, et de comparatione ipsarum ad invicem.

(a. 1.) In divinis essentia est idem quod persona; *ut* Aug. dicit. VII. de Trin. c. 6: *cum dicimus personam Patris non aliud dicimus quam substantiam Patris. Et revera,* divina simplicitas hoc requirit, quod in Deo sit idem essentia, et suppositum, quod in substantiis intellectualibus nihil est aliud quam persona. Sed difficultatem videtur ingerere quod multiplicatis personis divinis, essentia retinet unitatem . . . Sed, sicut supra ostensum est, q. 28, a. 2, sicut relationes in rebus creatis accidentaliter insunt, ita in Deo sunt ipsa essentia divina. Ex quo sequitur quod in Deo non sit aliud essentia, quam persona secundum rem, et tamen quod personae realiter ab invicem distinguantur; persona enim significat relationem prout est subsistens in natura divina. Relatio autem ad essentiam comparata, non differt re, sed ratione tantum, q. 28, a. 2. Comparata autem ad oppositam relationem, habet virtute oppositionis realem distinctionem q. 28, a. 3. Et sic remanet una essentia, et tres personae.

(a. 3.) *Sequitur secundo, quod ea nomina,* quae substantive essentiam significant, praedicantur de tribus personis singulariter tantum, et non pluraliter; quae vero adjective essentiam significant, praedicantur de tribus personis in plurali . . . *Sic* dicimus tres existentes, vel tres sapientes, aut tres aeternos, et increatos, et immensos, si adjective sumantur; si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, immensum, et aeternum, ut Athanasius dicit in symbolo . . . *Pariter,* licet Deus significet habentem deitatem, *quia tamen* Deus dicitur substantive, et habens deitatem dicitur adjective, *ideo* licet sint tres habentes deitatem, non tamen sequitur quod sint tres Dii.

(a. 4.) *Sequitur tertio, quod* nomina essentialia concreta, possint supponere pro persona, . . . *ut* in

symbolo dicitur *Deum de Deo, nam* hoc nomen Deus, ex modo significandi habet ut proprie possit *etiam* supponere pro persona; . . . *dum nempe* ex adjuncto determinatur ejus suppositio ad personam, *sicut* cum dicitur Deus generat, ratione actus notionalis, supponit hoc nomen Deus pro persona Patris.

(a. 5.) Nomina *autem* essentialia, in abstracto significata, *non* possunt supponere pro persona . . . Circa hoc erravit Abbas Joachim asserens, quod sicut dicitur Deus genuit Deum, ita potest dici quod essentia genuit essentiam: considerans quod propter divinam simplicitatem non est aliud Deus, quam divina essentia. . . . *At, ut vidimus,* hoc nomen *Deus* quia significat divinam essentiam ut in habente, ex modo suae significationis naturaliter habet quod possit supponere pro persona . . . . Sed hoc nomen *essentia,* non habet ex modo suae significationis quod supponat pro persona, quia significat essentiam ut formam abstractam.

(a. 6.) *Sequitur demum,* quod personae possint praedicari de nominibus essentialibus, *ut ait Aug.* in serm. 11 in coen. Dom: *credimus unum Deum, unam esse divini nominis Trinitatem; et sic* haec est vera essentia, est tres personae, . . . Deus est tres personae.

(a. 7.) Pariter, nomina essentialia sunt approprianda personis, *juxta* quod Apostolus dicit I. Cor. 1. 24: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

(a. 8.) *Ubi notandum est quod si* consideratur absolute Deus secundum esse suum, *tunc aeternitas* appropriatur Patri, *species* Filio, *usus (sive fruitio amoris)* Spiritui Sancto *ut ait* Hilarius II. de Trin: *aeternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere . . . Si vero Deus* consideratur ut unus, tunc cum Augustino l. 1 de doct. Christ c. 5. Patri appropriatur *unitas, Filio aequalitas,* Spiritui Sancto

concordia, sive *connexio* . . . . *Quod* si in Deo sufficiens virtus consideratur ad causandum, sumitur tertia appropriatio, scilicet *potentiae*, *sapientiae et bonitatis* . . . *Demum*, prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus, sumitur illa appropriatio, *ex quo*, *per quem*, *in quo*.

(Q. 40.) DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES, SIVE PROPRIETATES.

(a. 1.) Necesse est ponere proprietates in divinis, ut supra ostendimus, q. 32, a. 2. quae quidem significantur in abstracto, ut quaedam formae personarum. Unde cum de ratione formae sit, quod sit in eo, cujus est forma, oportet dicere proprietates esse in personis, et eas tamen esse personas; sicut essentiam esse in Deo dicimus, quae tamen est Deus.

(a. 2.) Melius dicitur, quod personae distinguantur relationibus, quam per originem. Licet enim distinguantur utroque modo, tamen prius, et principalius per relationes secundum modum intelligendi: unde hoc nomen *Pater*, non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim; sed hoc nomen *genitor*, *vel generans*, significat tantum proprietatem: quia hoc nomen *Pater* significat relationem, quae est distinctiva, et constitutiva hypostasis; hoc autem nomen *generans*, vel *genitus*, significat originem, quae non est distinctiva, et constitutiva hypostasis.

(a. 3.) Cum relatio sit, quae distingnit hypostases, et constituit, ut dictum est a. praec. relinquitur quod, relationibus personalibus remotis per intellectum, non remaneant hypostases.

(a. 4.) Actus notionales praeintelliguntur proprietatibus. *Sane* proprietas personalis Patris, potest considerari dupliciter: uno modo ut est relatio, et

sic iterum secundum intelligentiam praesupponit actum notionalem, quia relatio, in quantum hujusmodi, fundatur super actum; alio modo, secundum quod est constitutiva personae, et sic oportet quod praeintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens praeintelligitur actioni.

(Q. 41.) DE PERSONIS, IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES.

(a. 1.) Actus notionales sunt attribuendi personis, *nam* in divinis personis, attenditur distinctio secundum originem; origo autem convenienter designari non potest, nisi per aliquos actus. Ad significandum igitur originis ordinem in divinis personis, necessarium fuit attribuere personis actus notionales.

(a. 2.) *Patet, quod isti* actus notionales dici *possint voluntarii, per voluntatis* concomitantiam tantum, sicut possum dicere quod ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem: non autem quod sint voluntarii *eo sensu, quod* voluntas sit principium operis; . . . sicut dicitur quod artifex operatur voluntate . . . et ideo Ariani volentes ad hoc deducere quod Filius sit creatura, dixerunt quod Pater genuit Filium voluntate, secundum quod voluntas designat principium. Nobis *ergo* dicendum cum Aug. quod *neque voluntate genuit pater Filium, neque necessitate,* sed natura. Unde Hilarius dicit in l. de Synod., defin. 24: *omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio ex impassibili, ac non nata substantia perfecta nativitas.* Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit; Filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis et Deus est.

(a. 3.) Actus notionales sunt de aliquo, *et sic* Fulgentius dicit in I. de fide ad Petrum, c. 1: *Pater Deus solus de sua natura sine initio, genuit Filium sibi aequalem.* Filius *ergo* non est genitus de nihilo, sed de substantia Patris. (a. 4.) In divinis est potentia respectu actuum notionalium . . . *sic* necesse est, ut Patri attribuamus potentiam generandi, et Patri, et Filio potentiam spirandi: quia potentia generandi significat, id quo generans generat.

(a. 5.) Potentia generandi principaliter significat divinam essentiam, ut Magister dicit VII. dist. 1. Sent. non autem tantum relationem . . . . et secundum hoc Damascenus dicit l. 1 Orthod fid. c. 8, quod *generatio est opus naturae, non sicut generantis, sed sicut ejus, quo generans generat.*

(a. 6.) Actus notionalis ad plures personas terminari non potest . . . . sicut Athanasius dicit in Symbolo, in divinis est tantum *unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus.*

(Q. 42.) DE AEQUALITATE, ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM AD INVICEM.

(a. 1.) Athanasius in symbolo dicit, quod *tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales* . . . (a. 3.) In divinis personis est ordo secundum originem absque prioritate. Et hic vocatur ordo naturae, secundum Aug. l. contra Maxim. c. 4. non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

(a. 5.) Filius est in Patre, et e converso, *ut* dicitur Joan. 14. 10: *ego in Patre, et Pater in me est. Etenim* in Patre, et Filio tria est considerare, scilicet essentiam, et relationem, et originem: et secundum quodlibet istorum, Filius est in Patre,

et e converso. Secundum essentiam enim Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater: et similiter cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est ejus essentia. Et hoc est quod Hilarius dicit V. de Trin. prope finem: *naturam suam, ut ita dicam, sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus insit.* Secundum etiam relationes, manifestum est quod unum oppositorum relative est in altero, secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio Verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod Verbo dicitur, in Verbo continetur: et eadem ratio est de Spiritu Sancto.

(Q. 43.) DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Deinde considerandum est, de missione divinarum personarum.

(a. 1.) *Dari missionem in divinis, patet ex Joan. 8. 16. non sum ego solus, sed ego, et qui misit me Pater.* Missio *autem* divinae personae, *intelligenda est* secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio: sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incoepit in mundo esse per carnem assumptam; et tamen ante in mundo erat, ut dicitur Joan. 1. *Hinc sequitur, quod* missio non importat minorationem in eo, qui mittitur....

neque localem separationem a mittente,... non *enim* importat nisi processionem, originis quae est secundum aequalitatem, ut supra dictum est.

(a. 2.) Missio non solum importat processionem a principio, sed determinat processionis terminum temporalem, unde missio solum est temporalis, vel missio includit processionem eternam, et aliquid addit, scilicet temporalem effectum... *sic* Filius ab aeterno processit, ut sit Deus; temporaliter autem ut etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam ut sit in homine secundum invisibilem missionem.

(a. 3.) *Ista autem* missio invisibilis, non *est* nisi per gratiam gratum facientem, *ut* Aug. dicit III. de Trin. c. 4. quod *Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam.*

(a. 4. Cum Pater non sit ab alio, nullo modo convenit sibi mitti, licet ei conveniat inhabitare per gratiam . . . . sed solum Filio, et Spiritui Sancto, quibus convenit esse ab alio . . . (a. 5.) et etiam habitare per gratiam.

(a. 7.) Filius visibiliter missus est tamquam sanctificationis Auctor, sed Spiritus Sanctus, tamquam sanctificationis indicium.

(a. 8.) Si mittens designetur ut principium personae, quae mittitur, sic non quaelibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae: et sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus Sanctus autem, a Patre, et Filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam.

DE CREATIONE

(Q. 44.) UBI DE ANGELIS, ET DE HOMINE.

Vide Append. C. IV. § 1.

Post considerationem divinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum a Deo. Erit autem haec consideratio tripartita; ut primo consideretur de productione creaturarum; secundo, de earum distinctione; tertio de conservatione, et gubernatione.

(a. 1.) Rom. 11. 36. dicitur: *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Et sane* necesse est dicere, omne ens quod quocumque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter convenit, sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra cum de divina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum esse, per se subsistens: et iterum ostensum est q. 11. a. 4. quod esse subsistens non potest esse nisi unum; sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi una, cum albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo, quod omnia alia a Deo non sint suum esse, sed participent esse. Necesse est igitur omnia, quae diversificantur secundum diversam participationem essendi, ut sint perfectius, vel minus perfecte, causari ab uno primo ente, quod perfectissime est.

Unde et Plato dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere unitatem: et Aristoteles dicit in II. Met. quod id, quod est maxime ens, et maxime verum, est causa omnis entis, et omnis veri, sicut id, quod maxime calidum est, est causa omnis caliditatis.

(a. 2.) *Attamen* antiqui Philosophi *nonnisi* paulatim, et quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis. A principio enim quasi grossiores existentes, non existimabant esse entia, nisi corpore sensibilia . . . . supponentes ipsam substantiam corporum increatam . . . . Ulterius aliqui erexerunt se ad considerandum ens, in quantum est ens; et consideraverunt causam rerum, non solum secundum quod sunt haec, vel talia, sed secundum quod sunt entia . . . . et sic oportet ponere etiam materiam primam, creatam ab universali causa entium.... *Sic* Aug. dicit L. 12. Confes. c. 7: *duo fecisti Domine: unum prope te, scilicet Angelum; aliud prope nihil, scilicet materiam primam.*

(a. 3.) Deus est *quoque* causa exemplaris rerum . . . Exemplar *enim*, est idem quod idea. Sed ideae secundum quod Aug. q. 46. dicit, sunt formae principales, quae divina intelligentia continentur. Ergo exemplaria rerum non sunt extra Deum, *sed in Deo.*

(a. 4.) Deus *pariter* est causa finalis omnium, *secundum* quod dicitur Prov. 16. 4: *universa propter semetipsum operatus est Dominus* . .. . Primo enim agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est ejus bonitas: et unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis, et bonitatis divinae. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium.

(Q. 45.) DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

(a. 1.) Emanationem totius entis a causa universali, quae est Deus, designamus nomine creationis . . . (a. 6.) *et quia* creare convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quae est communis tribus personis, *ideo* creare non est proprium alicui personae, sed commune toti Trinitati.... *Quod si* in symbolo fidei, Patri attribuitur quod sit creator omnium visibilium, et invisibilium; Filio autem attribuitur quod per eum omnia facta sunt, et Spiritui Sancto quod sit Dominus, et vivificator; . . *ideo* creatorem esse attribuitur Patri ut ei, qui non habet virtutem creandi ab alio; de Filio autem dicitur Joan. 1. 3. *per quem omnia facta sunt*, in quantum habet eamdem virtutem, sed ab alio: nam haec praepositio *per*, solet denotare causam mediam, sive principium de principio. Sed Spiritui Sancto, qui habet eamdem virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet, et vivificet quae sunt creata a Patre, per, Filium. Potest etiam hujus attributionis communis ratio accipi ex appropriatione essentialium attributorum. Nam sicut supra dictum est, q. 39, a. 8 Patri attribuitur, et appropriatur potentia, quae maxime manifestatur in creatione; et ideo attribuitur Patri creatorem esse. Filio autem appropriatur Sapientia, per quam agens per intellectum operatur; et ideo dicitur de Filio: *per quem omnia facta sunt*. Spiritui Sancto autem appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio, deducens res in debitos fines, et vivificatio, nam vita in interiori quodam motu consistit: primum autem movens, est finis, et bonitas.

(a. 7.) *Quia* autem processiones divinarum personarum attenduntur secundum actus intellectus, et voluntatis, nam Filius procedit ut verbum intellectus, Spiritus Sanctus ut amor voluntatis, *idcirco* in creaturis rationabilibus, in quibus est intellectus, et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum, et amor procedens. In creaturis *vero* omnibus, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas personas sicut in causam. Quaelibet enim creatura subsistit in suo esse, et habet formam, per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quaedam substantia creata, repraesentat causam, et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium, non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam, et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repraesentat Spiritum Sanctum, in quantum est amor: quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Aug. in l. 6. de Trin., c. 10. quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura.

(Q. 49.) DE PRINCIPIO CREATIONIS RERUM CREATARUM.

(a. 1.) *Ex dictis sequitur, quod mundus non sit aeternus. Nec dicas:* Deus aut est prior mundo natura tantum, aut duratione; si natura tantum; ergo cum Deus sit ab aeterno, et mundus est ab aeterno. Si autem est prior duratione; prius autem,

et posterius in duratione constituunt tempus; ergo ante mundum fuit tempus, quod est impossibile. Praeterea. Cujus actio est aeterna, et effectus est aeternus. Sed actio Dei est ejus substantia, quae est aeterna, ergo et mundus est aeternus.

Resp. quod Deus est prior mundo duratione. Sed ly *prius*, non designat prioritatem temporis, sed aeternitatis. Vel dicendum, quod designat aeternitatem temporis imaginati, et non realiter existentis. Ad *alterum resp.* quod posita actione, sequitur effectus secundum exigentiam formae, quae est principium actionis. In agentibus autem per voluntatem, quod conceptum est, et praedefinitum, accipitur ut forma, quae est principium actionis. Ex actione igitur Dei aeterna, non sequitur effectus aeternus, sed qualem Deus voluit, ut scilicet haberet esse, post non esse.

(a. 3.) Et *ideo*, illud verbum Gen. 1 *in principio creavit Deus coelum, et terram*, tripliciter exponitur, ad excludendum tres errores. Quidam enim posuerunt mundum semper fuisse, et tempus non habere principium: et ad hoc excludendum exponitur: in *principio*, scilicet temporis. Quidam vero posuerunt duo esse creationis principia, unum bonorum, aliud malorum: et ad hoc excludendum exponitur *in principio*, idest in Filio. Sicut enim principium effectivum appropriatur Patri propter potentiam, ita principium exemplare appropriatur Filio, propter sapientiam . . . . Alii vero dixerunt corporalia esse creata a Deo mediantibus creaturis spiritualibus: et ad hoc excludendum, exponitur *in principio creavit Deus coelum, et terram*, idest ante omnia. Quatuor enim ponuntur simul creata, scilicet coelum empyreum, materia corporalis, quae nomine terrae intelligitur, tempus, et natura angelica.

(Q. 47.) DE DISTINCTIONE RERUM IN COMMUNI.

Post productionem creaturarum in esse, considerandum est de distinctione earum. Erit autem haec consideratio tripartita. Nam primo, considerabimus de distinctione rerum in communi: secundo, de distinctione boni, et mali: tertio, de distinctione spiritualis et corporalis creaturae.

Circa primum quaeruntur tria; primo, de ipsa rerum multitudine, seu distinctione, secundo, de earum inaequalitate; tertio, de unitate mundi.

(a, 1.) Causam distinctionis rerum multipliciter aliqui assignaverunt. Quidam enim attribuerunt eam soli materiae, sicut Democritus, et omnes antiqui naturales; *quidam* vero, materiae, et agenti simul, ut Anaxagoras, qui posuit intellectum distinguentem res, extrahendo quod erat permixtum in materia. Quidam vero attribuerunt distinctionem rerum secundis agentibus, sicut Avicenna. *Patet autem*, quod distinctio rerum, et multitudo est ex intentione primi agentis, quod est Deus, . . . et bonitas quae in Deo est simpliciter, et uniformiter, in creaturis est multipliciter, et divisim: unde perfectius participat divinam bonitatem, et repraesentat eam totum universum, quam alia quaecumque creatura. Et quia ex divina sapientia est causa distinctionis rerum, ideo Moyses dicit res esse distinctas verbo Dei, quod est conceptio sapientiae, et hoc est quod dicitur Gen. 1. 3: *dixit Deus: fiat lux, et divisit lucem a tenebris.*

(a. 2.) Sicut *autem* sapientia Dei est causa rerum, ita et inaequalitatis. *Obiici potest primo;* quod optimi est optima adducere, sed inter optima, unum non est majus altero, ergo Dei, qui est optimus, est omnia aequalia facere. Praeterea, aequalitas est

effectus unitatis, sed Deus est unus, ergo fecit omnia aequalia; *tertio* justitiae, est inaequalia inaequalibus dare: sed Deus est justus in omnibus operibus suis: cum ergo operationi ejus, qua esse rebus communicat, non praesupponatur aliqua inaequalitas rerum, videtur quod fecerit omnia aequalia.

Ad primum dicendum, quod optimi agentis est producere totum effectum suum optimum; non tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum: tolleretur enim bonitas animalis, si quaelibet pars ejus, oculi haberet dignitatem . . . Ad secundum dicendum, quod primum quod procedit ab unitate, est aequalitas; et deinde procedit multiplicitas: et ideo a Patre, cui secundum Aug. l. 1. de Doct. Chr. c. 5. appropriatur unitas, processit Filius, cui appropriatur aequalitas, et deinde creatura, cui competit inaequalitas: sed tamen etiam a creaturis participatur quaedam aequalitas, scilicet proportionis. Ad tertium dicendum, quod ratio illa est quae movit Origenem l. 1. Periar. c. 7. *ut diceret* quod Deus primo creavit creaturas rationales tantum, omnes aequales, in quibus primo exorta est inaequalitas ex libero arbitrio . . . illae, quae ad Deum per liberum arbitrium conversae sunt, promotae sunt ad diversos ordines Angelorum pro diversitate meritorum. Illae, autem quae aversae sunt a Deo, sunt corporibus alligatae diversis, secundum diversitatem peccati: et hanc causam dicit esse creationis, et diversitatis corporum. Sed secundum hoc, universitas corporalium creaturarum non esset propter bonitatem Dei communicandam creaturis, sed ad puniendum peccatum: quod est contra illud, quod dicitur Gen. 1. 31: *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Objecta igitur* ratio, non habet locum nisi in retributione praemiorum,

quorum inaequalitas debetur inaequalibus meritis. Sed in constitutione rerum, non est inaequalitas partium per quamcumque inaequalitatem praecedentem, vel meritorum, vel etiam dispositionis materiae, sed propter perfectionem totius.

(a. 3.) *Quod* sit unus mundus tantum, . . . ipse ordo in rebus sic a Deo creatis existens, manifestat. Mundus enim iste, unus dicitur unitate ordinis, secundum quod quaedam ad alia ordinantur. Quaecumque autem sunt a Deo, ordinem habent ad invicem, et ad ipsum Deum. Unde necesse est, quod omnia ad unum mundum pertineant, et ideo potuerunt ponere plures mundos, qui causam mundi non posuerunt aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, ut Democritus, qui dixit ex concursu atomorum factum esse hunc mundum, et alios infinitos.

(Q. 48.) DE DISTINCTIONE RERUM IN SPECIALI.

Deinde considerandum est, de distinctione rerum in speciali: et primo, de distinctione boni, et mali; deinde de distinctione spiritualis, et corporalis creaturae.

(a. 2.) Sicut perfectio universitatis rerum requirit, ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia; ita perfectio universi requirit, ut sint quaedam, quae a bonitate deficere possint, ad quod sequitur, ea interdum deficere. In hoc autem consistit ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono. Unde manifestum est, quod in rebus malum invenitur, sicut et corruptio; nam et ipsa corruptio malum quoddam est.

(a. 3.) Malum *autem*, est in bono sicut in subjecto, *secundum* quod Augustinus dicit in Enchir.

c. 14. quod *malum non est nisi in bono. Et sane,* malum importat remotionem boni. Non autem quaelibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni, et privative, et negative. Remotio igitur boni negative accepta, mali rationem non habet: alioquin sequeretur, quod ea, quae nullo modo sunt, mala essent; et iterum quod quaelibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei; utpote quod homo esset malus, quia non habet velocitatem caprae, vel fortitudinem leonis. Sed remotio boni privative accepta, malum dicitur, sicut privatio visus caecitas dicitur. Subjectum autem privationis, et formae, est unum, et idem, scilicet ens in potentia . . . omne autem ens in potentia in quantum hujusmodi, bonum quoddam est, secundum quod habet ordinem ad bonum. Sicut enim est ens in potentia, ita et bonum in potentia. Relinquitur ergo, quod subjectum mali sit bonum.

(a. 4.) Aug. in Enchir. c. 12. dicit, quod *malum non potest totaliter consumere bonum.* Ad cujus evidentiam, considerandum est, quod est triplex bonum. Quoddam, quod per malum totaliter tollitur, et hoc est bonum oppositum malo; sicut lumen totaliter per tenebras tollitur, et visus per caecitatem. Quoddam vero bonum est, quod nec totaliter tollitur per malum, nec diminuitur, scilicet bonum, quod est subjectum mali; non enim per tenebras aliquid de substantia aeris diminuitur. Quoddam vero bonum est, quod diminuitur quidem per malum, sed non totaliter tollitur: et hoc bonum est habilitas subjecti ad actum . . . Sic in infinitum potest fieri additio in peccatis, per quae semper magis, ac magis minuitur habilitas animae ad gratiam: quae quidem peccata sunt quasi obstacula interposita inter nos, et Deum, secundum illud Isaiae 59. 2: *peccata nostra diviserunt inter nos, et Deum.* Neque tamen

tollitur totaliter ab anima praedicta habilitas, quia consequitur naturam ipsius.

(a. 5.) Malum dividitur per poenam, et culpam... Malum, quod est per subtractionem formae, et integritatis rei, habet rationem poenae, et praecipue supposito quod omnia divinae providentiae, et justitiae subdantur, ut supra ostensum est q. 22, a. 2. de ratione enim poenae est, quod sit contraria voluntati. Malum autem, quod consistit in subtractione debitae operationis in rebus voluntariis, habet rationem culpae: hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta actione, cujus dominus est secundum voluntatem. Sic igitur omne malum in rebus voluntariis consideratum, est poena, vel culpa.

(a. 6.) Culpa *autem*, habet plus de ratione mali, quam poena: et non solum quam poena sensibilis, quae consistit in privatione corporalium bonorum, cujusmodi poenas plures intelligunt; sed etiam universaliter accipiendo poenam, secundum quod privatio gratiae, vel gloriae, poenae quaedam sunt.

(Q. 49.) DE CAUSA MALI.

(a. 1.) *Quaeritur nunc*, utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali .... Respondeo dicendum, quod malum, quod in defectu actionis consistit, semper causatur ex defectu agentis. In Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio. Unde malum, quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, *ut evenit* in *peccatore*, non reducitur in Deum sicut in causam.

Dices: effectus causae secundae reducitur in causam primam, ergo *et defectus, et malum. At* effectus causae secundae deficientis, reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id, quod

habet entitatis, et perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu: sicut quicquid est motus in claudicatione, causatur a virtute motiva; sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Et similiter quicquid est entitatis, et actionis in actione mala, reducitur in Deum sicut in causam; sed quod est ibi defectus, non causatur a Deo, sed ex causa secunda deficiente.

Sed malum, quod in corruptione rerum aliquarum consistit, reducitur in Deum sicut in causam. Et hoc patet tam in naturalibus, quam in voluntariis. Etenim aliquod agens in quantum sua virtute producit aliquam formam, ad quam sequitur corruptio, et defectus, causat sua virtute illam corruptionem, et defectum. Manifestum est autem, quod forma, quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, est bonum ordinis universi. Ordo autem universi requirit, ut supra dictum est q. 48 a. 2. quod quaedam sint, quae deficere possint, et interdum deficiant. Et sic Deus in rebus causando bonum ordinis universi, ex consequenti, et quasi per accidens, causat corruptionem rerum, secundum illud, quod dicitur I. Reg. 2. 6: *Dominus mortificat, et vivificat.* Sed quod dicitur Sap. 1. 13. quod, *Deus mortem non fecit*, intelligitur quasi per se intentam. Ad ordinem autem universi pertinet etiam ordo justitiae, qui requirit ut peccatoribus poena inferatur. Et secundum hoc, Deus est auctor mali, quod est poena, non autem mali, quod est culpa, ratione supradicta.

(a. 3.) Qui autem posuerunt duo prima principia, unum bonum, et alterum malum, ex eadem radice in errorem inciderunt, ex qua et aliae extraneae positiones antiquorum ortum habuerunt: quia scilicet, non consideraverunt causam universalem to-

tius entis, sed particulares tantum causas, particularium effectuum. Propter hoc enim, si aliquid noverunt esse nocivum alicui rei per virtutem suae naturae, aestimaverunt naturam illius rei esse malam . . . Similiter etiam qui invenerunt duorum particularium effectuum contrariorum, duas causas particulares contrarias, nesciverunt reducere causas particulares contrarias in causam universalem communem: et ideo, usque ad prima principia, contrarietatem in causis esse judicaverunt.

(Q. 50.) DE SUBSTANTIA ANGELORUM ABSOLUTE.

Vide Append. C. IV. § 2.

Post haec, considerandum est de distinctione corporalis, et spiritualis creaturae: et primo de creatura pure spirituali, quae in Scriptura Sacra Angelus nominatur; secundo, de creatura pure corporali; tertio, de creatura composita ex corporali, et spirituali, quae est homo. Circa vero Angelos, considerandum est primo, de his, quae pertinent ad eorum substantiam. Secundo de his, quae pertinent ad eorum intellectum. Tertio de his, quae pertinent ad eorum voluntatem. Quarto de his, quae pertinent ad eorum creationem.

(a. 1.) *Quod* Angelus sit omnino incorporeus, dicitur in Psal. 103. 4: *qui facit Angelos suos spiritus. Sane,* necesse est ponere ad hoc, quod universum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura, *quae assimiletur Deo per intellectum, et voluntatem.* Antiqui autem, ignorantes vim intelligendi, et non distinguentes inter sensum, et intellectum, nihil esse existimaverunt in mundo, nisi

quod sensu, et imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginatione non cadit nisi corpus, existimaverunt quod nullum ens esset nisi corpus, ut Philosophus dicit in IV. Physic. et ex his processit Sadducaeorum error, dicentium non esse spiritum. Sed hoc ipsum, quod intellectus est altior sensu, rationabiliter ostendit, esse aliquas res incorporeas, a solo intellectu comprehensibiles.

(a. 2.) Angelus non est compositus ex materia, et forma . . . intelligere *enim*, est operatio penitus immaterialis . . . unde relinquitur, quod substantia intellectus, est omnino immaterialis.

(a. 3.) *Quod* Angeli sint in magno numero, *patet ex* Dan. 7. 10. *millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei.* Dicendum est etiam, quod Angeli secundum quod sunt immateriales substantiae, in quadam multitudine maxima sunt, omnem materialem multitudinem excedentes: Et hoc est, quod dicit Dionysius c. 14. coel. hier: *multi sunt beati exercitus supernarum mentium, infirmam, et constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum multitudinem.*

(a. 4.) Quidam dixerunt, omnes substantias spirituales esse unius speciei, etiam animas. Alii vero, quod omnes Angeli sunt unius speciei, sed non animae. Quidam vero, quod omnes Angeli unius hierarchiae, aut etiam unius ordinis.

Sed hoc est impossibile; ea enim, quae conveniunt specie, et differunt numero, conveniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia, et forma, ut dictum est a. 2., sequitur, quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei; sicut etiam impossibile esset dicere, quod essent plures albedines separatae, aut plures humanitates; cum albedines non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus sub-

stantiis. Si tamen Angeli haberent materiam, nec sic possent esse plures Angeli unius speciei. Sic enim oporteret, quod principium distinctionis unius ab alio, esset materia, non quidem secundum divisionem quantitatis, cum sint incorporei, sed secundum diversitatem potentiarum: quae quidem diversitas materiae, causat diversitatem, non solum speciei, sed generis.

(a. 5.) Ipsa immaterialitas Angeli, est ratio quare Angelus est incorruptibilis secundum suam naturam.

(Q. 51.) DE COMPARATIONE ANGELORUM AD CORPORA.

(a. 2.) *Angeli etsi corpus non habeant, illud* interdum assumunt; ut Aug. dicit l. 16. de Civ. Dei c. 29. quod Angeli in assumptis corporibus, Abrahae apparuerunt. Quidam dixerunt, Angelos nunquam corpora assumere, sed omnia, quae in Scripturis divinis leguntur de apparitionibus Angelorum, contigisse in visione prophetiae, hoc est secundum imaginationem. Sed hoc repugnat intentioni Scripturae. Illud enim, quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis. Unde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem divina, sic introducit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur: sicut Angeli Abrahae visi sunt ab eo, et tota familia ejus, et a Loth, et a civibus Sodomorum: similiter Angelus, qui apparuit Tobiae, ab omnibus videbatur. Ex quo manifestum fit, hujusmodi contigisse secundum corpoream visionem, qua videtur id, quod positum est extra videntem, unde ab omnibus videri potest. Tali autem visione, non videtur nisi corpus.

(a. 3.) *Caeterum*, corpora assumpta ab Angelis non vivunt, ... (corpus enim assumptum, unitur Angelo non quidem ut formae, neque solum ut motori, sed ut motori raepresensato per corpus mobile assumptum) . . . ergo nec opera vitae, per eos exerceri possunt . . . Nec repugnat veritati sanctorum Angelorum, quod per corpora ab eis assumpta videntur homines viventes, licet non sint. Non enim assumuntur, nisi ut per proprietates hominis, et opera hominis, spirituales proprietates Angelorum, et eorum spiritualia opera designentur . . . Angeli proprie non loquuntur per corpora assumpta; sed est aliquid simile locutioni, in quantum formant sonos in aere, similes vocibus humanis . . . . Nec etiam comedere, proprie loquendo, Angelis convenit. . . et hoc est, quod Angelus dixit Tobiae 12. 19: *cum essem vobiscum, videbar quidem manducare et bibere; sed ego potu invisibili, et cibo, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

(Q. 52.) DE COMPARATIONE ANGELORUM AD LOCA.

(a. 1.) Per applicationem virtutis Angelicae ad aliquem locum qualitercumque, dicitur Angelus esse in loco corporeo . . . . *Et sicut* anima est in corpore ut continens, et non ut contenta; similiter Angelus dicitur esse in loco corporeo, non ut contentu, sed ut continens aliquo modo.

(a. 2.) Cum Angelus sit in loco, per applicationem virtutis suae ad locum, sequitur quod non sit ubique, nec in pluribus locis, sed in uno loco tantum.

(a. 3.) Nec plures Angeli possunt esse simul in eodem loco . . . cum *enim* Angelus dicatur esse

in loco per hoc, quod virtus ejus immediate contingit locum per modum continentis perfecti, ut dictum est, a. 1. non potest esse nisi unus Angelus in uno loco.

(Q. 53.) DE MOTU LOCALI ANGELORUM.

(a. 1.) Angelus potest dimittere successive locum divisibilem, in quo prius erat; et sic motus ejus erit continuus. Et potest etiam totum locum simul dimittere, et toti alteri loco simul se applicare; et sic motus ejus, non erit continuus.

(a. 2.) Motus Angeli est in tempore. In continuo quidem tempore, si sit motus ejus continuus; in non continuo autem, si motus sit non continuus.

(Q. 54.) DE COGNITIONE ANGELORUM.

Consideratis his, quae ad substantiam Angeli pertinent, procedendum est ad cognitionem ipsius. Haec autem consideratio, erit quadripartita. Nam primo, considerandum est de his, quae pertinent ad virtutem cognoscitivam Angeli. Secundo, de his, quae pertinent ad medium cognoscendi ipsius. Tertio, de his, quae ab eo cognoscuntur. Quarto, de modo cognitionis angelicae.

(a. 1.) In solo Deo sua substantia est suum esse, et suum agere . . . . (a. 3.) In Angelo autem, non est idem intelligere, et esse, nec aliqua alia operatio, aut in ipso, aut in quocumque alio creato est idem, quod ejus esse. Unde essentia Angeli non est ejus potentia intellectiva; nec alicujus creati essentia, est ejus operativa potentia.

(a. 4.) Quia Angeli neque sunt quandoque intelligentes in potentia tantum, respectu eorum, quae naturaliter intelligunt; neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu; intelligunt enim primo, et principaliter res immateriales, ut infra patebit q. seq., ideo non potest in eis esse intellectus agens, et possibilis, nisi aequivoce.

(a. 5.) *Quia* Angeli non habent corpora sibi naturaliter unita, ut ex supradictis patet, q. 51. a. 1. *ideo* de viribus animae non possunt eis competere nisi intellectus, et voluntas . . . Et hoc convenit ordini universi, ut suprema creatura intellectualis sit totaliter intellectiva, et non secundum partem, ut anima nostra. Et propter hoc, etiam Angeli vocantur intellectus, et mentes.

(Q. 55.) DE MEDIO COGNITIONIS ANGELICAE.

(a. 1.) Solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam, Angelus autem per suam essentiam non potest omnia cognoscere, sed oportet, intellectum ejus aliquibus speciebus perfici, ad res cognoscendas.

(a 2.) *Non autem* Angeli intelligunt per species a rebus acceptas . . . Substantiae *enim* superiores, idest Angeli, sunt a corporibus totaliter absolutae, immaterialiter, et in esse intelligibili subsistentes; et ideo, suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt, simul cum intellectuali natura.

(a. 3.) *Quia solum* in Deo tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in uno, scilicet in essentia divina, per quam Deus omnia cognoscit; quae quidem intelligibilis plenitudo in intelligibilibus creaturis inferiori modo, et minus simpliciter

invenitur; ideo oportet, quod ea quae Deus cognoscit per unum, inferiores intellectus cognoscant per multa; et tanto amplius per plura, quanto amplius intellectus inferior fuerit. Sic igitur quanto Angelus fuerit superior, tanto per pauciores species universitatem intelligibilium apprehendere poterit: et ideo oportet, quod ejus formae sint universaliores, quasi ad plura se extendentes unaquaeque earum.

(Q. 56.) DE COGNITIONE ANGELORUM, EX PARTE RERUM IMMATERIALIUM.

(a. 1.) Angelus, cum sit immaterialis, est quaedam forma subsistens, et per hoc intelligibilis actu. Unde sequitur, quod per suam formam, quae est sua substantia, se ipsum intelligat, *sive cognoscat.*

(a. 2.) *Quinimmo,* unicuique spiritualium creaturarum a Verbo Dei impressae sunt omnes rationes rerum omnium, tam corporalium, quam spiritualium; ita tamen, quod unicuique Angelo impressa est ratio suae speciei secundum esse naturale, et intellectuale simul, ita scilicet, quod in natura suae speciei subsisteret, et per eam se intelligeret; aliarum vero naturarum tam spiritualium, quam corporalium, rationes sunt ei impressae secundum esse intellectuale tantum, ut videlicet per hujusmodi species impressas, tam creaturas corporales, quam spirituales cognosceret.

(a. 3.) Angeli per sua naturalia Deum cognoscere possunt: sunt enim potentiores in cognoscendo, quam homines. Sed homines per sua naturalia Deum cognoscere possunt, secundum illud Rom. 1. 10: *quod notum est Dei, manifestum est in illis,* ergo multo magis Angeli aliquam cognitionem de Deo habere possunt, per sua naturalia.

(Q. 57.) DE ANGELORUM COGNITIONE, RESPECTU RERUM MATERIALIUM.

(a. 1.) Angeli materialia cognoscunt per hoc, quod sunt in eis per intelligibiles species.

(a. 2.) Angeli per species a Deo inditas, res cognoscunt non solum quantum ad naturam universalem, sed etiam secundum earum singularitatem.

(a. 3.) Angeli non cognoscunt futura, quia hoc est proprium signum divinitatis, secundum illud Isaiae 41. 13: *annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quod Dii estis vos . . . Sane,* Deus videt omnia in sua aeternitate, quae, cum sit simplex, toti tempori adest, et ipsum concludit . . . Angelicus autem intellectus, et quilibet intellectus creatus, deficit ab aeternitate divina: unde non potest ab aliquo intellectu creato cognosci futurum, ut est in suo esse . . . *Sed sicut* homines non cognoscunt futura, nisi in causis suis, vel Deo revelante: sic Angeli multo subtilius futura cognoscunt.

(a. 4.) Neque cognoscunt secreta cordium, nisi in suo effectu *seu ex signis externis.*

(a. 5.) Nec mysteria gratiae, cognitione naturali . . . *Si* enim unus Angelus non potest cognoscere *cogitationes* alterius, ex voluntate ejus dependentes, multo minus potest cognoscere quae ex *sola* voluntate Dei depedent. *Attamen quia praeter cognitionem* naturalem, *qua* mysteria gratiae Angeli cognoscere non possunt . . . . est alia Angelorum cognitio, quae eos beatos facit, qua vident Verbum, et res in Verbo; *ideo* hac visione cognoscunt mysteria gratiae, non quidem omnia, nec aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare, secundum illud Apostoli I. Cor.

11. 10: *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum:* ita tamen, quod superiores Angeli perspicacius divinam sapientiam contemplantes, plura mysteria, et altiora in ipsa Dei visione cognoscunt, quae inferioribus manifestant, eos illuminando: et horum etiam mysteriorum quaedam a principio suae creationis cognoverunt, quaedam vero postmodum, secundum quod eorum officiis congruit, edocentur.

(Q. 58.) DE MODO COGNITIONIS ANGELICAE.

(a. 1.) Intellectus Angeli potest esse in potentia ad ea, quae cognoscit naturali cognitione, *quatenus* non omnia quae naturali cognitione cognoscit, semper actu considerat. Sed quantum ad cognitionem Verbi, et eorum, quae in Verbo videt, nunquam hoc modo est in potentia: quia semper actu intuetur Verbum, et ea, quae in Verbo videt: in hac enim visione, eorum beatitudo consistit.

(a. 2.) Angeli ea cognitione, qua cognoscunt res per Verbum, omnia cognoscunt una intelligibili specie, quae est essentia divina: et ideo quantum ad talem cognitionem, omnia simul cognoscunt; sicut et in patria non erunt volubiles nostrae cogitationes ab aliis, in alias euntes, atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram simul uno conspectu videbimus, ut Aug. dicit in XV. de Trin. c. 16. Ea vero cognitione, qua cognoscunt res per species, innatas, omnia illa simul possunt intelligere, quae una specie cognoscuntur, non autem illa, quae diversis.

(a. 4.) In Angelis discursus locum non habet, quia statim in illis, quae primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia, quaecumque in eis cognosci possunt.

(a. 4.) Cum in Angelo sit lumen intellectuale perfectum, cum sit speculum purum, et clarissimum, ut dicit Dionysius 4. cap. de Div. nom. p. 4, relinquitur, quod Angelus sicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo, et dividendo.

(a. 5.) Angeli boni habentes rectam volutatem, per cognitionem quidditatis rei non judicant de his, quae supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina. Unde in eis non potest esse falsitas, aut error. Daemones vero, per voluntatem perversam subducentes intellectum a divina sapientia, absolute interdum de rebus judicant, secundum naturalem conditionem. Et in his, quae naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur; sed decipi possunt quantum ad ea, quae supernaturalia sunt: sicut si considerans hominem mortuum, judicet eum non resurrecturum; et si videns hominem Christum, judicet eum non esse Deum.

(a. 6.) Augustinus l. 4. super Gen. litt. c. 22. et l. 11. de Civ. Dei c. 7. distinguit cognitionem Angelorum, per matutinam, et vespertinam, *eo quod* sex dies, in quibus Deus legitur fecisse cuncta, Gen. 1. intelligi vult non hos usitatos dies, qui solis circuitu peraguntur, cum sol quarto die factus legatur, sed unum diem, scilicet cognitionem angelicam, sex rerum generibus praesentatam. Sicut autem in die consueto mane est principium diei, vespere autem terminus; ita cognitio ipsius primordialis esse rerum, dicitur cognitio matutina, et haec est secundum quod res sunt in Verbo; cognitio autem ipsius esse rei creatae, secundum quod in propria natura consistit, dicitur cognitio vespertina. Nam esse rerum, fluit a Verbo sicut a quodam primordiali principio; et hic effluxus terminatur ad esse rerum, quod in propria natura habent.

(Q. 59.) DE VOLUNTATE ANGELORUM.

Consequenter considerandum est de his, quae pertinent et ad voluntatem Angelorum.

(a. 3.) In Angelis est liberum arbitrium, *et sane* libertas arbitrii, ad dignitatem hominis pertinet. Sed Angeli digniores sunt hominibus, ergo libertas arbitrii, cum sit in hominibus, multo magis est in Angelis. *Deinde*, solum id, quod habet intellectum, potest agere judicio libero, in quantum cognoscit universalem rationem boni, ex qua potest judicare hoc, vel illud, esse bonum. Unde ubicumque est intellectus, est liberum arbitrium. Et sic patet liberum arbitrium esse in Angelis etiam excellentius, quam in hominibus, sicut et intellectum.

(a. 4.) Cum *autem* in Angelis non sit nisi appetitus intellectivus, eorum appetitus non distinguitur per irascibilem, et concupiscibilem, . . . (*qui* sunt in parte sensitiva, quae non est in Angelis . . .) sed remanet indivisus, et vocatur voluntas.

(Q. 60.) DE AMORE, SEU DILECTIONE ANGELORUM.

(a. 1.) *Cujus actus* est amor, sive dilectio: nam omnis actus appetitivae virtutis, ex amore, seu dilectione derivatur. Sic Angeli *seipsos, alios, et multo magis* Deum, naturali dilectione diligunt.

(Q. 61.) DE PRODUCTIONE ANGELORUM IN ESSE NATURAE.

Post ea, quae praemissa sunt de natura Angelorum, et cognitione, et voluntate eorum, restat considerandum de eorum creatione, sive universaliter de eorum exordio: et haec consideratio est tripartita. Nam primo, considerabimus quomodo producti sunt in esse naturae. Secundo, quomodo perfecti sunt in gratia, vel gloria. Tertio, quomodo aliqui ex eis facti sunt mali.

(a. 1.) Necesse est dicere, et Angelos, et omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum esse; solus enim Deus est suum esse . . . Unde necesse est, Angelos a Deo creatos esse . . . *Ut autem* Aug. dicit in XI. de Civ. Dei c. 9. et 30. Angeli non sunt praetermissi in illa prima rerum creatione, Gen. c. 1. sed *ibi* significantur nomine Coeli, aut etiam lucis. Ideo autem vel praetermissi sunt, vel nominibus rerum corporalium significati, quia Moyses rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam. Et si eis fuisset expressum, aliquas *res* esse super naturam corpoream, fuisset eis *occasio*, idololatriae, ad quam proni erant, et a qua Moyses eos praecipue revocare intendebat.

(a. 3.) Utrum *autem* sint creati ante mundum corporeum, circa hoc invenitur duplex Sanctorum *Doctorum* sententia. Illa tamen probabilior videtur, quod Angeli simul cum creatura corporea sint creati. Angeli enim, sunt quaedam pars universi . . . Nulla autem pars perfecta est a suo toto separata. Non est igitur probabile, quod Deus, cujus *perfecta sunt opera*, ut dicitur Deut. 32. 4. creaturam Angelicam

seorsum ante alias creaturas creaverit. *Deinde* dicitur Gen. 1. 1: *in principio creavit Deus coelum, et terram.* Non autem hoc esset verum, si aliquid creasset ante ea. Ergo Angeli non sunt ante naturam corpoream creati.

(Q. 62.) DE PERFECTIONE ANGELORUM IN ESSE GRATIAE, ET GLORIAE.

(a. 1.) Ultima perfectio rationalis, sive intellectualis naturae, est duplex, una quidem quam possunt assequi virtute suae naturae, et haec quodammodo beatitudo, vel felicitas dicitur . . . sed super hanc felicitatem est alia felicitas, quam in futuro expectamus, qua videbimus Deum sicuti est . . . sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus assequi virtute suae naturae potuit, fuit creatus beatus: quia perfectionem hujusmodi Angelus non acquirit per aliquem motum discursivum, sicut homo: sed statim ei adest, propter suae naturae dignitatem. Sed ultimam beatitudinem, quae facultatem naturae excedit, Angeli non statim in principio suae creationis habuerunt: quia haec beatitudo non est aliquid naturae, sed naturae finis: et ideo non statim eam in principio debuerunt habere . . . (a. 2.) *Sed* indiguerunt gratia ad hoc, quod converterentur in Deum, prout est objectum beatitudinis, *juxta* illud Apostoli Rom. 6. 23: *gratia Dei vita aeterna.* (a. 3.) *Et* quamvis sint diversae opiniones, quibusdam dicentibus, quod creati sunt Angeli in naturalibus tantum, aliis vero, quod sunt creati in gratia; hoc tamen probabilius videtur tenendum, et magis dictis Sanctorum consonum est, quod fuerint creati in gratia gratum faciente. *Sic* Aug. dicit l. 12 de Civ. Dei, c. 9: *bonam*

voluntatem quis fecit in Angelis, nisi ille, qui eos cum sua voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis condens naturam, et largiens gratiam?

(a. 4.) *Quia vero* Angelus in gratia creatus fuit, sine qua nullum est meritum, absque difficultate dicere possumus, quod suam beatitudinem meruerit, (a. 5.) *at* quod post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit . . . Sicut enim ex sua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam: et ita statim post meritum, in Angelo fuit beatitudo consecuta. Meritum autem beatitudinis, non solum in Angelo, sed etiam in homine esse potest per unicum actum: quia quolibet actu charitate informato, homo beatitudinem meretur. Unde relinquitur, quod statim post unum actum charitate informatum, Angelus beatus fuit.

(a. 6.) Rationabile est, quod Angeli qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius, et efficacius ad Deum sint conversi. Hoc autem etiam in hominibus contingit: quia secundum intensionem conversionis in Deum, datur major gratia, et gloria. Unde videtur quod Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, et gloria.

(a. 7.) *Quia* beatitudo non tollit naturam, cum sit perfectio ejus, *hinc* non tollit naturalem cognitionem, et dilectionem in Angelis. (a. 8.) Angelus beatus peccare non potest, (a. 9.) nec in beatitudine proficere.

(Q. 63.) DE ANGELORUM MALITIA, QUOAD CULPAM.

(a. 3.) Angelus absque omni dubio peccavit, appetendo esse ut Deus, *juxta* quod dicitur Isaiae 14. 13. ex persona diaboli: *ascendam in coelum . . . et ero similis Altissimo* . . . et hoc modo diabolus appetiit esse ut Deus; non ut ei assimilaretur quantum ad hoc, quod est nulli subesse simpliciter: quia sic suum non esse appeterent, cum nulla creatura esse possit, nisi per hoc, quod sub Deo esse participat. Sed in hoc appetiit indebite similis esse Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem: et hoc consonat dictis Anselmi, c. 3. et 4. de casu diaboli, qui dicit quod *appetiit illud, ad quod pervenisset, si stetisset.* Et haec duo quodammodo in idem redeunt, quia secundum utrumque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei. Quia vero, quod est per se, est principium, et câusa ejus, quod est per aliud, ex hoc etiam consecutum est, quod appetiit aliquem principatum super alia habere: in quo etiam voluit perverse Deo assimilari.

(a. 6.) Utrum *autem* aliqua mora fuerit inter creationem, et lapsum Angeli, ... circa hoc est duplex opinio. Sed probabilior, et Sanctorum dictis magis consonans est, quod statim post primum instans suae creationis, diabolus peccaverit . . . Cum enim Angeli per unum actum meritorium ad bea-

titudinem perveniant, ut supra dictum est, si diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum praestitisset peccando. Si vero ponatur, quod Angelus in gratia creatus non fuerit, vel quod in primo instanti actum liberi arbitrii non potuerit habere, nihil prohibet aliquam moram fuisse, inter creationem, et lapsum.

(a. 7.) Utrum angelus supremus inter peccantes, fuerit supremus inter omnes, . . . hoc videtur probabilius . . , fuit enim daemonum peccatum superbia, ut supra dictum, cujus motivum est excellentia, quae fuit major in superioribus. Et ideo Gregorius in hom. de centum ovibus dicit, quod primus angelus qui peccavit, *dum cunctis agminibus Angelorum praelatus, eorum claritatem trascenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.*

(a. 8.) Dicendum, quod peccatum primi Angeli fuit aliis causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens. *Juxta* quod dicitur Apoc. 12. 4. quod Draco traxit secum tertiam partem stellarum.

(a. 9) *Quamvis peccatum primi Angeli fuerit aliis multis causa peccandi, plures tamen* Angeli permanserunt, quam peccaverunt; quia peccatum est contra naturalem inclinationem; ea vero, quae contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt, natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel ut in pluribus . . . Secundum illos autem qui, dicunt, quod diabolus major fuit de inferiori ordine Angelorum, qui praesunt terrestribus, manifestum est, quod non de quolibet ordine ceciderunt, sed de infimo tantum. Secundum vero illos, qui ponunt majorem diabolum de supremo fuisse ordine, probabile est, quod de quolibet ordine aliqui ceciderunt; sicut in quemlibet ordinem homines assumuntur,

in supplementum ruinae angelicae. In quo etiam magis comprobatur libertas liberi arbitrii, quae secundum quemlibet gradum creaturae, in malum flecti potest. In Sacra Scriptura tamen, nomina quorumdam ordinum, ut Seraphim, et Thronorum, daemonibus non attribuuntur: quia haec nomina sumuntur ab ardore charitatis, et ab inhabitatione Dei, quae non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina Cherubim, Potestatum, et Principatuum: quia haec nomina sumuntur a scientia, et potentia, quae bonis, malisque possunt esse communia.

(Q. 64.) DE POENA DAEMONUM.

(a. 1.) Cognitio veritatis, quae habetur per naturam . . . in daemonibus nec est ablata, nec diminuta; consequitur enim ipsam naturam angeli . . . Cognitio autem, quae est per gratiam, in speculatione consistens, non est eis totaliter ablata, sed diminuta.

(a. 2.) *Eorum* voluntas est obstinata in malo... *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, Psal. 73. 23. quod de daemonibus exponitur.

(a. 3.) Dolor est in daemonibus: *et revera*, peccatum daemonis, est gravius quam peccatum hominis. Sed homo punitur dolore pro delectatione peccati, secundum illud Apoc. 18. 7: *quantum glorificavit se, et in deliciis fuit: tantum date ei tormentum, et luctum.* Ergo multo magis diabolus, qui maxime se glorificavit, punitur doloris luctu. Dicendum *tamen*, quod timor, dolor, gaudium, et hujusmodi, secundum quod sunt passiones, in daemonibus esse non possunt: sic enim sunt proprie appetitus sensitivi, qui est virtus in organo corporali. Sed secundum quod nominant simplices actus voluntatis, sic possunt esse

in daemonibus. Et necesse est dicere, quod in eis sit dolor: quia dolor secundum quod significat simplicem actum voluntatis, nihil est aliud, quam renisus voluntatis ad id, quod est, vel non est. Patet autem, quod daemones multa vellent non esse, quae sunt, et esse, quae non sunt. Vellent enim, cum sint invidi, damnari eos, qui salvantur. Unde oportet dicere, quod in eis sit dolor: et praecipue quia de ratione poenae est, quod voluntati repugnet. Privantur etiam beatitudine, quam naturaliter appetunt; et in multis eorum iniqua voluntas cohibetur.

(a. 4.) Quod aer iste sit locus poenalis daemonum, dicit Aug. l. 3. Gen. ad litt. c. 10: *aer caliginosus est quasi carcer daemonibus, usque ad tempus judicii. Sane* Angeli secundum suam naturam medii sunt inter Deum, et homines. Habet autem hoc divinae providentiae ratio, quod inferiorum bonum, per superiora procuretur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur per divinam providentiam. Uno modo directe, dum scilicet aliquis inducitur ad bonum, et retrahitur a malo: et hoc decenter fit per Angelos bonos; alio modo indirecte, dum scilicet aliquis exercetur impugnatus, per impugnationem contrarii, et hanc procurationem boni humani conveniens fuit per malos angelos fieri, ne totaliter post peccatum a bonitate naturalis ordinis exciderent. *Sic* ergo daemonibus duplex locus poenalis debetur: unus quidem ratione suae culpae, et hic est infernus; alius autem ratione exercitationis humanae, et sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanae, protenditur usque ad diem judicii. Unde et usque tunc durat ministerium Angelorum, et exercitatio daemonum. Unde et usque tunc, et boni Angeli ad nos mittuntur, et daemones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrum exercitium; licet eorum aliqui, etiam nunc in inferno sint, ad

torquendum eos, quos ad malum induxerunt; sicut et aliqui boni Angeli, sunt cum animabus sanctis in coelo. Sed post diem judicii omnes mali, tam homines, quam angeli, in inferno erunt, boni vero, in coelo.

(Q. 65.) DE OPERE CREATIONIS, CREATURAE CORPORALIS.

Vide Append. C. IV. §. 3.

Post considerationem spiritualis creaturae, considerandum est de creatura corporali.

(a. 1.) Creatura corporalis est a Deo . . . dicitur in Psal. 145. 6: *qui fecit coelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt.*

(a. 2.) Creatura corporalis est facta propter Dei bonitatem . . . *ut* dicitur Prov. 16. 4: *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Origenes posuit l. 2. Periarch. c. 1. et 9. quod creatura corporalis non est facta ex prima Dei intentione, sed ad poenam creaturae spiritualis peccantis. Posuit enim, quod Deus a principio creaturas spirituales solas fecit, et omnes aequales: quarum, cum essent liberi arbitrii, quaedam conversae sunt in Deum, et secundum quantitatem conversionis sortitae sunt majorem, vel minorem gradum in sua simplicitate remanentes; quaedam vero aversae a Deo, alligatae sunt corporibus diversis, secundum modum aversionis a Deo. Quae quidem positio, erronea est. Contrariatur Scripturae, quae narrata productione cujuslibet speciei creaturae corporalis, subjungit Gen. 1: *vidit Deus, quia hoc esset bonum;* quasi diceret quod unumquodque ideo factum est, quia bonum est ipsum esse. Secundum autem opi-

nionem Origenis, creatura corporalis facta est, non quia bonum est eam esse, sed ut malum alterius puniretur.

(a. 3.) Quidam posuerunt, gradatim res a Deo processisse, ita scilicet, quod ab eo immediate processit prima creatura, et illa produxit aliam, et sic inde usque ad creaturam corpoream. Sed haec positio est impossibilis: quia prima corporalis creaturae productio, est per creationem, per quam etiam ipsa materia producitur: imperfectum enim, est prius quam perfectum in fieri. Impossibile est autem, aliquid creari, nisi a solo Deo . . . et ideo, ut Moyses ostenderet corpora omnia esse immediate a Deo creata, dixit: *in principio creavit Deus coelum, et terram.*

(Q. 67.) DE OPERE DISTINCTIONIS, SECUNDUM SE.

(a. 4.) Lucis productio, prima die ponitur in *Sacra Scriptura; et sane* oportuit fieri in prima die, *quia* sine luce non potest esse dies, *juxta* Aug. l. 11. de Civ. Dei c. 4 et 33. Formatio spiritualis creaturae, significatur in productione lucis, ut intelligatur de luce spirituali. Formatio enim naturae spiritualis, est per hoc, quod illuminatur, ut adhaereat verbo Dei.

(Q. 68.) DE OPERE SECUNDAE DIEI.

Firmamentum est factum secunda die, Gen. 1. 6. *dixit Deus: fiat firmamentum,* et postea sequitur: *et factum est vespere, et mane, dies secundus.*

(Q. 69.) DE OPERE TERTIAE DIEI.

Aquarum congregatio, et plantarum productio, tertia die.

(Q. 70.) DE OPERE ORNATUS, QUANTUM AD QUARTAM DIEM.

Luminaria majus, et minus, et omnis ornatus coeli, quarta die.

(Q. 71.) DE OPERE QUINTAE DIEI.

Reptile animae viventis, et volatile, quinta die.

(Q. 72). DE OPERE SEXTAE DIEI.

Et animalia terrestria, et homo, sexta die.

(Q. 73.) DE IIS, QUAE PERTINENT AD SEPTIMAM DIEM.

(a. 2.) Et septima die requievit Deus ab omni opere suo, (a. 3.) *et* huic diei septimae benedictio, et sanctificatio debetur, *sicut* dicitur Gen 11. 3: *benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit illum, quia in illo cessaverat ab omni opere suo . . . Sane* requies Dei in die septima, dupliciter accipitur. Primo quidem quantum ad hoc, quod cessavit a novis operibus condendis; ita tamen, quod creaturam conditam conservat, et administrat. Alio modo secundum quod, post opera requievit in seipso. Quantum ergo ad primum, competit septimae diei benedictio, quia benedictio ad multiplicationem pertinet, unde dictum est creaturis, quas benedixit: *crescite, et multiplicamini.* Multiplicatio autem rerum, fit per administrationem creaturae, secundum quam ex similibus similia generantur. Quantum vero ad secundum, competit septimae diei sanctificatio: maxime enim sanctificatio cujuslibet attenditur in hoc, quod in Deo requiescit; unde et res Deo dicatae, sanctae dicuntur.

(Q. 74.) DE OMNIBUS SEPTEM DIEBUS IN COMMUNI.

(a. 2.) *Quaeritur*, utrum omnes isti dies sint unus dies. Gen. 1. dicitur: *factum est vespere, et mane, dies secundus, et dies tertius*, et sic de aliis. Secundum autem, et tertium dici non potest, ubi est unum tantum; ergo non fuit dies unus tantum. In hac *tamen* quaestione, Augustinus ab aliis expositonibus dissentit. Augustinus enim vult l. 4. Gen. ad litt. c. 22. et l. 11. de Civ. Dei c. 9. et ad Orosium q. 26. quod omnes qui dicuntur septem dies, sunt unus dies septempliciter rebus praesentatus... Secundum Augustinum, per diem intelligitur cognitio mentis angelicae; ut sic primus dies sit cognitio primi divini operis, secundus dies cognitio secundi operis, et sic de aliis... Secundum vero alios, per istos dies et successio dierum temporalium ostenditur, et successio productionis rerum.

(Q. 75.) DE HOMINE, ET PRIMO DE EJUS ANIMA.

Vide Append. C. IV. §. 4.

Post considerationem creaturae spiritualis, et corporalis, considerandum est de homine, qui ex spirituali, et corporali substantia componitur: et primo, de natura ipsius hominis, secundo, de ejus productione. Naturam autem hominis considerare, pertinet ad Theologum ex parte animae, non autem ex parte corporis, nisi secundum habitudinem, quam habet corpus ad animam: et ideo prima consideratio circa animam versabitur. Et quia secundum Dionysium 11. c. Angel. Hierar. tria inveniuntur in substantiis spiritualibus, scilicet essentia, virtus, et

operatio: primo considerabimus ea, quae pertinent ad essentiam animae; secundo ea, quae pertinent ad virtutem, sive potentias ejus; tertio ea, quae pertinent ad operationem ejus.

(a. 1.) *Anima est incorporea.* Manifestum est enim, quod esse principium vitae, vel vivens, non convenit corpori ex hoc, quod est corpus: alioquin omne corpus esset vivens, aut principium vitae. Convenit igitur alicui corpori quod sit vivens, vel etiam principium vitae per hoc, quod est tale corpus. Quod autem est actu tale, habet hoc ab aliquo principio, quod dicitur actus ejus. Anima igitur, quae est primum principium vitae, non est corpus, sed corporis actus, sicut calor, qui est principium calefactionis, non est corpus, sed quidam corporis actus.

(a. 3.) Anima humana *est etiam* aliquid subsistens, . . . habet enim operationem per se, cui non communicat corpus, *ideo* Aug. dicit l. 12. de Trin. c. 7: *quisquis videt mentis naturam, et esse substantiam, et non esse corpoream, videt, eos, qui opinantur eam esse corpoream, ab hoc errare, quod adjungunt ei ea, sine quibus nullam possunt cogitare naturam,* scilicet corporum phantasias.

(a. 6.) Anima est incorruptibilis, *sic* Dionysius dicit c. 4. de Divin. nom. quod animae humanae *habent ex bonitate divina quod sint intellectuales, et quod habeant substantialem vitam inconsumptibilem* . . . Dupliciter enim aliquid corrumpitur, uno modo per se, alio modo per accidens; *non* per accidens, . . . idest aliquo generato, vel corrupto, . . . *quia* quod per se habet esse, non potest generari, vel corrumpi nisi per se; *ne quidem* per se . . . . manifestum est enim, quod id, quod secundum se convenit alicui, est inseparabile ab ipso. *Deinde,* sensus non cognoscit esse, nisi sub hic, et nunc.

Sed intellectus apprehendit esse absolute, et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum, naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium, non potest esse inane. Omnis igitur intellectualis anima, est incorruptibilis. *Quae vero* Sap. 11. Eccl. 3. 19: *leguntur de morte hominis, vel* ex persona insipientium *dicuntur, vel* quantum ad corpus, sed non quantum ad animam.

(a. 7.) Anima, et Angelus, non sunt unius speciei; quorum *enim* sunt diversae operationes naturales, ipsa differunt specie. Sed animae, et Angeli, sunt diversae operationes naturales: quia ut dicit Dionysius c. 7. de Div. nov. *mentes angelicae simplices, et bonos intellectus habent, non de visibilibus congregantes divinam cognitionem:* cujus contrarium postmodum de anima dicit.

(Q. 76.) DE UNIONE ANIMAE AD CORPUS.

(a. 1.) Intellectivum principium, est propria hominis forma . . . (a. 2.) et multiplicatur secundum multiplicationem corporum . . . (a. 3.) eadem *autem* numero est anima in homine, sensitiva, et intellectiva, et nutritiva . . . *et* anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum, et nutritiva plantarum.

(a. 4.) Nulla *vero* alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva; et ipsa sicut virtute continet animam sensitivam, et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola, quidquid imperfectiores formae in aliis faciunt.

(a. 5.) Anima intellectiva, quia est universalium comprehensiva, habet virtutem ad infinita: et ideo non potuerunt sibi determinari a natura, vel deter-

minatae existimationes naturales, vel etiam determinata auxilia, vel defensionum, vel tegumentorum, sicut aliis animalibus, quorum animae habent apprehensionem, et virtutem ad aliqua particularia ordinata; sed loco horum omnium, habet naturaliter rationem, et manus, quae sunt organa organorum, quia per ea homo potest sibi praeparare instrumenta infinitorum modorum, et ad infinitos effectus.

(a. 8.) Anima tota est in qualibet parte corporis, secundum totalitatem perfectionis, et essentiae, non autem secundum totalitatem virtutis: quia non secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis; sed secundum visum in oculo, secundum auditum in aure, et sic de aliis.

(Q. 77.) DE HIS, QUAE PERTINENT AD POTENTIAS ANIMAE, IN GENERALI.

Deinde considerandum est de his, quae pertinent ad potentias animae: et primo in generali; secundo in speciali.

(a. 1.) Essentia animae non est ejus potentia... Operatio *enim* animae, non est in genere substantiae, sed in solo Deo operatio est ejus substantia. Unde Dei potentia, quae est operationis principium, est ipsa Dei essentia, quod non potest esse verum neque in anima, neque in aliqua creatura... Anima *vero* secundum suam essentiam, est actus.

(a. 2.) Sunt plures potentiae animae . . . . *Sane* homo potest consequi universalem, et perfectam bonitatem, quia potest adipisci beatitudinem. Est tamen in ultimo gradu secundum naturam eorum, quibus competit beatitudo, et ideo multis, et diversis operationibus, et virtutibus indiget anima humana. Angelis vero, minor diversitas potentiarum competit.

In Deo vero, non est aliqua potentia, vel actio praeter ejus essentiam. Est et alia ratio, quare anima humana abundat diversitate potentiarum, videlicet quia est in confinio spiritualium, et corporalium creaturarum; et ideo concurrunt in ipsa virtutes utrarumque creaturarum.

(a. 3.) Potentiae animae, distinguuntur per actus, et objecta . . . (a. 5.) et sunt in anima, sicut in subjecto . . . (a. 6.) et procedunt ab ejus essentia, sicut a causa... (a. 7.) Potentiae *autem* animae, quae sunt priores secundum ordinem perfectionis, et naturae, sunt principia aliarum per modum finis, et activi principii. Videmus enim, quod sensus est propter intellectum, et non e converso.

(a. 8.) Quaedam potentiae comparantur ad animam solam, sicut ad subjectum, ut intellectus, et voluntas; et hujusmodi potentiae necesse est quod remaneant in anima, corpore destructo. Quaedam vero potentiae sunt in conjuncto, sicut in subjecto, sicut omnes potentiae sensitivae partis, et nutritivae. Destructo autem subjecto, non potest accidens permanere. Unde, corrupto conjuncto, non manent hujusmodi potentiae actu, sed virtute tantum manent in anima, sicut in principio, vel radice.

(Q. 78.) DE POTENTIIS ANIMAE, IN SPECIALI.

Nostra consideratio de potentiis animae in speciali, erit tripartita. Primo namque considerandum est de his, quae sunt praeambula ad intellectum. Secundo, de potentiis intellectivis. Tertio, de potentiis appetitivis.

(a. 1.) Sunt quinque genera potentiarum animae distinguenda, scilicet *vegetativum, sensitivum, appetitivum, secundum locum motivum, et intellectivum.*

(a. 2.) Partes potentiae vegetativae assignantur, scilicet nutritivum, augmentativum, generativum.

(a. 3.) Distinguuntur quinque sensus exteriores... (a. 4.) et necesse est ponere quatuor vires interiores sensitivae partis, scilicet *sensum communem, et imaginationem, aestimativam, et memorativam* . . . Sensus *autem* interior dicitur *communis*, sicut communis radix, et principium exteriorum sensuum... sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figurae, sed quasi inimicum naturae; et similiter avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est *enim* animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.

(Q. 79.) DE POTENTIIS INTELLECTIVIS.

(a. 1.) In solo Deo intellectus est ejus essentia; in omnibus autem aliis creaturis intellectualibus, intellectus est quaedam potentia intelligentis.

(a. 2.) Intelligere nostrum, est quoddam pati, secundum *illum* modum passionis . . . . quod id, quod est in potentia ad aliquid, recipit illud, ad quod erat in potentia, absque hoc, quod aliquid abjiciatur: secundum quem modum omne quod exit de potentia in actum, potest dici pati, etiam cum perficitur . . . et per consequens, intellectus est potentia passiva.

(a. 3.) Oportet *autem* ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quae faciat intelligibilia in actu, per abstractionem specierum a conditionibus materialibus.

(a. 6.) Si memoria accipiatur solum pro vi conservativa specierum, oportet dicere, memoriam esse in intellectiva parte. Si vero de ratione memoriae

sit, quod ejus objectum sit praeteritum. ut praeteritum, memoria in parte intellectiva non erit, sed sensitiva tantum, quae est apprehensiva particularium.

(a. 7.) Memoria *igitur*, non est alia potentia ab intellectu . . . (a. 8.) Ratio *etiam*, et intellectus, et mens sunt una potentia . . . . intelligere enim, est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere, ratiocinari autem, est procedere de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam.

(a. 12.) Neque synderesis est quaedam specialis potentia ab aliis distincta. Principia *enim* operabilium nobis naturaliter indita, non pertinent ad specialem potentiam, sed ad specialem habitum naturalem, quem dicimus synderesim. Unde, et synderesis dicitur instigare ad bonum, et murmurare de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, et judicamus inventa. Patet ergo, quod synderesis non est potentia, sed habitus naturalis.

(a. 13.) Conscientia non est potentia, sed actus... *dicit enim* actualem applicationem scientiae, ad ea, quae agimus.

(Q. 80.) DE POTENTIIS APPETITIVIS IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de potentiis appetitivis: et circa hoc consideranda sunt quatuor. Primo, de appetitu in communi; secundo, de sensualitate; tertio, de voluntate; quarto, de libero arbitrio.

(a. 1.) Necesse est ponere quamdam potentiam animae appetitivam. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio, sicut ignis ex sua forma inclinatur in superiorem locum, et ad hoc, quod generet sibi simile. Forma autem in his, quae cognitionem parti-

cipant, altiori modo invenitur, quam in his, quae cognitione carent. In his enim, quae cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque, quod etiam naturale uniuscujusque est. Hanc igitur formam naturalem, sequitur naturalis inclinatio, quae appetitus naturalis vocatur.

(a. 2.) Quia *vero* est alterius generis apprehensum per intellectum, et apprehensum per sensum, consequens est, quod appetitus intellectivus sit alia potentia, a sensitivo.

(Q. 81.) DE SENSUALITATE.

(a. 2.) Appetitus sensitivus est una vis in genere, quae sensualitas dicitur. Sed dividitur in duas potentias, quae sunt species appetitus sensitivi; scilicet in irascibilem, et concupiscibilem.

(a. 3.) Irascibilis *autem*, et concupiscibilis obediunt superiori parti, in qua est intellectus, sive ratio, et voluntas, dupliciter: uno modo, quidem, quantum ad rationem; alio vero modo, quantum ad voluntatem. Rationi quidem obediunt, quantum ad ipsos suos actus... ratio autem universalis, imperat appetitui sensitivo . . . ideo appetitus sensitivi magis dicuntur obedire rationi, quam intellectui. Hoc etiam quilibet experiri potest in seipso; applicando enim aliquas universales considerationes, mitigatur ira, aut timor, aut aliquid hujusmodi, vel etiam instigatur. Voluntati etiam subjacet appetitus sensitivus quantum ad executionem, quae fit per vim motivam. Unde appetitus inferior non sufficit movere, nisi appetitus superior consentiat . . . *Nihilominus*, appetitus sensibilis habet aliquid proprium, unde potest reniti imperio rationis. Natus est enim moveri

appetitus sensitivus non solum ab aestimativa in aliis animalibus, et cogitativa in homine, quam dirigit universalis ratio, sed etiam ab imaginativa, et sensu. Unde experimur irascibilem, et concupiscibilem rationi repugnare per hoc, quod sentimus, vel imaginamur aliquod delectabile, quod ratio vetat, vel triste, quod ratio praecipit. *Attamen* per hoc, *quod* irascibilis, et concupiscibilis in aliquo rationi repugnant, non excluditur quin ei obediant.

(Q. 82.) DE VOLUNTATE.

(a. 1.) *Appetitus intellectivus est voluntas. Queritur,* utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat. *Utique.* Augustinus dicit in l. 13. de Trin. c. 4. quod *beatitudinem omnes una voluntate appetunt.* Si autem non esset necessarium, sed contingens, deficeret ad minus in paucioribus. Ergo voluntas ex necessitate aliquid vult.

Notandum, quod necessitas dicitur multipliciter. Necesse est enim, quod non potest non esse: quod quidem convenit alicui, uno modo ex principio intrinseco, sive materiali, sicut cum dicimus quod omne compositum ex contrariis, necesse est corrumpi; sive formali, sicut cum dicimus, quod necesse est triangulum habere tres angulos, aequales duobus rectis. Et haec est necessitas naturalis, et absoluta. Alio modo convenit alicui, quod non possit non esse ex aliquo extrinseco, vel fine, vel agente: fine quidem, sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi, aut bene consequi finem aliquem, ut cibus dicitur necessarius ad vitam, et equus ad iter: et haec vocatur necessitas finis, quae interdum etiam utilitas dicitur: ex agente autem, hoc alicui convenit, sicut cum aliquis cogitur ab aliquo agente, ita quod

non possit contrarium agere; et haec vocatur necessitas coactionis.

Haec igitur coactionis necessitas, omnino repugnat voluntati. Nam hoc dicitur esse violentum, quod est contra inclinationem rei. Ipse autem motus voluntatis, est inclinatio quaedam in aliquid: et ideo, sicut dicitur aliquid naturale, quia est secundum inclinationem naturae; ita dicitur aliquid voluntarium, quia est secundum inclinationem voluntatis. Sicut ergo impossibile est, quod aliquid sit simul violentum, et naturale; ita impossibile est, quod aliquid simpliciter sit coactum, sive violentum, et voluntarium. Necessitas autem finis, non repugnat voluntati, quando ad finem non potest perveniri, nisi uno modo; sicut ex voluntate transeundi mare, fit necessitas in voluntate, ut velit navem. Similiter etiam nec necessitas naturalis repugnat voluntati; quinimmo necesse est, quod sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhaeret ultimo fini, qui est beatitudo; *ut supra ex textu Augustini. Quod si idem* Aug. dicit l. 5. de Civ. Dei, c. 10: *si aliquid est necessarium, non est voluntarium*, . . . intelligendum est de necessario, necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis, non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit ibidem.

(a. 2.) Non *tamen* voluntas ex necessitate omnia vult, quaecumque vult . . . Aug. dicit. l. 1. retract. c. 9. quod *voluntas est qua peccatur, et recte vivitur*, et sic se habet ad opposita . . . *Revera*, sicut intellectus naturaliter, et ex necessitate, inhaeret primis principiis, ita et voluntas ultimo fini. Sunt autem quaedam intelligibilia, quae non habent necessariam connexionem ad prima principia . . . et talibus, non ex necessitate assentit intellectus. Quaedam autem propositiones sunt necessariae, quae habent

connexionem necessariam cum primis principiis,... et his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexione necessaria conclusionum ad prima principia, per demonstrationis deductionem. Non autem ex necessitate assentit antequam hujusmodi necessitatem connexionis, per demonstrationem cognoscat. Similiter etiam ex parte voluntatis. Sunt enim quaedam particularia bona, quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus: et hujusmodi bonis, voluntas non de necessitate inhaeret. Sunt autem quaedam, habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhaeret, in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen, antequam per certitudinem divinae visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his, quae Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam, de necessitate inhaeret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. Patet ergo, quod voluntas non ex necessitate vult, quaecumque vult.

(Q. 83.) DE LIBERO ARBITRIO.

(a. 1.) *Hinc* dicitur Eccli. 15, 14 *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui,* idest in libertate arbitrii: Homo *igitur* est liberi arbitrii: alioquin frustra essent consilia, exhortationes, praecepta, prohibitiones, praemia, et poenae. *Sane* homo agit judicio, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis; ideo agit libero judicio, potens in diversa ferri... et pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est.

Nec obstat quod legitur Rom. 9, 16: *non est volentis*, scilicet velle, *neque currentis*, scilicet currere, et Phil. 2, 13: *Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere. Etenim primum* illud Apostoli, non sic est intelligendum, quasi homo non velit, et non currat libero arbitrio; sed quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur, et juvetur a Deo. *Sic quoad secundum*, liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa movens et naturales causas, et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque, secundum ejus proprietatem.

(Q. 84.) QUOMODO ANIMA CONJUNCTA INTELLIGAT CORPORALIA, QUAE SUNT INFRA IPSAM.

Consequenter considerandum est de actibus, et de habitibus animae, quantum ad potentias intellectivas, et appetitivas: aliae enim potentiae, non pertinent directe ad considerationem Theologi. Actus autem, et habitus appetitivae partis, ad considerationem moralis scientiae pertinent, et ideo in secunda hujus operis de eis tractabitur, in qua considerandum est, de morali materia. Nunc autem de actibus, et habitibus intellectivae partis, agetur.

(Q. 87.) QUOMODO ANIMA INTELLECTIVA SEIPSAM, ET EA QUAE SUNT IN IPSA COGNOCAT.

(a. 3.) Anima corpori conjuncta, intelligit corporalia, quae sunt infra ipsam, intelligit seipsam, et ea, quae in ipsa sunt, non per suam essentiam, sed per proprium actum, sic *intelligo me intelligere.*

(Q. 88.) QUOMODO ANIMA HUMANA COGNOSCAT EA, QUAE SUPRA SE SUNT.

(a. 1.) Substantias *autem* immateriales, quae sunt supra ipsam, secundum statum praesentis vitae, neque per intellectum possibilem, neque per intellectum agentem intelligere potest secundum seipsas. (a. 2.) *Nec* per substantias materiales potest perfecte substantias immateriales intelligere; ... *cum enim* substantiae immateriales sint omnino alterius rationis a quidditatibus materialium rerum, quantumcumque intellectus noster abstrahat quidditatem rei materialis a materia, nunquam perveniet ad aliquid simile substantiae immateriali. (a. 5.) Per creaturas *autem* in Dei cognitionem pervenimus, secundum illud Apostoli ad Rom. 1. 20: *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, ... non tamen illum perfecte cognoscimus.*

(Q. 89.) DE COGNITIONE ANIMAE SEPARATAE.

(a. 1.) Anima *autem* a corpore separata, adhuc intelligit, non per species innatas, nec per species quas tunc abstrahit, nec solum per species conservatas, sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut et aliae substantiae separatae, quamvis inferiori modo.

Unde tam cito cessante conversione ad corpus, ad superiora convertitur. Nec tamen propter hoc cognitio, vel potentia non est naturalis: quia Deus est auctor non solum influentiae gratuiti luminis, sed etiam naturalis.

(a. 2.) Animae separatae cognoscunt alias animas separatas, sicut dives in inferno positus vidit Lazarum, et Abraham, Luc. 16. Vident ergo et daemones, et Angelos, animae separatae.

(a. 3.) De naturalibus *autem*, cognitionem habent, non certam, et propriam, sed communem, et confusam . . . anima enim separata, intelligit per species quas recipit ex influentia divini luminis, sicut et Angeli . . . Sicut igitur se habent Angeli ad perfectam cognitionem rerum naturalium per hujusmodi species, ita animae separatae ad imperfectam, et confusam.

(a. 4.) Aliqua *tamen* singularia cognoscunt, *sic* dives in inferno positus dixit: *habeo quinque fratres*, ut habetur Lucae 16. 28.

(a. 5.) Habitus *vero*, et scientiae hic acquisitae, remanent in anima separata, *ut dicit* Hieronymus in Epist. ad Paulinum: *discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in coelo . . . et revera* Philosophus in l. 3. de anima, ponit duos modos quibus scientia per se corrumpitur, scilicet per oblivionem ex parte memorativae, et deceptionem ex parte argumentationis falsae. Sed hoc non habet locum in anima separata.

(a. 7.) Intelligit anima separata singularia, per influxum specierum ex divino lumine: quod quidem lumen, aequaliter se habet ad propinquum, et distans. Unde distantia localis nullo modo impedit animae separatae cognitionem.

(a. 8.) Secundum naturalem cognitionem, animae mortuorum nesciunt quae hic aguntur, *utpote* se-

gregatae a conversatione viventium, et conjunctae conversationi spiritualium substantiarum, quae sunt a corpore separatae. Et hanc rationem assignat Gregorius in l. 12. Moral. c. 14. dicens: *mortui, vita in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia vita spiritus, longe est a vita carnis...* Sed quantum ad animas beatorum, videtur esse differentia inter Gregorium, et Augustinum. Nam Gregorius ibidem subdit: *quod tamen, de animabus sanctis sentiendum non est: quia quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid, quod ignorent.* Augustinus vero, in lib. de cura pro mortuis agenda, c. 13. et 16. expresse dicit, quod *nesciunt mortui etiam sancti, quid agant vivi, et eorum filii* . . . Sed Augustinus hoc dubitando dicit: unde praemittit: *ut volet accipiat quisque quod dicam:* Gregorius autem, assertive: quod patet per hoc, quod dicit: *nullo modo credendum est.*

Magis tamen videtur secundum sententiam Gregorii, quod animae Sanctorum Deum videntes, omnia praesentia, quae hic aguntur, cognoscant. Sunt enim Angelis aequales: de quibus etiam Aug. eodem libro c. 15. asserit, quod ea, quae apud vivos aguntur, non ignorant. Sed quia Sanctorum animae sunt perfectissime justitiae divinae conjunctae, nec tristantur, nec rebus viventium se ingerunt, nisi secundum quod justitiae divinae dispositio exigit.

Caeterum, animae mortuorum possunt habere curam de rebus viventium, etiamsi ignorent eorum statum; sicut nos habemus de mortuis, eis suffragia impendendo, quamvis eorum statum ignoremus. Possunt etiam facta viventium non per seipsos cognoscere, sed vel per animas eorum, qui hinc ad eos accedunt, vel per angelos, seu daemones, vel etiam spiritu Dei revelante, sicut Aug. in eodem lib. dicit c. 15.

Quod *autem* mortui viventibus apparent qualitercumque, vel contigit per specialem Dei dispensationem, ut animae mortuorum rebus viventium intersint; et est inter divina miracula computandum: vel hujusmodi operationes fiunt per operationes Angelorum bonorum, vel malorum, etiam ignorantibus mortuis; sicut etiam vivi ignorantes aliis viventibus apparent in somnis, ut Aug. dicit in libro praedicto c. 10. Unde, et de Samuele dici potest quod ipse apparuit per revelationem divinam secundum hoc, quod dicitur Eccl. 46. 23. quod *dormivit, et notum fecit regi finem vitae suae:* vel illa apparitio fuit procurata per daemones.

(Q. 90.) DE HOMINIS PRODUCTIONE, QUANTUM AD ANIMAM.

Deinde considerandum est de prima hominis productione, et circa hoc consideranda sunt quatuor. Primo, de productione ipsius hominis, secundo, de fine productionis, tertio, de statu, et conditione hominis primo producti. Quarto, de loco ejus.

(a. 4.) Origenes l. 1 Periar. c. 7. et 8. posuit non solum animam primi hominis, sed animas omnium hominum ante corpora simul cum Angelis creatas, propter hoc, quod credit omnes spirituales substantias, tam animas, quam Angelos, aequales esse secundum suae naturae conditionem, sed solum merito distare; sic quod quaedam earum corporibus alligantur (quae sunt animae hominum, vel coelestium corporum) quaedam vero, in sui puritate, secundum diversos ordines, remanent. De qua opinione supra jam diximus, q. 47. a. 2, et ideo relinquatur ad praesens . . . Sustinendo *autem* opinionem Augustini de operibus sex dierum, dici poterit, quod anima

humana praecessit in operibus sex dierum, secundum quamdam similitudinem generis, prout convenit cum Angelis in intellectuali natura; ipsa vero, fuit creata simul cum corpore. Secundum alios vero Sanctos, tam anima, quam corpus primi hominis, in operibus sex dierum sunt producta.

(Q. 91.) DE PRODUCTIONE CORPORIS PRIMI HOMINIS.

(a. 1.) Corpus *autem* primi hominis fuit, factum de limo terrae, Gen. 2. 7.

(Q. 92.) DE PRODUCTIONE MULIERIS.

(a. 2.) Et *creavit ex ipso*, scilicet viro, *adiutorium simile sibi*, scilicet mulierem (a. 3.) *et quidem ex ejus costa*, Gen. 2. 22. ad significandum, primo: quod inter virum, et mulierem debet esse socialis conjunctio: neque enim mulier debet dominari in virum; et ideo non est formata de capite: neque debet a viro despici, tamquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus. Secundo, propter Sacramentum: quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, idest sanguis, et aqua, quibus est Ecclesia instituta.

(Q. 93.) DE FINE, SIVE TERMINO PRODUCTIONIS HOMINIS.

(a. 1.) Manifestum est, quod in homine invenitur aliqua Dei similitudo, quae deducitur a Deo, sicut ab exemplari; non tamen est similitudo secundum aequalitatem, quia in infinitum excedit exemplar hoc

tale exemplatum. Et ideo, in homine dicitur esse imago Dei, non tamen perfecta, sed imperfecta. Et hoc significat Scriptura cum dicit *hominem factum ad imaginem Dei*. Praepositio enim *ad*, accessum quemdam significat, qui competit rei distanti.

(a. 3.) *Multo* magis *autem* Angelus est ad imaginem Dei, quam homo, . . . secundum intellectualem naturam *solum*, . . . quia intellectualis natura perfectior est in Angelo, et secundum illam attenditur ratiò divinae imaginis in homine.

(a. 6.) *Dixi solum secundum illam, ėt hinc* cum in omnibus creaturis sit aliqualis Dei similitudo, in sola creatura rationali invenitur similitudo Dei per modum *imaginis*, in aliis autem creaturis, per modum *vestigii*. Id autem, in quo creatura rationalis excedit alias creaturas, est intellectus, sive mens . . . *Et sane*, quantum ad similitudinem divinae naturae pertinet, creaturae rationales videntur quodammodo ad rapraesentationem speciei pertingere, in quantum imitantur Deum, non solum in hoc, quod est, et vivit, sed etiam in hoc, quod intelligit. Aliae vero creaturae, non intelligunt; sed apparet in eis quoddam vestigium intellectus producentis, si earum dispositio consideretur. Similiter cum increata Trinitas distinguatur secundum processionem Verbi a dicente, et Amoris ab utroque, in creatura rationali, in qua invenitur processio verbi secundum intellectum, et processio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatae, per quamdam rapraesentationem speciei. In aliis autem creaturis, non invenitur principium verbi, et verbum, et amor; sed apparet in eis quoddam vestigium, quod haec inveniantur in causa producente.

(Q. 94.) DE STATU, ET CONDITIONE PRIMI HOMINIS, QUANTUM AD INTELLECTUM.

(a. 1.) Primus homo, Deum per essentiam non vidit secundum communem statum illius vitae: nisi forte dicatur, quod viderit Deum in raptu, quando Deus *immisit soporem in Adam*, ut dicitur Gen. 2... *Sane* omnes videntes Deum per essentiam, sic in amore Dei stabiliuntur, quod in aeternum peccare non possunt. Cum ergo Adam peccaverit, manifestum est, quod Deum per essentiam non viderit. Cognoscebat tamen Deum quadam altiori cognitione, quam nos nunc cognoscamus.

(a. 2.) Neque Angelos per essentiam vidit . . . *Nam* anima Adae, fuit ejusdem naturae cum animabus nostris. Sed animae nostrae non possunt nunc intelligere substantias separatas. Ergo nec anima primi hominis potuit.

(a. 3.) Primus homo habuit scientiam omnium. Imposuit nomina animalibus, ut dicitur Gen. 2. Nomina autem, debent naturis rerum congruere. Ergo Adam scivit naturas omnium animalium, et, pari ratione, habuit omnium aliorum scientiam . . . et sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare; ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, et gubernare... De supernaturalibus *quoque*, tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae, secundum statum illum.

(a. 4.) Insuper, rectitudo primi status non compatiebatur aliquam deceptionem circa intellectum; *juxta* quod dicit Aug. l. 3 de lib. arb. c. 18, *approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed poena damnati.*

(Q. 95.) DE HIS, QUAE PERTINENT AD VOLUNTATEM PRIMI HOMINIS, GRATIA SCILICET, ET JUSTITIA.

Vide Append. C. IV, §. 4.

(a. 1.) Primus homo creatus fuit in gratia; *et revera,* homo, et Angelus aequaliter ordinantur ad gratiam. Sed Angelus est creatus in gratia: dicit enim Aug. l. 12. de Civ. Dei, c. 9. quod *Deus simul erat in eis condens naturam, et largiens gratiam.* Ergo et homo creatus fuit in gratia. Quidam *utique* dicunt, quod primus homo non fuit creatus in gratia; sed tamen postmodum gratia fuit sibi collata antequam peccasset. Plurimae autem Sanctorum auctoritates attestantur hominem in statu innocentiae gratiam habuisse. Sed quod fuerit etiam conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccl. 7. 30. *Deus fecit hominem rectum.* Erat enim rectitudo secundum, hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. Prima autem subjectio, erat causa et secundae, et tertiae. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur, ut Aug. dicit. c. 16. l. 1. de remiss. pecc. Manifestum est autem, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non est naturalis: alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit c. 4. de div. nom. Unde manifestum est, quod et illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae: non enim potest esse, quod effectus sit potior quam causa. Unde Aug. dicit l. 13. de Civ. Dei,

c. 13. quod *postquam praecepti facta transgressio est, confestim, gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suae, tamquam reciprocam poenam inobedientiae suae.* Ex quo datur intelligi, si deserente gratia soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem, inferiora ei subdebantur.

Obijcies. Apostolus I Cor. 15. 45. distinguens Adam a Christo dicit: *factus est primus Adam in animam viventem, novissimus autem in spiritum vivificantem.* Sed vivificatio spiritus est per gratiam. Ergo hoc est proprium Christi, quod fuerit factus in gratia. Praeterea Aug. vel alius Auctor dicit in lib. de quaest. vet. et novi Test. q. 123, quod Adam non habuit Spiritum Sanctum. Sed quicumque habet gratiam, habet Spiritum Sanctum. Ergo Adam non fuit creatus in gratia. Praeterea Augustinus dicit in lib. de corrept. et gr. c. 10. quod *Deus sic ordinavit Angelorum, et hominum vitam, ut prius in eis ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium, justitiaeque judicium.*

Ad primum dicendum, quod Apostolus illa verba inducit ad ostendendum esse corpus spirituale, sicut corpus animale: quia vita spiritualis corporis incepit in Christo, qui est *Primogenitus ex mortuis,* sicut vita corporis animalis incepit in Adam. Non ergo in verbis Apostoli habetur, quod Adam non fuit spiritualis secundum animam, sed quod non fuit spiritualis secundum corpus.

Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. vel alius auctor dicit loco citato, non negatur quin aliquo modo fuerit in Adam Spiritus Sanctus, sicut et in aliis justis; sed quod non sic fuerit in eo, sicut nunc est in fidelibus, qui admittuntur ad perceptionem haereditatis aeternae, statim post mortem.

Ad tertium dicendum, quod ex illa auctoritate Augustini, non habetur quod Angelus, vel homo prius fuerit creatus in naturali libertate arbitrii, quam habuisset gratiam; sed quod ostendit quid in eis posset liberum arbitrium ante confirmationem, et quid postmodum consecuti essent, per auxilium gratiae confirmantis.

(a. 2.) *Quoniam* in statu innocentiae inferior appetitus erat rationi totaliter subjectus, *ideo* non erant in eo passiones animae, nisi ex rationis judicio consequentes, *sic* Aug. dicit l. 14. de Civ. Dei, c. 10. quod *erat in eis amor imperturbatus in Deum, et quaedam aliae animae passiones.*

(a. 3.) Adam habuit *quoque* omnes virtutes, *unde* Aug. dicit in Conc. ad Cathecum. contra Judaeos, Paganos, et Arianos c. 2: *princeps vitiorum vicit Adam de luto terrae ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, claritate circumdatum.*

(a. 4.) *Nec* opera primi hominis fuerunt minus efficacia ad merendum, quam opera nostra. Quantitas *enim* meriti, ex duobus potest pensari. Uno modo, ex radice charitatis, et gratiae: et talis quantitas meriti, respondet praemio essentiali, quod consistit in Dei fruitione: qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti, ex quantitate operis: quae quidem est duplex, scilicet absoluta, et proportionalis. Vidua enim, quae misit duo aera minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate absoluta quam illi, qui magna munera posuerunt; sed quantitate proportionali, vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis ejus facultatem superabat. Utraque tamen quantitas meriti, respondet praemio accidentali, quod est gaudium de bono creato. Sic igitur dicendum, quod efficaciora fuissent

hominis opera ad merendum in statu innocentiae, quam post peccatum, si attendatur quantitas meriti ex parte gratiae, quae tunc copiosior fuisset, nullo obstaculo in natura humana invento: similiter etiam si consideretur absoluta quantitas operis quia cum homo esset majoris virtutis, majora opera fecisset. Sed si consideretur quantitas proportionalis, major invenitur ratio meriti post peccatum, propter hominis imbecillitatem. Magis enim excedit parvum opus potestatem ejus, qui cum difficultate operatur illud, quam opus magnum, potestatem ejus, qui sine difficultate illud operatur.

Nec dicas: gratia ex Dei misericordia datur, quae magis indigentibus subvenit magis. Sed nos indigemus magis gratia, quam primus homo in statu innocentiae. Ergo copiosius infunditur nobis gratia: quae cum sit radix meriti, opera nostra efficaciora ad merendum redduntur.

Dicendum *enim,* quod homo post peccatum ad plura indiget gratia, quam ante peccatum, sed non magis: quia homo etiam ante peccatum indigebat gratia ad vitam aeternam consequendam, quae est principalis necessitas gratiae; sed homo post peccatum, super hoc indiget gratia etiam ad peccati remissionem, et infirmitatis sustentationem.

(Q. 96.) DE DOMINIO, QUOD HOMINI IN STATU INNOCENTIAE COMPETEBAT.

(a. 1.) Dicitur Gen. 1. 26. de homine: *praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis terrae... Sane* cum homo sit supra caetera animalia, utpote ad imaginem Dei factus, convenienter ejus gubernationi alia animalia subduntur.

(a. 3.) Secundum animam, diversitas fuisset et quantum ad justitiam, et quantum ad scientiam...

Ex parte etiam corporis poterat esse disparitas, . . ita tamen, quod in illis, qui excederentur, nullus esset defectus, vel peccatum, sive circa animam, sive circa corpus.

(a. 4.) In statu innocentiae, homo homini non dominaretur, *ut dominus servo* . . . sed ut libero . . . Dominatur autem aliquis alteri ut libero, quando dirigit ipsum ad proprium bonum ejus, qui dirigitur, vel ad bonum commune . . . socialis enim vita multorum esse non posset, nisi unus praesideret.

(Q. 97.) DE HIS, QUAE PERTINENT AD STATUM PRIMI HOMINIS, QUANTUM AD INDIVIDUUM.

(a. 1.) Homo in statu innocentiae esset immortalis, per donum gratiae, *juxta* quod dicitur ad Rom. 5. 13. *per peccatum intravit mors in mundum;* (a. 2.) fuisset etiam impassibilis; (a. 3.) indigebat *tamen* cibis, Gen. 2. 16: *de omni ligno, quod est in paradiso, comede;* (a. 4.) per lignum *autem* vitae, immortalitatem consecutus fuisset, Gen. 3, 22: *ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum.*

(Q. 98.) DE HIS, QUAE PERTINENT AD CONSERVATIONEM SPECIEI, PER GENERATIONEM.

Ad conservationem *vero* speciei, in statu innocentiae fuisset generatio, Gen. 1. 28: *crescite, et multiplicamini.*

(Q. 99.) DE CONDITIONE PROLIS GENERANDAE QUANTUM AD CORPUS IN ILLO STATU.

(a. 1.) At pueri a principio imperfecti fuissent, et quantitate, et virtute corporis.

(Q. 100.) DE CONDITIONE PROLIS TUNC GENERANDAE QUOAD JUSTITIAM.

(a. 1.) Et homines nati fuissent cum justitia, (a. 2.) *minime* vero in justitia confirmati, *ut* Aug. dicit l. 14. de Civ. Dei, c. 10: *tunc felix esset humana societas, si nec illi,* scilicet primi parentes, *malum in posteros trajcerent; nec quisquam ex stirpe eorum iniquitatem committeret, quae damnationem reciperet.*

(Q. 101.) DE CONDITIONE PROLIS TUNC GENERANDAE QUOAD SCIENTIAM.

(a. 1.) *Neque* nati fuissent in scientia perfecti, sed eam in processu temporis, absque difficultate acquisivissent, inveniendo, vel addiscendo, (a. 2.) *nec* mox nati, habuissent perfectum usum rationis.

(Q. 102.) DE LOCO HOMINIS, QUI EST PARADISUS.

(a. 1.) Homo factus *non* fuit in paradiso, *sed tulit Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum.* Paradisus *igitur,* fuit locus congruus habitationi humanae, quantum ad incorruptionem primi status. Incorruptio autem illa, non erat hominis secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono. Ut ergo hoc gratiae Dei imputaretur, non humanae naturae, Deus hominem extra paradisum fecit; et postea ipsum in paradiso posuit, ut habitaret ibi toto tempore animalis vitae, postmodum, cum spiritualem vitam adeptus esset, transferendus in coelum.

(Q. 103.) DE GUBERNATIONE RERUM IN COMMUNI.

Postquam praemissum est de creatione rerum, et distinctione earum, restat nunc tertio considerandum de rerum gubernatione: et primo, in communi; secundo, in speciali de effectibus gubernationis.

(a. 5.) *Quod* omnia divinae gubernationi subdantur, *clare* Aug. dicit l. 5. de Civ. Dei c. 11: *Deus non solum coelum, et terram, nec solum hominem, et Angelum, sed nec exigui, et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbae flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia derelinquit. Et sane,* secundum eamdem rationem competit Deo esse gubernatorem rerum, et causam earum; quia ejusdem est res producere, et eis perfectionem dare, quod ad gubernantem pertinet . . . Unde sicut nihil potest esse, quod non sit a Deo creatum; ita nihil potest esse, quod ejus gubernationi non subdatur.

Cum *autem* Apostolus dicit, quod *Deo non est cura de bobus,* non totaliter subtrahit boves a cura gubernationis divinae, sed solum quantum ad modum, qui proprie competit rationali creaturae.

Quod si dicas, quod creatura rationalis se ipsam gubernare potest, cum habeat dominium sui actus, et per se agat, *respondeo,* quod creatura rationalis gubernat se ipsam per intellectum, et voluntatem: quorum utrumque indiget regi, et perfici ab intellectu, et voluntate Dei. Et ideo, supra gubernationem, qua creatura rationalis gubernat se ipsam tamquam domina sui actus, indiget gubernari a Deo.

(a. 6.) In gubernatione, *tamen* duo sunt consideranda: scilicet ratio gubernationis, quae est ipsa providentia; et executio. Quantum igitur ad rationem gubernationis pertinet, Deus immediate omnia

gubernat; quantum autem pertinet ad executionem gubernationis, Deus gubernat quaedam; mediantibus aliis.

(a. 7.) Nec aliquid praeter ordinem divinae gubernationis contingere potest . . . sed ex hoc ipso quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine divinae providentiae, qui consideratur secundum aliquam particularem causam, necesse est, quod in eumdem ordinem relabatur, secundum aliam causam... Si *enim* totaliter exiret ab ordine gubernationis divinae, totaliter nihil esset . . . *Sic* aliqua dicuntur esse casualia in rebus, per ordinem ad causas particulares, extra quarum ordinem fiunt; sed quantum ad divinam providentiam pertinet, nihil fit casu in mundo, ut Aug. dicit in Lib. 83. Quaest. q. 24.

(a. 8.) *Pariter* dicuntur aliqui vel cogitare, vel loqui, vel agere contra Deum; non quia totaliter renitantur ordini divinae gubernationis (quia etiam peccantes intendunt aliquod bonum;) sed quia contranituntur cuidam determinato bono, quod est eis conveniens secundum suam naturam, aut statum.

(Q. 104.) DE EFFECTIBUS DIVINAE GUBERNATIONIS IN SPECIALI.

(a. 2.) Deus dat esse rebus, mediantibus aliquibus causis mediis, et sic etiam res in esse conservat, mediantibus aliquibus causis.

(a. 3.) Sicut *Deus* antequam res essent, potuit eis non communicare esse: et sic eas non facere; ita postquam jam factae sunt, potest eis non influere esse; et sic esse desinerent; quod est eas in nihilum redigere.

(a. 4.) Créaturarum autem naturae hoc demonstrant, ut nulla earum in nihilum redigatur: quia vel

sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales, et sic saltem remanent semper secundum materiam, quae incorruptibilis est utpote subjectum existens generationis, et corruptionis. Redigere etiam aliquid in nihilum, non pertinet ad gratiae manifestationem, cum magis per hoc divina potentia, et bonitas ostendatur, quod res in esse conservat. Unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigitur.

(Q. 105.) DE MUTATIONE CREATURARUM A DEO.

Deinde considerandum est de secundo effectu gubernationis divinae, qui est mutatio creaturarum: et primo, de mutatione creaturarum a Deo, secundo, de mutatione unius creaturae ab alia.

(a. 1.) Cum materia contineatur sub potestate divina, utpote a Deo producta, potest reduci in actum per divinam potentiam; et hoc est moveri materiam ad formam: quia forma nihil aliud est, quam actus materiae. (a. 2.) *Et* cum Deus possit immediate formam materiae imprimere, consequens est, ut possit secundum quemcumque motum, corpus quodcumque movere. (a. 3.) Deus *docet hominem scientiam*, sicut dicitur in Ps. 93. 10... igitur Deus movet intellectum creatum, in quantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel superadditam, et in quantum imprimit eis species intelligibiles, et utrumque tenet, et conservat in esse.

(a. 4.) Movet *quoque* voluntatem creatam, *juxta*, quod dicitur Phil. 2. 13: *Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere.* Sicut intellectus movetur ab objecto, et ab eo, qui dedit virtutem intelligendi, ita voluntas movetur ab objecto, quod est bonum, et ab eo, qui causat virtutem volendi... Solus *autem*

Deus est bonum universale. Unde ipse solus implet voluntatem, et sufficienter eam movet, ut objectum. Similiter autem ei, virtus volendi a solo Deo causatur. Velle enim, nihil aliud est, quam inclinatio quaedam in objectum voluntatis, quod est bonum universale. Inclinare autem in bonum universale, est primi moventis, cui proportionatur ultimus finis, sicut in rebus humanis dirigere in bonum commune est ejus, qui praest multitudini. Unde, utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maxime secundo modo, interius eam inclinando.

Nec ideo cogitur voluntas, illud *enim*, quod movetur ab altero, dicitur cogi, si movetur contra inclinationem propriam, . . . Deus *vero*, dat ei ejus propriam inclinationem.

Pariter est falsum, quod si Deus moveat voluntatem, sequitur quod opera voluntaria non imputentur homini ad meritum, vel demeritum, . . per hoc *enim*, quod voluntas movetur ab alio, non excluditur quin moveatur ex se, . . idest a principio intrinseco. Sed illud principium intrinsecum, potest esse ab alio principio extrinseco: et sic moveri ex se, non repugnat ei, quod movetur ab alio . . . Ideo per consequens, non tollitur ratio meriti, vel demeriti.

(a. 5.) *Quando autem legitur* Isaiae 26. 12: *omnia opera nostra operatus es in nobis, non est intelligendum* Deum sic operari in quolibet operante, quod nulla virtus creata operetur in rebus, *quod* est impossibile; primo, quia sic subtraheretur ordo causae, et causati a rebus creatis: quod pertinet ad impotentiam creantis; ex virtute enim agentis est, quod suo effectui det virtutem agendi. Secundo, quia virtutes operativae, quae in rebus inveniuntur, frustra essent rebus attributae, . . *sed* sic intelligendum est Deum operari in rebus, quod tamen ipsae res propriam habeant operationem.

(a. 6.) Deus potest facere aliquid praeter ordinem rebus inditum, *non* prout ordo dependet a prima causa . . . Si enim sic faceret, faceret contra suam praescientiam, aut voluntatem, aut bonitatem; *sed* prout ordo dependet a qualibet secundarum causarum . . . quia ordini secundarum causarum ipse non est subjectus, sed talis ordo ei subijcitur quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere: unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit; puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt. Unde et Aug. dicit l. 26. contra Faustum c. 3. quod *Deus contra solitum cursum naturae facit; sed contra summam legem, nullo modo facit, quia contra se ipsum non facit.*

Absit tamen, quod si praeter ordinem naturae Deus aliquid facit, videatur quod ipse sit mutabilis... Deus *enim* sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde cum praeter hunc ordinem agit, non mutatur.

(a. 7.) Omnia *autem*, quae Deus facit praeter ordinem naturalem rerum, sunt miracula, *ut* Aug. dicit l. 26. contra Faustum, c. 3. quod *cum Deus aliquid facit contra cognitum nobis cursum, solitumque naturae, magnalia, vel mirabilia nominantur.* Nomen miraculi, ab admiratione sumitur. Admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti, et causa occulta . . . . Potest autem causa effectus alicujus apparentis, alicui esse nota, quae tamen est alii incognita. Unde aliquid est mirum uni, quod non est mirum alii . . . . Miraculum autem dicitur, quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter, et omnibus occultam. Haec autem

est Deus. Unde illa, quae a Deo fiunt praeter causas nobis notas, miracula dicuntur . . . Creatio *autem* mundi, et etiam animarum, et justificatio impii, etsi a solo Deo fiant, non tamen proprie loquendo miracula dicuntur: quia non sunt nata fieri per alias causas, *nisi a solo Deo;* et ita non contingunt praeter ordinem naturae, cum haec ad ordinem naturae non pertingant.

(Q. 106.) QUOMODO UNA CREATURA MOVEAT ALIAM; ET PRIMO, DE ANGELORUM ILLUMINATIONE.

Deinde considerandum est, quomodo una creatura moveat aliam. Primo consideremus quomodo Angeli moveant, qui sunt creaturae pure spirituales... et primo, quomodo Angelus agat in Angelum; secundo, quomodo in creaturam corporalem; tertio, quomodo in homines.

(a. 1.) Unus Angelus illuminat alium . . . . in quantum ei manifestat veritatem, quam ipse cognoscit... Superior *namque* Angelus, plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit, quam inferior, et de his eum illuminat: et hoc est, quod dicit Dyonysius de div. nom. c. 1. quod *Angeli, existentium illuminantur rationibus. Non tamen* unus Angelus illuminat alium tradendo ei lumen naturae, vel gratiae, vel gloriae, *quod totum Dei est;* sed confortando lumen naturale ipsius, et manifestando ei veritatem de his, quae pertinent ad statum naturae, et gratiae, et gloriae.

(a. 2.) Unus *vero* Angelus non potest mutare voluntatem alterius; *eam enim* solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturae contulit.

(a. 3.) Inferiores *autem* Angeli numquam illuminant superiores, sed semper ab eis illuminantur.

(a. 4.) *Quoniam* omnes creaturae ex divina bonitate participant, ut bonum quod habent in alia diffundant; nam de ratione boni est, quod se aliis communicet . . . . *ideo* Sancti Angeli, qui sunt in plenissima participatione divinae bonitatis, *quicquid* a Deo percipiunt, subjectis impertiuntur, *nempe* Angelus superior illuminat inferiorem, de omnibus *sibi* notis . . . Non tamen recipitur ab inferioribus ita excellenter, sicut est in superioribus: et ideo superiores semper remanent in altiori ordine, et perfectiorem scientiam habent; sicut unum in eamdem rem plenius intelligit Magister quam discipulus, qui ab eo addiscit.

(Q. 107.) DE LOCUTIONIBUS ANGELORUM.

(a. 1.) *Dicitur, quod* unus Angelus alteri loquater, *quia* ex hoc, quod conceptus mentis Angelicae ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli, conceptus mentis unius Angeli innotescit alteri; et sic loquitur unus Angelus alteri: nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.

(a. 2.) *Quoniam* manifestatio eorum, quae ad voluntatem pertinent, per ipsum volentem deducitur ad alios quoscumque, *ideo* quantum ad hoc, et superiores *Angeli* inferioribus, et inferiores superioribus loquuntur. (a. 3.) *Sicut etiam* Deo, vel consulendo divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam, quam numquam comprehendunt, admirando.

(a. 4.) Nec localis distantia operatur aliquid, *in* locutione Angelorum, (a. 5.) nec locutionem *unius* Angeli ad alium, omnes cognoscunt.

(Q. 108.) DE ORDINATIONE ANGELORUM SECUNDUM HIERARCHIAS, ET ORDINES.

(a. 1.) Dictum est quod superiores Angeli illuminant inferiores, *hinc* non omnes sunt unius hierarchiae ... Dionysius c. 6. de coel. hier. distinguit tres hierarchias Angelorum. Hierarchia *autem*, est sacer principatus. In nomine principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps, et multitudo ordinata sub principe. Quia unus est Deus, princeps non solum omnium Angelorum, sed etiam hominum, et totius creaturae, ideo non solum omnium Angelorum, sed etiam totius rationalis creaturae, quae sacrorum particeps esse potest, una est hierarchia... Sed si consideretur principatus ex parte multitudinis ordinatae sub principe, sic unus principatus dicitur, secundum quod multitudo uno, et eodem modo potest gubernationem principis recipere. Quae vero non possunt secundum eumdem modum gubernari a principe, ad diversos principatus pertinent; sicut sub uno rege sunt diversae civitates, quae diversis reguntur legibus, et ministris. Manifestum est autem, quod homines alio modo divinas illuminationes percipiunt, quam Angeli: nam Angeli percipiunt eas in intelligibili puritate, homines vero percipiunt eas sub sensibilium similitudinibus, ut Dionysius dicit c. 1. coel. hier. Et ideo oportet distingui humanam hierarchiam, ab angelica. Et per eumdem modum, in Angelis tres hierarchiae distinguuntur. Dictum est enim supra, q. 55. a. 3. dum de cognitione Angelorum ageretur, quod superiores Angeli habent universaliorem cognitionem veritatis, quam inferiores. Hujusmodi autem universalis acceptio cognitionis, secundum tres gradus in Angelis distingui potest. Possunt enim rationes rerum, de quibus Angeli

illuminantur, considerari tripliciter. Primo quidem secundum quod procedunt a primo principio universali, quod est Deus: et iste modus convenit primae hierarchiae, quae immediate ad Deum extenditur, et quasi in vestibulis Dei collocatur, ut Dion. dicit c. 7. coel. hier. Secundo vero, prout hujusmodi rationes dependent ab universalibus causis creatis, quae jam aliquo modo multiplicantur: et hic modus convenit secundae hierarchiae. Tertio autem modo, secundum quod hujusmodi rationes applicantur singulis rebus, prout dependent a propriis causis: et hic modus convenit infimae hierarchiae.

(a. 2.) In una hierarchia plures sunt ordines... *quia enim* una hierarchia est unus principatus, idest una multitudo, ordinata uno modo, sub principis gubernatione, *hinc* non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent. Ipsa ergo ratio hierarchiae, requirit ordinum diversitatem.

(a. 3.) In unoquoque *autem* ordine, sunt plures Angeli... Auctoritas Sacrae Scripturae sic nominat *ordines Angelorum:* Nomen *Seraphim,* ponitur Isaiae 6. nomen *Cherubim,* Ezech. 1. nomen *Thronorum,* Colos. 1. *Dominationes* autem, et *virtutes,* et *potestates,* et *principatus,* ponuntur Ephes. 1. nomen autem *Archangeli, ponitur* in canonica Judae: nomen autem *Angelorum,* in pluribus Scripturae locis.

(a. 5.) Dionysius exponit ordinum nomina, secundum convenientiam ad spirituales perfectiones eorum; Gregorius vero, hom. 34. in Evang. in expositione horum nominum magis attendere videtur exteriora ministeria: dicit enim quod *Angeli* dicuntur, qui minima nuntiant; *Archangeli,* qui summa, *Virtutes,* per quas miracula fiunt, *Potestates,* quibus adversae potestates arcentur, vel repelluntur; *Principatus,* qui ipsis bonis spiritibus praesunt.

(a. 8.) *Quod vero* Dominus dicit Matth. 22. 30. de Sanctis, quod *erunt sicut Angeli Dei in coelo, intelligendum est, quod* homines sancti assumantur ad ordines Angelorum, *non tamen* quantum ad gradum naturae, sic *enim* homines nullo modo assumi possunt ad ordines Angelorum, quia semper remanebit naturarum distinctio, *sed* ex dono gratiae, quae dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturae. Et ideo, per donum gratiae homines mereri possunt tantam gloriam, ut Angelis aequentur secundum singulos Angelorum gradus: quod est, homines ad ordines Angelorum assumi.

(Q. 109.) DE ORDINATIONE MALORUM ANGELORUM.

(a. 1.) Ordines sunt *quoque* in daemonibus.... si considerentur quantum ad id, quod est naturae... quia data naturalia non amiserunt . . . . Si autem considerentur quantum ad id, quod est gratiae, sic daemones fuerunt quidem aliquando in ordinibus Angelorum, sed ab illis ceciderunt.

(a. 2.) Ipsa *etiam* naturalis dispositio daemonum, requirit quod sit in eis praelatio. Convenit enim hoc divinae sapientiae, quae nihil in universo inordinatum relinquit, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, ut dicitur Sap. 8. 1.

(a. 3.) *Non vero* in daemonibus potest esse illuminatio proprie . . . nempe manifestatio veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum . . . Perversitas enim daemonum hoc habet, quod unus alium non intendit ordinare ad Deum, sed magis ab ordine divino abducere: et ideo, unus daemon alium non illuminat; sed unus alii suum conceptum per modum

locutionis intimare potest... *Unde etsi* unus daemon potest alteri veritatem manifestare, quia superiores magis acumine naturalis scientiae vigent . . . . *haec* manifestatio non habet rationem illuminationis, sed solum quae mox dicta est.

(a. 4.) *Quoniam* totus ordo praelationis primo, et originaliter est in Deo; et participatur a creaturis secundum quod Deo magis appropinquant . . . ideo boni Angeli super malos praelationem habent, et hi per eos reguntur.

(Q. 110.) DE PRAESIDENTIA ANGELORUM SUPER CREATURAM CORPORALEM.

(a. 1.) *Quoad* praesidentiam Angelorum super creaturam corporalem, . . . sicut inferiores Angeli, qui habent formas minus universales, reguntur per superiores; ita omnia corporalia reguntur per Angelos. Et hoc non solum a sanctis Doctoribus ponitur, sed etiam ab omnibus Philosophis, quiin corporeas substantias posuerunt.

(a. 2.) *Non tamen* materia corporalis obedit Angelis ad nutum . . . . sic Aug. dicit l. 4. de Trin. c. 8: *non est putandum, istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilem rerum materiam, sed soli Deo. Unde* nihil prohibet, ex virtute Angelorum aliquos effectus sequi in rebus naturalibus, ad quos agentia corporalia non sufficerent. Sed hoc non est, Angelo obedire materiam ad nutum.

(a. 3.) Corpora *vero* obediunt eis, ad motum localem . . . . *Sane* Angeli habent virtutem minus contractam, quam animae. Unde virtus motiva animae contrahitur ad corpus unitum, quod per eam vivificatur; quo mediante, alia potest movere. Sed virtus Angeli, non est contracta ad aliquod corpus: unde potest corpora non conjuncta localiter movere.

(a. 4.) *Non* possunt facere miracula, *unde* de Deo dicitur Ps. 135. 4: *qui facit mirabilia magna solus* . . . . Aliquid *enim* dicitur esse miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae. Hoc autem, non potest facere nisi Deus: quia quidquid facit Angelus, vel quaecumque alia creatura, propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturae creatae. et sic non est miraculum . . . . Sic igitur, cum daemones aliquid faciunt sua virtute naturali, miracula dicuntur, non simpliciter, sed quoad nos. Et hoc modo, magi per daemones miracula faciunt.

(Q. 111.) DE ACTIONE ANGELORUM IN HOMINES.

Deinde considerandum est de actione Angelorum in homines.

(a. 1.) Cum divinae providentiae ordo habeat, ut actionibus superiorum inferiora subdantur, sicut inferiores Angeli illuminantur per superiores; ita homines, qui sunt Angelis inferiores.

(a. 2.) *Non tamen* possunt immutare voluntatem hominis, *quod* est proprium Dei, secundum illud Prov. 21. 1: *cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud.*

(a. 3.) Possunt immutare imaginationem hominis; *sic* Angeli revelant aliqua in somnis, ut patet Matt. 1. et 11. de Angelo, qui Joseph in somnis apparuit.

(a. 4.) *Similiter* possunt immutare sensum humanum: *ita* Angeli qui subverterunt Sodomam, *percusserunt Sodomitas caecitate, ut ostium domus invenire non possent,* ut dicitur Gen. 19. 11. Et simile legitur IV. Regum. 6. de Syris, quos Eliseus duxit in Samariam.

(Q. 112.) DE MISSIONE ANGELORUM.

(a. 1.) Angeli in ministerium mittuntur, *ut* dicitur Exod. 23. 20: *ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te; non tamen* omnes mittuntur, *unde* Gregorius hom. 34. in Ev. dicit referens sententiam Dionysii: *superiora agmina, usum exterioris exercitii nequaquam habent.*

(a. 3.) Illi, qui in ministerium mittuntur, non assistunt *Deo; nempe clarius:* omnes Angeli *cum* divinam essentiam immediate videant, quantum ad hoc, etiam qui ministrant dicuntur assistere . . . *Sed quia* secreta divinorum mysteriorum, in ipsa claritate divinae essentiae percipere possunt . . . soli superiores Angeli, per quos inferioribus denuntiantur, secundum hoc soli superiores, qui sunt primae hierarchiae, assistere dicuntur.

(a. 4.) *Non tamen* Angeli secundae hierarchiae omnes mittuntur; *sed cum* in nominibus inferiorum *quinque* ordinum, intelligatur aliqua executio . . . ad hos quinque ordines pertinet, in exterius ministerium mitti: non autem ad quatuor superiores.

(Q. 113.) DE CUSTODIA BONORUM ANGELORUM, ET IMPUGNATIONE MALORUM.

(a. 1.) Homines custodiuntur ab Angelis: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ps. 90. 11. (a. 2.) *et quidem* singuli homines a singulis Angelis, *ut* Hieron. exponens illud Matth. 18. *Angeli eorum in coelis etc.* dicit: *magna est dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.*

(a. 3.) *Quoniam* in Ps. 90. custodia hominum attribuitur Angelis, quorum ordo est infimus, secundum Dionysium, c. 11. coel. hier. *ideo* custodire homines pertinet solum ad infimum ordinem Angelorum.

Nec opponas, quod ad custodiam hominum maxime videtur esse necessarium arcere daemones, quod maxime pertinet ad potestates . . . *nam* etiam inferiores Angeli exercent officia superiorum, in quantum aliquid de dono eorum participant.

(a. 4.) Omnibus *autem* hominibus Angeli ad custodiam deputantur, *ut supra ex Hieron.*

(a. 5.) Et statim a nativitate habet homo Angelum, ad sui custodiam deputatum.

(a. 6.) Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit, prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum Judiciorum.

(a. 7.) Angeli non dolent neque de peccatis, neque de poenis hominum . . . quia voluntas eorum totaliter inhaeret ordini divinae justitiae.

(a. 8.) *Quaeritur,* utrum inter Angelos possit esse pugna, seu discordia. Ista quaestio movetur occasione horum verborum Danielis 10. 13. ex persona Gabrielis: *Princeps regni Persarum restitit mihi, viginti et uno diebus* . . . Considerandum est, quod divina judicia circa diversa regna, et diversos homines, per Angelos exercentur. In suis autem actionibus, Angeli per divinam sententiam regulantur... Sic igitur in quantum de contrariis meritis, et sibi repugnantibus divinam consulunt voluntatem, resistere sibi invicem dicuntur; non quia sint eorum contrariae voluntates (cum in hoc omnes concordent, quod Dei sententia impleatur) sed quia ea, de quibus consulunt, sunt repugnantia.

(Q. 114.) DE DAEMOMUM IMPUGNATIONE.

(a. 1.) *Circa* impugnationem daemonum, *patet* ex Ephes. 6. 12. *quod* homines impugnentur a daemonibus, (a. 2.) *et quidem* per tentationem; I. Thess. 3. 5. (a. 3.) *Non tamen* omnia peccata procedunt ex tentatione diaboli, *sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt,* lib. de Eccl. dogm. c. 82. (a. 4,) Daemones possunt homines seducere per aliqua miracula, *non tamen proprie talia, ut praecipue legitur de Antichristo,* II. Thess. 2. 9.

(Q. 115.) DE ACTIONE CORPORALIS CREATURAE.

Consequenter considerandum est de actione corporalis creaturae, et fato, quod aliquibus corporibus attribuitur.

(a. 1.) Sensibiliter apparet, aliqua corpora esse activa . . . (a. 2.) Et ut Aug. dicit III. de Trin. c. 8. *omnium rerum, quae corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporeis mundi hujus elementis, latent.*

(a. 6.) Quamvis ex impressione corporum coelestium fiant aliquae inclinationes in natura corporali, voluntas tamen non ex necessitate sequitur has inclinationes.

(Q. 116.) DE FATO.

(a. 1.) Boetius in IV. de Consol. pros. 6. definit fatum, dicens quod *fatum est, inhaerens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus*... Sic igitur in quantum omnia, quae hic aguntur, divinae providentiae subduntur, tam-

quam per eam praeordinata, et quasi praelocuta, fatum ponere possumus; licet hoc nomine sancti Doctores uti recusaverint, propter eos, qui ad vim positionis siderum, hoc nomen detorquebant. Unde Aug. dicit in V. de Civ. Dei c. 1: *si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem, fati nomine appellat; sententiam teneat, et linguam corrigat.* Et sic Gregorius in hom. Epiphaniae dicens: *absit a fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant* . . . . fatum esse negat.

(a. 2.) Sic ergo est manifestum, quod fatum est in ipsis causis creatis, in quantum sunt ordinatae a Deo, ad aliquos effectus producendos.

(a. 3.) Fatum, secundum considerationem secundarum causarum, mobile est; sed secundum quod subest divinae providentiae, immobilitatem sortitur, non quidem absolutae necessitatis, sed conditionatae: secundum quod dicimus, hanc conditionalem esse veram, vel necessariam: si Deus praescivit hoc futurum, erit.

(a. 4.) Sicut supra dictum est, fatum est ordinatio secundarum causarum, ad effectus divinitus provisos. Quaecumque igitur causis secundis, subduntur et fato. Si qua vero sunt, quae immediate a Deo fiunt, cum non subdantur secundis causis, non subduntur fato; sicut creatio rerum, glorificatio spiritualium substantiarum, et alia hujusmodi.

(Q. 117.) DE HIS, QUAE PERTINENT AD ACTIONEM HOMINIS.

Postea considerandum est de his, quae pertinent ad actionem hominis, qui est compositus ex spirituali, et corporali creatura: et primo, considerandum est de actione hominis; secundo, de propagatione hominis ex homine.

(a. 1.) Unus homo potest alium docere... (a. 2.) *Sed non* Angelos, *nempe* de rebus divinis, ab hominibus Angeli nunquam illuminantur; cogitationes tamen suorum cordium homines Angelis per modum locutionis manifestare possunt, quia secreta cordium scire, solius Dei est.

(a. 3.) Anima sua virtute naturali non potest immutare materiam corporalem, nisi mediantibus aliquibus corporibus . . . . Possibile est *tamen*, quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo pacto occulto, cooperetur ad hoc malignitas Daemonum, cum quibus vetulae sortilegae aliquod foedus habent.

(a. 4.) Anima separata sua naturali virtute non potest movere aliquod corpus. Manifestum est enim, quod cum anima est corpori unita, non movet corpus, nisi vivificatum: unde si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animae ad motum localem. Manifestum est autem, quod ab anima separata nullum corpus vivificatur: unde nullum corpus obedit ei ad motum localem, quantum est de virtute suae naturae, supra quam potest aliquid ei conferri virtute divina.

(Q. 118.) DE TRADUCTIONE HOMINIS EX HOMINE, QUANTUM AD ANIMAM.

Deinde considerandum est, de traductione hominis ex homine: et primo, quantum ad animam; secundo, quantum ad corpus.

(a. 1.) Quia generans est simile generato, necesse est, quod naturaliter tam anima sensitiva, quam aliae hujusmodi formae, producantur in esse ab aliquibus corporalibus agentibus transmutantibus materiam de potentia in actum per aliquam virtutem corpoream, quae in eis est... Postquam autem per virtutem principii activi, quod erat in semine, pro-

ducta est anima sensitiva in generato, quantum ad aliquam partem principalem, tunc jam illa anima sensitiva prolis incipit operari ad complementum proprii corporis per modum nutritionis, et augmenti. Virtus autem activa, quae erat in semine, esse desinit, dissoluto semine, et evanescente spiritu, qui inerat. Nec hoc est inconveniens: quia vis ista non est principale agens, sed instrumentale; motio autem instrumenti cessat, effectu jam producto in esse.

(a. 2.) *Non vero* anima intellectiva causatur ex semine . . . *Nam* impossibile est, virtutem activam quae est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum.

Ob. In homine est una et eadem anima secundum substantiam, intellectiva, sensitiva, et nutritiva. Sed anima sensitiva in homine generatur ex semine, sicut in aliis animalibus.... Ergo et anima intellectiva causatur ex semine.

Resp. quod anima praeexistit in embryone, a principio quidem nutritiva, postmodum autem sensitiva, et tandem intellectiva . . . *ita tamen, ut sit semper diversa* per essentiam a forma praeexistente... *non vero* quaedam perfectio animae praeexistentis... *Cum enim* generatio unius sit corruptio alterius, necesse est dicere, quod tam in homine, quam in animalibus aliis, quando perfectior forma advenit, fiat corruptio prioris; ita tamen quod sequens forma habet quidquid habebat prima, et adhuc amplius: et sic per multas generationes, et corruptiones pervenitur ad ultimam formam substantialem tam in homine, quam in aliis animalibus. Et hoc ad sensum apparet in animalibus ex putrefactione generatis. Sic igitur dicendum est, quod anima intellectiva creatur a Deo in fine generationis humanae, quae simul est et sensitiva, et nutritiva, corruptis formis praeexistentibus.

(a. 3.) Quidam posuerunt, quod animae intellectivae accidat uniri corpori, ponentes eam esse ejusdem conditionis, cum substantiis spiritualibus, quae corpori non uniuntur: et ideo posuerunt animas hominum simul a principio cum Angelis creatas.

Sed haec opinio falsa est. Primo quidem, quantum ad radicem. Si enim accidentaliter conveniret animae corpori uniri, sequeretur, quod homo, qui ex ista unione constituitur, esset ens per accidens; vel quod anima esset homo: quod falsum est, ut supra ostensum est q. 75. a. 4. Quod etiam anima humana non sit ejusdem naturae cum Angelis, ipse diversus modus intelligendi ostendit, ut supra ostensum est q. 55. a. 2. Homo enim, intelligit, a sensibus accipiendo, et convertendo se ad phantasmata, ut supra ostensum est, q. 84. a. 7. et ideo anima ejus indiget uniri corpori, quo indiget ad operationem sensitivae partis: quod de Angelo dici non potest. Secundo apparet falsitas in ipsa positione. Si enim animae naturale est corpori uniri, esse sine corpore est sibi contra naturam, et sine corpore existens non habet suae naturae perfectionem. Non fuit autem conveniens, ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret, et ab his, quae sunt praeter naturam: non enim fecit hominem sine manu, aut sine pede, quae sunt partes naturales hominis: multo igitur minus, fecit animam sine corpore. Si vero aliquis dicat, quod non est naturale animae corpori uniri, oportet inquirere causam, quare sit corpori unita. Oportet autem dicere, quod aut hoc sit factum ex ejus voluntate, aut ex alia causa. Si ex ejus voluntate, videtur hoc esse inconveniens. Primo quidem, quia haec voluntas irrationabilis esset, si non indigeret corpore, et vellet ei, uniri: si enim eo indigeret, naturale esset ei quod corpori uniretur, quia natura non deficit in necessariis. Secundo, quia nulla

ratio esset, quare animae a principio mundi creatae post tot tempora voluntas accesserit, ut nunc corpori uniantur: est enim substantia spiritualis supra tempus, utpote revolutiones coeli excedens. Tertio, quia videretur a casu esse, quod haec anima huic corpori uniretur, cum ad hoc requiratur concursus duarum voluntatum, scilicet animae advenientis, et hominis generantis. Si autem praeter voluntatem ipsius corpori unitur, et praeter ejus naturam, oportet quod hoc sit ex causa violentiam inferente: et sic erit ei poenale, et triste; quod est secundum errorem Origenis, qui posuit (ut refert Epiphanius l. 2. contra haeres. haer. 64.) animas incorporari propter poenam peccati.

Unde, cum haec omnia sint inconvenientia, simpliciter confitendum est, quod animae non sunt creatae ante corpora; sed simul creantur, cum corporibus infunduntur.

Objic. 1. dicitur Gen. 2. 2: *requievit Deus ab omni opere, quod patrarat* .... Sed dicitur cessasse die septimo, non quidem ab omni opere, cum dicatur Joan. 5. 17: *Pater meus usque modo operatur*, sed a novis rerum generibus, et speciebus condendis, quae in operibus primis non aliquo modo praeextiterint. Sic enim animae, quae nunc creantur, praeextiterunt secundum similitudinem speciei in primis operibus, in quibus anima Adae creata fuit.

Objic. 2. Finis rei respondet ejus principio. Sed anima intellectiva remanet destructo corpore. Ergo incepit esse ante corpus ... *Resp.* quod hoc, quod anima remanet sine corpore, contingit per corporis corruptionem, quae consecuta est ex peccato. Unde non fuit conveniens, quod ab hoc inciperent Dei opera: quia, sicut scriptum est Sap. 1. 13: *Deus mortem non fecit .... sed impii manibus, et verbis accersierunt eam.*

(Q. 119.) DE PROPAGATIONE HOMINIS, QUANTUM AD CORPUS.

(a. 1.) Alimentum vere convertitur in veritatem humanae naturae, in quantum vere accipit speciem carnis, et ossis, et hujusmodi partium.

(a. 2.) *Quod* Aug. dicit X. super Gen. c. 20. quod *nos fuimus in Adam non solum secundum seminalem rationem, sed etiam secundum corpulentam substantiam* . . . non est sic intelligendum, quod in Adam actu fuerit aut seminalis ratio hujus hominis propinqua, aut corpulenta ejus substantia. Sed utrumque fuit in Adam secundum originem. Nam et materia corporalis, quae ministrata est a matre, quam vocat *corpulentam substantiam*, derivatur originaliter ab Adam; et similiter virtus activa, existens in semine patris, quae est hujus hominis propinqua ratio seminalis. Sed Christus dicitur fuisse in Adam *secundum corpulentam substantiam*, sed non *secundum seminalem rationem:* quia materia corporis ejus, quae ministrata est a Matre Virgine, derivata est ab Adam; sed virtus activa non est derivata ab Adam, quia corpus ejus non est formatum per virtutem virilis seminis, sed operatione Spiritus Sancti; talis enim partus decebat eum, qui est super omnia benedictus Deus, in saecula saeculorum. Amen.

APPENDIX

ADNOTATIONUM

IN PRIMAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGICAE

D. THOMAE AQUINATIS

Fidem in praefatione datam de nonnullis ad calcem colligendis, adjiciendisque illustrationis adnotationibus ergo soluturus, haud eum, quem mihi praestituere scopum existimavi, nunc repetam, cum ibi in ipsamet sponsione satis delineatus existat, quemque denuo inspici, probeque teneri percupio; sed potius manum operi illico admovendam reor. Et quia prima Theologicae Summae pars, praemissa de Sacra Doctrina quaestione, trifariam dividitur ab Angelico Doctore, scilicet in tractatum de Deo a questione 2. ad 26. inclusive, de Trinitate a q. 27. ad 43. de processione creaturarum a Deo, ubi de creatione, de Angelis, et homine a q. 44. ad. 119. idcirco quatuor capitibus in varios paragraphos subdivisis, tum de Sacra Doctrina, cum de tribus hisce tractatibus, distincte loquemur, eo utique pacto, quod historicam potius quam profundam deceat enucleationem, ac tyronibus, aliisque selectiores uberioresque inde recludantur theologicae doctrinae fontes, pro ingenii acie, lubitu, et otio adeundi, et simul nimia rerum textuumque farrago, plerisque impervia, omnibus autem facile ex dicendis comparanda, evitetur. Esto igitur.

CAPUT PRIMUM

IN Q. I. DE SACRA DOCTRINA.

§ I.

De revelationis necessitate.

Ad Art. 1.

Quae S. Doctor, primo hujusce quaestionis articulo, pro astruenda necessitate revelationis intexit, acuta adeo, et energica conspiciuntur, ut, perpaucis licet verbis, plurimorum conterat adversariorum superbiam, qui, quasi non abunde, ac turpiter apud universos, omnisque aevi populos pateat, quid ratio humana sibi relicta, ac tot imperfectionibus, obstaculis, passionibusque subjecta valeat, ipsiusmet rationis vires evehere non desinunt, solamque ad veritates omnes hominibus necessarias capessendas, sat esse conclamant; quorum agmen, longe, lateque grassari in Europae provinciis coepit; praecipue postquam Protestantes, spreta Ecclesiae auctoritate, viam examinis, et privatae investigationis in Scripturarum interpretatione admiserunt: unde Saec. XVI. Sociniani in Polonia principalia evertentes mysteria prodiere, et Deistae statim in Anglia, Hollandia, et Gallia, occasione disputationum inter varias protestantium sectas, suum de praetensa naturali religione unice amplectenda virus evomuerunt, a quibus ad Atheismum, Materialismum, vel saltem indifferentismum facilis fuit lapsus, in infandum humanae mentis dedecus, sed justam Dei tam perfractae superbiae vindictam. Horum omnium, quos graphice depictos videas in Epist. Apost. ad Rom. 1. et apud Judam, putidae contradictiones, prout necesse est iis, qui ultro luci oculos claudere, et caecutire volunt, nec non effraenis in sacra quaevis furor, impiaque morum, ac systematum principia, sat in ipsa pestilentissima eorumdem colluvie

librorum, sed apertius, ex impudentissimis, teterrimisque eorum gestis, labente mox elapso saeculo patescunt, plenissimamque simul confutationem intrinsece, et ex experientia constituunt; nihilo secius, praestat iis, quae Angelicus in primo articulo offert contra hujus furfuris sectas revelationi aversas, nonnihil adjungere ex alio ejus opere, *Summa contra gentiles* inscripto, cujus soliditas, ac vis in profligandis praesertim incredulis cujusvis aetatis, summe emicat, adeo ut hebraice quoque, et graece translatum fuerit, omniumque judicio ceu absolutissima religionis apologia, jure habeatur.

Ex hoc ergo opere quiddam excerpere, quatuor scilicet ex integro capita, visum est; maxime quia ipsimet capitum tituli, potiores recentiorum hostium objectiones, praecise exprimant, quae a D. Thoma efficacissimis rationibus inibi repelluntur: licet quodammodo idipsum, contractis tamen verbis, et sparsim, in summa Theologica extet; sed vel exemplo saltem hoc esse poterit, quo argumentorum delectu, ac robore, dicendique copia in tam sublimi opere incedat Sanctus Thomas, adeo ut in posterum quando istud, vel aliud ejus opus a nobis ad consulendum indicabitur, praesenti allectus specimine lector illud impigre, immo et avide adeat.

Ait itaque l. 1. c. 4. « Quod divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponantur. Duplici veritate divinorum intelligibilium existente: una, ad quam rationis inquisitio pertingere potest: altera, quae omne ingenium humanae rationis excedit; utraque convenienter divinitus homini credenda proponitur. Hoc autem de illa primo ostendendum est, quae inquisitioni rationis pervia esse potest, ne forte alicui videatur, ex quo ratione haberi potest, frustra id supernaturali inspiratione credendum traditum esse. Sequerentur tamen tria inconvenientia, si hujus veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu namque studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur, tribus de causis. Quidam siquidem, propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum; unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam vero impediuntur, necessitate rei familiaris: oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in ocio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae in-

quisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. Quidam autem impediuntur pigritia. Ad cognitionem namque eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet: cum fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur: propter quod Metaphysica, quae circa divina versatur, inter philosophiae partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo, nonnisi cum magno labore studii, ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest: quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae, cujus tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum. »

« Sed etiam inconveniens est, quod illi, qui ad praedictae veritatis cognitionem, vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent: tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis, non prius, nisi post longum exercitium, intellectus humanus idoneus invenitur: tum etiam propter multa, quae praeexiguntur; ut dictum est; tum propter hoc, quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem: sed in quiescendo fit prudens, et sciens, ut dicitut in VII Physicorum; remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris: cum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos, et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem, proveniret. »

« Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae, plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, et fantasmatum permixtionem. Et ideo, apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata: dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant, a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur: quae interdum, demonstratio reputatur. Et ideo oportuit, per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse: et absque dubitatione, et errore. Hinc est, quod Ephes. 4. dicitur: *jam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.* Et Isaiae 54: *ponam universos filios tuos, doctos a Domino.* »

Capite autem 5: « Quod ea, quae ratione investigari non possunt, convenienter fide tenenda proponuntur. Videtur autem quibusdam, fortasse non debere homini ad credendum proponi illa, quae ratione investigare non sufficit: cum divina sapientia unicuique secundum modum suae naturae provideat. Et ideo demonstrandum est, quod necessarium sit homini divinitus credenda proponi etiam illa, quae rationem excedunt. Nullus enim desiderio, et studio in aliquid tendit, nisi sit ei praecognitum. Quia ergo ad altius bonum, quam experiri in praesenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, ut in sequentibus investigabitur, (ubi nempe agemus, de aeterna beatitudine homini preparata, ad quam gratiae auxilium exposcitur, quae insuper gratia utpote, e Jesu Christi dono nobis proveniens, exigit, ut de originali peccato, de Redemptione, de praedestinatione, de Sacramentis instructi simus, quae omnia naturali lumini ignota, summeque necessaria, divinitus nobis revelantur, atque ab inextricabilibus incredulorum tenebris, circa hasce maximi momenti res, nos eximunt) oportuit, mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in praesenti possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare, et studio tendere in aliquid, quod totum statum praesentis vitae excedit. Et hoc, praecipue Christianae religioni competit, quae singulariter bona spiritualia, et aeterna promittit: unde, et in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur. Lex autem vetus, quae temporalia promissa habebat, pauca proposuit, quae humanae rationis inquisitionem excederent. Secundum etiam hunc modum, Phil. cura fuit, ut patet 7. et 10. Ethic. ad hoc, ut homines a sensibilium delectationibus, ad honestatem perducerent: ostendere esse alia bona, his sensibilibus potiora: quorum gustu, multo suavius qui vacant activis, vel contemplativis virtutibus, delectantur. Est etiam necessarium, hujus veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem veriorem habendam. Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitare ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit, ut supra ostensum est. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest. »

» Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet praesumptionis repressio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam

tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet, totum esse verum, quod eis videtur, et falsum quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus, ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit, homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum ejus excederent. »

« Apparet etiam alia utilitas ex dictis, Philos. in 10. Eth. Cum enim Simonides, cuidam homini praetermittendam divinam cognitionem persuaderet, et humanis rebus ingenium applicandum oportere, inquiens, humana sapere hominem, et mortalia mortalem: contra eum philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia, et divina trahere, quantum potest. Unde in l. 1. de partibus animalium c. 5. dicit, quod quamvis parum sit, quod de substantiis superioribus percipimus, tamen id modicum est magis amatum, et desideratum omni cognitione, quam de substantiis inferioribus habemus. Dicit etiam in secundo coeli, et mundi, quod dum de corporibus coelestibus quaestiones possint solvi parva, et topica solutione, contingit auditori, ut vehemens sit gaudium ejus. »

» Ex quibus omnibus apparet, quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio, maximam perfectionem animae confert. Et ideo, quamvis ea quae, supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercumque teneat fide. Et ideo dicitur Ecclesiast. 3: *plurima supra sensum hominis, ostensa sunt tibi.* Et 1. Cor. 2: *quae sunt Dei, nemo novit nisi spiritus Dei. Nobis autem revelavit Deus, per Spiritum suum.* »

Cap. autem 6. ostendit « quod assentire his, quae sunt fidei, non est levitatis, quamvis supra rationem sint. Hujusmodi autem veritati, cui ratio humana experimentum non praebet, fidem adhibentes, non leviter credunt quasi indoctas fabulas secuti, ut 2. Petri 1. dicitur. Haec enim divinae sapientiae secreta, ipsa divina sapientia, quae omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quae sui praesentiam, et doctrinae, et inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea, quae naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quae totius naturae superant facultatem: videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, coelestium corporum mirabili immutatione, et, quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione: ut idiotae, et

simplices, dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam, et facundiam, in instanti consequerentur. Quibus inspectis, praedictae probationis efficacia non armorum violentia, non voluptatum promissione, et, quod est mirabilissimum inter persecutorum tyrannidem, innumerabilem turbam non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum, ad fidem christianam convocavit. In qua, omnem humanum intellectum excedentia praedicantur: voluptates carnis cohibentur: et omnia, quae in mundo sunt, haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire, et maximum miraculum est, et manifestum divinae ispirationis opus, ut contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subito, neque casu, sed divina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus multis ante prophetarum praedixit oraculis: quorum libri penes nos in veneratione habentur, utpote nostrae fidei testimonium adhibentes. Hujus quidem confirmationis modus tangitur: Hebr. 2: *quae,* scilicet humana salus, *cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis Spiritus Sancti distributionibus.* Haec autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem christianam, indicium certissimum est praeteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, et operandum tam difficilis, et sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus, et ignobilibus hominibus, quamvis non cesset Deus, etiam nostris temporibus, ad confirmationem fidei per Sanctos suos miracula operari. Hi vero, qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, ut patet in Mahumete, qui carnalium voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit, praecepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, quibus in promptu est a carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quae de facili a quolibet mediocriter sapiente, naturali ingenio cognosci possunt: quin potius vera, quae docuit, multis fabulis, et falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solum divinae inspirationi conveniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quae non potest esse nisi divina, ostendit Doctorem veritatis invisibiliter inspiratum; sed dixit se in armorum potentia missum, quae signa etiam latronibus, et tyrannis

non desunt. Ei etiam, non aliqui sapientes in rebus divinis, et de divinis, et humanis exercitati a principio crediderunt, sed homines bestiales in desertis morantes, omnis doctrinae divinae prorsus ignari: per quorum multitudinem, alios, armorum violentia, in suam legem coegit. Nulla etiam divina oracula praecedentium prophetarum, ei testimonium perhibent: quin potius, quasi omnia veteris, et novi testamenti documenta, fabulosa narratione depravat (ut patet ejus legem inspicienti:) unde, astuto consilio, libros veteris, et novi Testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur. Et sic patet, quod ejus dictis fidem adhibentes, leviter credunt. »

Cap. 7. « Quod veritati fidei christianae, non contrariatur veritas rationis. Quamvis autem praedicta veritas fidei christianae, humanae rationis capacitatem excedat, haec tamen, quae ratio naturalis indita habet, huic veritati contraria esse non possunt. 1. Ea enim, quae naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, intantum, ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id, quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est, illis principiis, quae ratio naturaliter cognoscit, praedictam veritatem fidei contrariam esse. 2. Item, illud idem, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte, quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio, nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia, etiam divina sapientia continet: quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium. non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria. 3. Adhuc, contrariis rationibus intellectus noster ligatur, ut ad veri cognitionem procedere nequeat: si igitur contrariae cognitiones nobis a Deo immitterentur, ex hoc a veritatis cognitione intellectus noster impediretur, quod a Deo esse non potest. 4. Amplius, ea, quae sunt naturalia, mutari non possunt, natura manente: contrariae autem opiniones, simul eidem inesse non possunt; non igitur contra cognitionem naturalem aliqua opinio, vel fides homini a Deo immittitur, et ideo Ap. dicit Rom. 10: *prope est verbum in corde tuo, et in ore tuo: hoc est verbum fidei, quod praedicamus;* sed quia superat rationem, a nonnullis reputatur quasi con-

trarium: quod esse non potest. Huic etiam authoritas Augustini concordat, qui in secundo super Genesim ad litteram, dicit sic: illud quidem, quod veritas patefacit, libris sanctis, sive veteris testamenti, sive novi, nullo modo potest esse adversum. Ex quo evidenter colligitur, quaecumque argumenta contra fidei documenta ponantur, haec ex principiis primis naturae inditis, per se notis, non recte procedere, unde nec demostrationis vim habent, sed, vel sunt rationes probabiles, vel sophisticae; et sic ad ea solvenda locus relinquitur. »

Quae S. Doctor in cap. 6. Summae contra Gentiles ad confirmandam revelationem adducit, ex infallibilibus ejus caracteribus, fusius in ipsomet opere l. 3. c. 154. tradit, nec non ubi de miraculis, de prophetiis, in aliis quoque operibus. Eadem, vero ad relativa sua loca videbimus, in Summa theologica, videlicet 2. 2. q. 1, et 2. 171. 172. 178. et p. 3. q. 44. 45. atque abunde sufficiunt ad eam incredulorum dispellendam praetensionem, praecipue Rousseau in Emile assertam, de aliarum omnium examine praemittendo, antequam religio aliqua seligatur, quod examen omnino inutile evincitur tot signorum evidentia, queis unica vera religio fulcitur, quaeque a solo Deo in argumentum, ac confirmationem suae revelationis fieri possunt; immo praetensum examen istud, pluribus impossibile, omnibus perdifficile hominem ad pyrrhonismum induceret. En sublimes mentis humanae vires, atque volatus! Caput vero 7. omnino evertit eorum insipiens sophisma, qui cum Bayle mysteria, ac quidquid supra rationem est, cum iis, quae contra rationem sunt confundunt, ac respuunt, dicendo, quod non est rationi conforme, esse contra rationem, sicut est contra veritatem, quod non est veritati conforme; simulque confoditur ex allatis illa Pomponatii, Lutheri, ac Hofmanni absurditas, jam in Concilio V. Lateran. proscripta sess. 8. quod possit aliquid esse verum in Philosophia, et falsum in Theologia. Omnis veritatis fons, est eadem summa veritas, scilicet Deus. At in sequentibus, frequens se prodet occasio expendendi, refellendique incredulorum, aliorumque insanias.

Ut vero, praeter Divum Thomam, alios quoque praecipuos indigitemus viros, qui pro astruenda revelatione strenue elaborarunt, occurrunt in primis Ecclesiae Patres, verae religionis vindices contra furentium persecutorum, inimicorumque impetum; nempe: S. Justinus Martyr in *Apologia prima pro Christianis, ad Antoninum Pium*, et altera *ad Senatum Romanum*, nec non in *Cohortatione ad Graecos*;

Tatianus Assyrius, ***in Oratione adversus Graecos;*** Athenagoras, *in Legatione pro Christianis;* Tertullianus, in ***Apologetico,*** Minucius Felix, in ***Dialogo, inscripto Octavius;*** Theophylus Episcopus Antiochenus, ***in tribus libris ad Autholycum;*** Julius Firmicus Maternus, ***de errore profanarum Religionum;*** Lactantius in libris ***Divinarum Institutionum,*** et ***de mortibus persecutorum;*** Origenes, ***in tractatu contra Celsum*** (opus eximium, et neotericorum pleraque objecta retundens!) Eusebius Caesariensis, ***in praeparatione, et demonstratione Evangelica;*** S. Cyprianus Episcopus Martyr, in ***libro ad Demetrianum,*** et alio, ***de idolorum vanitate;*** S. Jo. Chrysostomus, in ***libro adversus Judaeos, et Gentiles, quod Christus sit Deus.*** S. Cyrillus Alex. ***adversus libros impii Juliani;*** S. Augustinus lib. ***de vera Religione,*** et alio, ***de utilitate credendi,*** ac in iis, ***de Civitate Dei;*** horum plures collegit Cl. Zabeus t. 3, Pat. MDCCIIIC; recenseri possunt quoque, Clemens Alex. Prudentius, Theodoretus, Hermias, Arnobius, Methodius, Orosius, aliique permulti, apud quos nedum inconcussa religionis fundamenta firmantur, sed enormes etiam veterum populorum, immo et philosophorum errores denudantur, atque exploduntur, prout e recentioribus Jo. Ger. Vossius, in ***Theologia Gentilium;*** Baltus, in ***paralelle de la Philosophie Chrétienne, avec celle des payens;*** Daniel Huetius vero, in sua ***Demonstratione evangelica,*** ostendit fabularum Heroas, profanosque idololatriae ritus a primaeva, sed corrupta vera religione prodiisse, sicut et nuper, improbo labore, ac immensa eruditione, quoad Egyptios adnotavit Guerin du Rocher, ***Histoire véritable des tems fabuleux*** l. 3. nec non Judaicos, et Ecclesiasticos ritus, quos Marshamus, Spencerus, Mussardus et alii, praesertim Protestantium, e gentilibus fuisse depromptos effutierunt, vindicarunt Marangoni, Brueys, Auctor ***diatribae de falsa veterum Christianorum rituum a ritibus ethinicorum origine*** Romae MDCCLXXVII.

Revelationis Apologiam quoque adornarunt, Vives, Grotius, Abbadie, Collectio operum juxta fundationem Boyle edita gallice a Burneto, Pascal, Dirois, Lamy, Houteville, Bossuet, ***Discoursus sus l'Histoire,*** La Lande, Jo. Gauchat, ***lettres critiques,*** t. 14. et al. op. Maleville, Guerreri, Zimmermannus, De Roche, François, Nicolai, Ramsey, Giorgi, Zaguri, sicut nuperrime erumpentibus incredulitatis choripheis, Voltairo speciatim restitit Nonnotte, in duplici opere ***Erreurs du Voltaire, Dictionaire Philosophique,*** Muzzarelli in ***Emille*** Rousseau, Gardini in libros, ***Systeme de la***

Nature, et du ben sens, Marini in Raynal, sed prae aliis P. Valsecchi Patavii professor, in opere: *Verità di Religione Cattolica*, et alii, et Bergier Canonicus Parisiensis, pluribus editis libris: *Le Déisme refuté par lui meme, Apologie de la religion, Certitude des preuves de la religion, Examen du Materialisme, Traitè historique, et dogmatique de la religion, Dictionaire de Theologie*, errores quosvis recentiorum pseudo-philosophorum, fortiter, et perspicaciter repellunt, eos inquam errores, quos, mediante elapso saeculo, jam jam impune typis vulgatos, in Encyclopedia praesertim, Clerus Gallicanus tum energicis Homiliis, cum supplici libello ad Ludovicum XV, pari zelo, ac sapientia denuntiarat, ceu altari simul, et thorono excidium parantes; atque utinam cito remedium fuisset allatum! non enim tanta lugeremus mala, quae vix sera credet posteritas, quae suo colligata nexu, detectisque arcanis sectae multiformis consiliis Franc-maçhons, illuminatorum, Aegyptiorum, etc. singulari praecisione, ac soliditate a Barruel promuntur, in *Lettres Helviennes, Histoire du Jacobinisme, Histoire du Clerge, pendant la révolution*, cui postremae sociandum est opus Ab. D'Auribeau, *Memoires pour servir a l' Histoire de la persecution Françoise.*

Nec ipsa Poesis, alias tantopere in mores, et religionem faedata, horum defuit juvamini; in primisque celebrandus venit *Anti-Lucretius*, versibus Hexametris ab Em. Card. de Polignac exaratus, quo prisci poetae Lucretii omnium Gentilium erroribus dediti, nec non posteriorum deliramenta Sophorum, eleganter, ac strenue eliduntur; adest et Henricus Barelli Congr. S. Pauli, *de Religione Christiana* etc.

Ad rem nostram faciunt quoque ii, qui Naturalem Theologiam exhibuere, quin ex professo apologiam pro religione condiderint, cujusmodi sunt methodici philosophiae tractatores, vel speciatim appositis operibus, Massari, Gardini noster, et alii. Jo. Albertus Fabricius, in Biblioth. Graec. T. VIII. catalogo recenset *Scriptores recentiores de veritate religionis Christianae.*

§ II.

De Theologia generatim.

Ab Art. 2. ad 8.

In altero primae quaestionis articulo, D. Thomas, prout fusius in ***summa contra Gentiles***, in ***quaestionibus disputatis de veritate***, nec non in ***expositione super Boetium de Trinitate***, et alibi, Sacram Doctrinam esse scientiam ostendit, prout de ea dicit Augustinus XIV de Trin. c. 1: ***huic scientiae attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur***; quo sub aspectu, et quidem germano, ecquis non videat caeteris quoque scientiis hanc praestare, esseque sapientiam, cujus objectum ipse Deus, ad quem homines per mores rite conformatos diriguntur? unde ***Theologia***, seu sermo de Deo, ex graeca bina voce conjuncta audit; quaeque utpote revelationi subnixa, et fidem alens, proprie hoc nomine digna est, differtque ab ea Theologia, quae vulgo naturalis nuncupata, manca prorsus, aut balbutiens, immo et incerta, ni luce e revelatione manante fulciatur, prout in iis visitur, qui antiquitus ei operam dedere, utut praestantissimi philosophi, immo et in recentioribus, quos Sycophantas dixeris, qui perperam, solo naturae ductu, plura, et rectius priscis se intueri pollicentur, cum potius si quid boni ex eorum excidit calamo, praelucenti revelationis faci referre debent acceptum, sicut Lud. Vives l. 1. de Veritate fidei, aliique permulti adnotarunt; atque vel ipsimet hoc ipsum demonstrant in enormi errorum, et contradictionum abysso, in quam incidunt, vix ac a veritatibus in revelatione contentis, firmatisque, recedunt.

Cum Theologia revelationem ducem sequatur, simulque e revelatis principiis argumentetur, et conclusiones deducat, ut in art. 8. ait Angelicus, hinc variae propositionum species dantur in ipsa theologia, et quamvis conclusio rite inde deducta certissima sit, cum Deus ipse, summa veritas, sit auctor fidei, et recte institutae rationis, tamen, quia conclusio pendet ab indubia connexione cum veritate revelata, videtur ipsam connexionem esse causam nostrae adhaesionis; dum e contra in veritatibus expresse revelatis, et ab Ec-

clesia propositis, ipsa revelatio, et Ecclesia, nostrum pariunt assensum, atque sub hujusmodi respectu, theologica conclusio distinguitur a veritate fidei.

Caeterum probe, et generatim notandum, quod inter propositiones theologicas, aliae sunt *articuli fidei,* dum scilicet praecipuas fidei veritates respiciunt, cujsmodi sunt illae in Symbolo contentae; aliae sunt *dogmata* catholica, quae comprehendunt quidquid revelavit Deus. Omnes autem propositiones fidei, articulos scilicet, et dogmata, ad septem classes redigere lubet, cum Berti. In prima adsunt, quae in sacris litteris habentur expresse; in altera, quae ex iis certissima conclusione deducuntur; in tertia, quae divina et apostolica constant traditione: in quarta, quae definitae fuere in Oecumenicis Conciliis; in quinta, quae ab irrefragabili Romani Pontificis auctoritate statutae sunt; in sexta, quae unanimi SS. Patrum consensu probantur, accedente Ecclesiae judicio, in septima demum, quae ex quatuor ultimis classibus firmissime manant. Reliquae vero omnes propositiones, septem praedictis characteribus destitutas, probabilitatis limites plus, minusve attingere dicas, quas idcirco *opiniones* potius, quam propositiones vocabis. Illae autem, quae communiter a Theologis impugnantur, sunt vel *haereticae,* sive e diametro fidei oppositae, prout haeresis nomen indicat, quod latine sonat electionem, sive diversam sententiam, vel *erroneae,* vel *sapientes haeresim, temerariae, scandalosae, piarum aurium offensivae, seductrices, impiae, blasphemae, injuriosae, schismaticae, atheae, judaicae, improbabiles,* etc. De his D. Thomas distincte suis locis agit, speciatim ubi de fide. Non raro, pluribus ex his notis inuri potest unica quoque propositio, ut factum videmus a Constantiensi Concilio in propositiones Wicleffi, et a Summis Pontificibus contra illas Jansenii, et Quesnellii. Quod si istiusmodi censurae ad calcem plurium propositionum ponantur, tunc istae *in globo* damnatae dicuntur, hoc sensu, ut cuilibet propositioni, una saltem censura conveniat, vel plures, non tamen omnibus omnes; exemplo sit, damnatio centum et unius propositionum Quesnellii, in Bulla *Unigenitus,* de qua, etiam ex hoc capite, tot clamores, et turbines irruperunt.

Ex his, quae superius de variis propositionum generibus ad Theologiam spectantibus attulimus, praestat, obiter tamen, observare, absurdissime se gerere Protestantes, qui nova prorsus inventione, ac distinctione, summa fidei capita, in *articulos fundamentales,* et *non fundamentales,* post Ju-

rium, dividunt, ut in § sequenti, ubi de Ecclesia: ajentes, sat esse eos tenere absque istis, et sic latius coeli iter variis aperiunt sectis. Certe, cum omnium veritatum fidei auctor sit Deus, nequit homo aliquid pro lubitu ex iis respuere. Adde, quod paulatim periculo se exponeret nil credendi, sicut manifeste liquet, ex ipsomet Protestantium dissensu, in assignandis hisce fundamentalibus articulis: quod enim ab aliquibus proponitur, ab aliis rejicitur, ut variae eorum fidei confessiones evincunt. Legatur Bossuet, *Variat.*

Pro variis objectis, circa quae Theologia versatur, varia induit nomina. Dum res credendas tradit, *speculativa* nuncupatur: dum res faciendas, *moralis;* dum animas arctiori contemplationis vioculo ad Deum dirigit, *mystica.* Item, ex diverso modo, quo res pertractantur, distinguitur in *positivam,* quando ex Scriptura, et Traditione sacras enodat, et roborat veritates; in *polemicam,* si eisdem armis, eas ab adversariorum objectis, ac ceratinis vindicat; in *scholasticam* demum, quando pressa sillogistica methodus, nec non rationum momenta adhibentur, prout S. Thomas, tam in aliis suis Operibus, quam in hoc praesertim, exequitur, et quidem ea rectissima norma, quam in fine articuli 8. tangit, quod nempe *ratio subserviat fidei,* atque hoc in humanae mentis decus quammaxime cedit, ut quae tantorum faeditate errorum a pseudo-philosophis depressa fuit, tali legittimo ac nobilissimo usu erigatur, et ad omnis veritatis fontem, qui est Deus, manu ducatur, et ex hoc ipso eorum contincescat os, qui fidem rationi contrariam esse blasphemant, contra quos speciatim consulatur Huetius l. 1. *Quaest. Alnetanarum, de Concordia rationis, et fidei.*

Jam patet, quod incredulorum cohors in quaevis praefata nostrae Theologiae genera, impetu irruat vesano; sed et haeretici plerique, Protestantes speciatim, Scholasticam gravi adversantur stomacho, fortasse ex eo, quod, ut ait Melchior Canus, stricta hujusmodi methodo, ac ratiocinandi acumine opprimuntur. Hos igitur omnes, S. Doctor sua ipsa methodo, adductisque in articulo argumentis, praedamnat, sicut et recentiores pseudo-Theologos, qui pariter Scholasticam Theologiam calumniis, ac dicteriis lacessunt, unde in Bulla *Auctorem fidei,* a Pio VI in Pistoriensem Synodum lata an. MDCCVIC. censoria nota infigitur propositioni 76. de *Collat. Ecclesiast. Insectatio, qua Synodus Scholasticam exagitat, velut eam,* quae viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et laxismum;

quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt; Falsa, temeraria, in sanctissimos Viros, et Doctores, qui, magno Catholicae Religionis bono, Scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis. Ubi etiam opportune notandum, palmariter errare illos, qui Scholasticam ceu novam, ac priscis Patribus inusitatam traducunt. Sane, tum Patres, cum ipsimet Apostoli ac Christus, ut Matthaei c. 22. v 42. c. 19. v. 6. Luc. 10. rationis adminiculum ad alias eruendas veritates ex praejactis principiis adhibent, cum optime ratio, ceu famula revelationi juvet; nec rationis cum revelatione conjunctio, nec sillogismorum efficacia, quae praecipuus Scholasticae character est, apud ipsos deest, si liberiori, ac didascalico paraenetico utuntur stylo, prout peculiares tractactus decet. Postquam vero integra Theologia colligi in unum caepit, prius ex Graecis a S. Jo. Damasceno, dein fusius ex latinis a Petro Lombardo, D. Thoma Aquinate, et aliis horum imitatoribus, tum brevitatis, cum praecisionis titulo, rigidior nexus, aut methodus rerum arripi debuit, cui inter latinos primus facem praebuit S. Anselmus ord. S. Bened. Archiep. Cantuar. in theologicis opusculis, scholastice digestis. Fuerunt utique, et sane non pauci, qui postmodum plus aequo rationi indulgentes, in varios abiere errores, sed ipsa horum condemnatio in Conciliis lata, magnis effert laudibus germanam, ac incontaminatam Scholasticae metodum; sic Concilium Lateranense IV. damnat Abbatis Joachim visiones, et errores, circa Trinitatis personas, sed simul adprobat Petri Lombardi Scholasticos IV. libros Sententiarum; idipsum dicendum de Senonensi Concilio an. MCXL. pravam Petri Abaillardi dialecticam in Theologia reprobante, quin Sancti Bernardi argumentativam confutandi methodum, carperet; pariter in Nominalium aliorumque pseudo-Scholasticorum sectas, stylum acuerunt Theologi, sed hoc ipso, quod abusum Scholasticae redarguitur, ut innuimus, legitimus admittitur usus, ut jam ex his, quae de eximiis Summae Theologicae D. Thomae elogiis diximus, quae est purioris Scholasticae norma praecipua, abunde fluit. Atque heic iterato, ac sedulo admonendum, ut adiaphora quaeque, ac partium evitentur studia, quibus Catholicorum scholas plurimum incumbere clamitant Heterodoxi, aliique, unde privatae opiniones, interpretationes, etsi libere hinc inde disputabiles, cujusmodi sunt illae, quae deinceps aliis in capitibus, recensebuntur, quaeque humanae mentis infirmitatem, nimiamque rerum abditarum, vel scitu inutilium

curiositatem demonstrant, procul a solidiori Theologia abigendae sunt, cum veritas dumtaxat, et quidem utilis veritas, et eo tantum gradu, quo nobis eam pandere dignatur incomprehensibilis Dei Sapientia, sectanda sit, quin tamen in controversias de quibus unicuique licet in sensu suo abundare, aliquid audacter impingatur; unde in praefata Bulla sic damnatur prop. 79. *ex Orat. ad Synod.* § 2. ***Assertio, quae conviciis, et contumeliis insectatur sententias in scholis Catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit, falsa, temeraria, in scholas Catholicas injuriosa, debitae Apostolicis Constitutionibus obedientiae, derogans.***

Antequam huic § finis imponatur, adnotare quoque juvat, duplicis generis hostes potissimum in Theologia offendi, nempe pseudo-Philosophos, ac pseudo-Theologos; incredulos scilicet, et haereticos, eosque omnes, qui theologicis doctrinis abutuntur; ubi, et illud minime praetereundum, videlicet hac nostra aetate, perfecto theologo longe plura necessaria esse studia, quam antea, dum primi generis hostes ex una parte, ab historia, chronologia, astronomia, ac tota pene physica, alii vero a multigena ecclesiasticorum monumentorum eruditione, plurima argumenta, specioso, sed intrinsece labili apparatu, intorquent. De variis autem modis probandi, quae sunt Catholicae fidei, Haereticis, Schismaticis, Hebraeis, Mahumedanis, Gentilibus, egregie, ac dilucide agit alias laudatus Jo. Prosdocimus Zabeo, in sua: *Logica Sancta Theologiae*; atque hoc loci dispellenda illa vetus calumnia est, qua de vitioso circulo arguimur, dum Scripturarum divinitatem ex Ecclesia, et Ecclesiam ex Scriptura probamus. Contra incredulos prius, tot insignibus credibilitatis argumentis, divina revelatio, et S. Scripturae auctoritas asseritur, dein contra ipsos, tum contra heterodoxos, alioqui Scripturam admittentes, verae Ecclesiae existentia, et characteres ex ipsamet S. Scriptura eruuntur. Agendo autem cum iis, qui de Ecclesia consentiunt, ex hujus placitis Scripturarum divinitas, ac nitida interpretatio derivatur. Hic porro, haud circulus vitiosus, sed regressus demonstrativus, ut ajunt scholae, est appellandus; idque omne innuit articulo 8. D. Thomas, dum disserit de Scripturarum usu, cum iis qui eas non respuunt; cum aliis vero ait solvendas rationes, quas contra fidem inducunt, idque pro virili ipsemet praestitit, ut in antecessum, sive superiori § vidimus.

Etiam de utiliori tradendae Theologiae methodo esset inquirendum, at satis in praefatione, ubi Card. Thomasii,

Cigherii, Mabillonii, sensa egregia retulimus, quae incomparabili huic Summae. eximium addere possunt ex integra Ecclesiae traditione emolumentum, et decus, atque ita eorum omnium obstruetur os, qui ad venerabilis antiquitatis documenta, impio, et subdolo ausu nos provocant, quasi Ecclesiae fides obscuritati sit obnoxia temporis lapsu; simulque eorum hypocrisis, ac perversa critica, ac textuum corruptio, si in fonte, ut ajunt, antiquitas consulatur, patebit. Extat et *Methodus Theologiae addiscendae*, a Dupinio comparata, ac nuper Card. Gerdil optimum exhibuit Opusculum, *Saggio d'Istruzione teologica*. Summopere tamen commendanda Theologis omnibus est, lectio assidua duarum Orationum S. Gregorii Nazianzeni, quarum prima *de Theologia* iscribitur, altera *de moderatione in disputationibus servanda*, ubi quae verum decent Theologum. perspicue, copiose, et solide exponuntur.

§ III.

De Theologiae fundamentis generatim; ubi et de S. Scriptura.

Ad Art. 8, 9, 10.

Quae heic Theologiae fundamenta dicimus, peripatetico vocabulo. *loca theologica* in Scholis appellantur, eaque omnium primus Melchior Canus, Ord praed. Episcopus Canariensis, et unus e Tridentini Concilii Patribus, ingeniose, strenue, eleganterque, labente saec. XVI. in unum corpus redegit, quod praenotatur *de locis Theologicis;* sunt vero decem, videlicet I. Auctoritas S. Scripturae, II. Traditionis, III. Ecclesiae Catholicae, IV. Conciliorum, V. Ecclesiae Romanae, seu Summorum Pontificum, VI. SS. Patrum, VII. Theologorum, ac Juris Canonici Doctorum, VIII. Rationis, IX. Philosophorum, ac civilium Jurisconsultorum, X. Historicorum. Porro, ut ipse ait Canus l. 1. c. 1. septem priora tantum, sunt propria hujus scientiae, alia vero tria, adscriptitia, ac velut in famulatum ex alienis deprompta; immo et priora septem ad tria redigi queunt, nempe Scripturam, Traditionem, Ecclesiam, ut infra a nobis fiet. Etsi haec argumentorum Theologiae inservientium collectiva tractatio, apud D. Thomam non habeatur, sat vel in ipso hoc articulo 8.

de Scripturae auctoritate, nec non Patrum, rationis, ac philosophorum disserit, et alibi de Ecclesia, deque Romano Pontifice praesertim in secunda secundae, ubi de fide, ut in ipso Summae decursu, aliorumque ejus operum citatione patebit, etiam ex continua horumce locorum praxi, in veritatibus confirmandis ab eo semper adhibita, adeo ut rectissime prelaudatus Canus dicat l. 12. c. 3: *Divus Thomas mihi et Auctor, et Magister fuit hujus operis componendi: sed ille, locorum fere naturam explicuit presse, et anguste, ac suo demum modo. Non enim dilatat argumentum, sed quasi punctis, quod proponit, efficit.* Quoad nos, piget quammaxime haud posse in hujusmodi tractatu, post controversias praesertim tribus elapsis saeculis in praefata loca theologica exorta amplissimo, aeque ac famigeratissimo immorari: neque enim instituta, et necessaria Appendicis brevitas sinit; quaedam nihilo secius delibare, vel potius indicare in animo est, ut inde, ceu praeambulo ad Theologiam promptuario, candidati, aliique, pro varia occasione prompte quae utilia, et opportuna sunt accersere possint; alias fortasse daturi, quae in hanc rem contra neotericos speciatim, non sine ingenti disquisitionis studio ad privatam Auditorum exercitationem, elucubrare curavimus. Esto igitur singillatim:

Primo, de Sacra Scriptura. Tres revelationis epochae distinguuntur, quibus, pro vario hominum statu, exigentia, ac dispositione, ineffabiles sapientiae, ac misericordiae suae divitias ostendere dignatus est Deus, primum in protoparente usque ad legis promulgationem in Sina, per Moysem, secunda ab hoc, usque ad Evangelii praedicationem, sub ipso authore, et consummatore fidei Christo Jesu, tertia ab isto initium auspicatissimum obtinuit, usque ad mundi fidem: atque iis continetur Scripturis, quae antonomastice *Biblia*, seu libri dicuntur, quorum numerum integritatem, auctoritatemque divinam, Catholica Ecclesia, et speciali decreto Concilium Tridentinum Sess. 4. nobis determinat, atque proponit, prout in repetitis eorum editionibus catholicis, reperitur. Haud nostrum est, cuncta discutere, immo nec referre, quae ab incredulis, haereticisque, ac ipsis Judaeis quoad novum Testamentum, contra Sacra Biblia congeri solent, sive contra eorum inspirationem, authenticitatem, numerum, aliaque hujusmodi; satque dixisse, quod praeter eas religiones, vel potius religionum figmenta, quae fabulis superstruuntur, ut Gentiles ac Mahometani, quaeque Scripturas non recipiunt, praefati irreligionis asseclae fortius in eas furescunt, et, ultimo praesertim saeculo, nullum non lapi-

dem moverunt, et physicam, historiam, antiquitatem, omniaque prorsus in censum coegere, ut exinde SS. Libros in genere, eorumque partes, et auctores adorirentur. Adsunt et alii hostes, sive qui non ex integro eam recipiunt, sive prave interpretantur; inter primos sunt Samaritani, qui solum Pentateuchum, seu quinque Moysis libros, immo, teste Philastrio Brixiensi, tres tantum agnoscunt; Judaei, qui novum Testamentum; Simoniani, Marcionitae, Manichaei, Albigenses, libros veteris Testamenti respuebant. Ebionitae solum D. Matthaei Evangelium amplectebantur, Cerinthiani illud S. Marci, Marcionitae illud S. Lucae, Valentiniani illud Sancti Joannis; Cerdoniani Actus Apostolorum rejiciebant, Ebionitae Epistolas D. Pauli, Marcionitae illas ad Timotheum, et Titum. Saeculo XVI. Protestantes eos ex veteri, ac novo Testamento expunxere libros, qui *Deuterocanonici* nuncupari solent, quia serius in canonem ab universali Ecclesia communi usu, recepti fuere: sunt autem, Tobias, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, hymnus trium puerorum, necnon historia Susannae, et Draconis in Daniele, duo Machabaeorum, ultimum caput S. Marci, historia de sudore sanguineo apud S. Lucam, historia adulterae in S. Joanne, Epistola ad Hebraeos, illa S. Jacobi, secunda S. Petri, secunda, ac tertia S. Joannis, illa S. Judae, Apocalypsis. Caeterum, haud inter se consentiunt; alii enim libros pauciores excludunt. Quoad eos vero, qui in Sanctam Scripturam prava interpretatione desipiunt, multiplices veniunt Judaeorum sectae, Scribae, Pharisaei, aliique, immo et Judaei universim, qui Messiam non agnoscentes, vetus quoque Testamentum, quod totum ad eum refertur, male intelligant necesse est; haeretici omnes, sive haeresim, detortis Scripturae textibus docentes, sed speciatim Protestantes, qui ex instituto arbitrantur S. Scripturam privato lumine interpretandam, spreto Ecclesiae judicio, quasi scristura per se sufficiat, fiatque clara, ex interna Spiritus Sancti illustratione; unde non mirum, si vel ipso eorum exordio, et multo magis deinceps, in tot diversas abierint sententias, acriter tamen praetenso ab omnibus infallibili interno Spiritus Sancti ductu. Contra utrosque, stat rigidissima antiquitatis, ac ratiocinii critica, nec non praedictum Sacrosanctum Tridentinum Concilium. Constat enim ex perenni traditione, Canonem SS. Scripturarum apud Hebraeos extitisse, quem et Josephus contra Appion. l. 1. c. 2. commemorat, et communiter ab Esdra, ut l. 4. ejusdem c. 14. etc. adprobante Synagoga, confectus dicitur. Genebrardus

tres canones apud Judaeos admittit, et duos Serrarius, at absque fundamentis. Canon Esdrae, libros protocanonicos tantum continebat, eumque amplexa est Ecclesia cum suorum canone librorum N. Test. additis quoque successive reliquis deutero-canonicis ex utroque Testamento, supra memoratis, prout, collata singularum traditione Ecclesiarum ad quas vario tempore ea scripta pervenere, de eorum divinitate omne dubium evanuit. Ubi notandum, vetustissimam Syriacam versionem, Apostolico aevo elaboratam, nostros omnes comprehendere libros, sicut et Italam in usum Ecclesiae Romanae omnium Ecclesiarum matris, et Magistrae, prout distincte dein. Conc. Rom. sub Gelasio Papa, Innocentius I. in celebri Epistola ad Exuperium, in qua omnes numerat hagiographorum libros. Constans vero Romanae Ecclesiae traditio, cui et illam aliarum respondere compertum postea fuit, ex variis praesertim exemplaribus eorum librorum, sacro usu, et Patrum testimoniis, ac Concil. Laodiceno, et Carthag. III. etc. in causa fuit, ut Tridentinum Concilium sess. 4. ut diximus, Sacrorum Bibliorum numerum inviolabiliter tenendum statuerit, nempe 45. ex Vet. Test. et 27. ex Novo. Eadem pariter sessione, modus interpretandi eadem Biblia traditur, videlicet, ut nemo *contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram audeat interpretari.* Legatur Bellarm. in Controv. Authenticitas porro horumce Bibliorum, atque integritas, tot obsignata evidentissimis argumentis, ex religiosissimo eorum zelo custodum, ex gr. Judaeorum quoad vetus Test. qui ideo recte *Capsarii nostri* dicuntur ab Augustino, et Christianorum deinceps, nec non ex ipsa Judaici populi primum, ac dein Ecclesiae constitutione, ac regimine cum SS. Scripturarum veritate, ac integritate connexo, omnimoda critices, ac eruditionis praestantia a plerisque vindicatur, sicut et infra innuetur, praecipue a Bergier, et Spedalieri contra Freret; Nonnotte, Du Contant, contra Voltaire, ac nuper P. Fabricy: *Des titres primitifs de la religion,* Clement *Authenticité des livres tant du nouveau, que de l'ancien Testament,* Paris MDCCLXXXII. nec non a plerisque Religionis Apologistis, rerumque biblicarum tractatoribus.

Divinitas vero S. Scripturae nobis dilucide innotescit ex eo, quod Christus, et Apostoli, eam ceu divinitus inspiratam, Ecclesiae tradiderint, et Ecclesia omnis, falli nescia, con-

stanti traditione eam sic agnoverit, et fassa sit; quo argumento cum careant Protestantes, in interno potius Spiritus Sancti lumine confidentes, quam in Ecclesiae auctoritate, haud immobiliter divinitatis Scripturarum dogma asserere queunt, jamque, ut diximus, haud consoni sunt, in eodem eorum numero recensendo.

An. MDLXXXVIII. Lovanii prodiit propositio derogans, inspirationi divinae in singulis Scripturae verbis; at haec inspiratio communiter admittitur, cui suffragantur ea, quae dicunt Paulus in II. Tim. 3. 16. Petrus in II. 1. 20; ac Patres passim, praecipue Hieron. in cap. 3. Ephes. Aug. *de Cons. Evang.* Chrysost. Hom. 21. in Gen. Super haec omnia, numerum nempe, authenticitatem, ac divinitatem Scripturarum, legantur *Philocalia* Origenis, S. Hieronymus Epist. 53, *ad Paulinum, Praef. in Samuel, et Malachiam.*

Modo, quaedam de Bibliorum originali textu, versionibus, et commentariis. Omnes Veteris Testamenti libri, hebraica exarati fuerunt lingua, exceptis illis Tobiae, Judith, Esdrae, ac Danielis, chaldaice scriptis, et altero Machabaeorum graece. Ex novo autem, omnes graece, dempto Matthaei Evangelio haebraice, prout fortasse Epist. ad Hebraeos, et probabiliter Evangelio Marci, latine. In hujusmodi textus, erudititsimi omni aevo disquisierunt viri, eosque incorruptos, vetustissimis, plurimisque conlatis codicibus, demonstrarunt. E veteribus, Origenes, et Hieronymus; e nuperis vero, singulari praestantia hanc difficillimam spartam exornavit, Jo. Bernardus de Rossi, sub titulo *Variae lectiones*, Parmae MDCCLXXXIV. ubi et Kennicottiana collectio Mss. recensetur. Utiles quoque insumpti labores fuere, ad faciliorem textuum intelligentiam exhibendam; prae caeteris memoratu dignum est, *Lexicon Hebraicum* Jo. Buxtorfii, a P. Jo. Montaldi auctum, Romae MDCCXIC. nec non optime meriti, horumce textuum editores in Bibliis Polyglottis, illa nempe edita Compluti opera Card. Ximenes an MDXIV. illa studio Philippi II. Hisp. Reg. Antverpiae MDLXIX. cum proleg. Bened. Ariae Montani; illa Parisiorum, an. MDCVI.. ex Gabriele Gionita, et aliis, illa Londini MDCLVII. cum proleg. Waltoni. In hisce eximiis, ac magnificentissimis SS. Bibliorum editionibus, adduntur quoque nonnullae versiones praecipuae. Porro inter istas, illustrem obtinet locum illa Pentateuci, Samaritani *Vet. Test.* Graece elaborata a 72. interpretibus, quos Ptolomeus Philadelphus Aegipti Rex, ex Judaeorum peritissimis accerserat anno circiter CCLXXI. ante Christum, ineffabili sane Dei Providentia, ut sic diffusa apud Gentes Messiae

expectatione, inexcusabiliores fierent Judaei, et simul prohiberentur vetus corrumpere Testamentum, cum et alia lingua exaratum extaret; nec non Chaldaica Paraphrasis, Versio Syriaca, Vulgata quoque latino prolata idiomate, quae post D. Hieronymi labores, qui, Damasi jussu, vetus Testamentum ex hebraeo transtulit, et novum graecae fidei reddidit, in Romana Ecclesia invaluit, excepto Psalterio, quod prisco more juxta versionem Septuaginta continuo in liturgiis obtinuit; haecque vulgata substituta fuit alteri latinae versioni, *Italae*, vel *Veteri* nuncupatae, quam edidere superiori saeculo, Ven. Card. Thomasius, et Sabbathier. Quoad Vulgatam porro, Patrum, Conciliorum, et universali receptam usu, a Trid. Concilio Sess. 4. Decr. 2 statuitur, *ut pro authentica habeatur, et ut nemo illam, quovis praetextu, rejicere audeat, vel praesumat*, quatenus videlicet, nil contra fidei, morumque integritatem contineat, non quod plenissime originalibus textibus aequipolleat, quin immo, praesertim ad hostes revincendos, maxima utilitate consuli queunt. Horumce textuum, versionumque collectio, sicut pretiosa reddidit praefata Biblia Polyglotta, sic summe dolendum. quod nonnisi perpauca, ad nos pervenerint, studio Cl. Drussi, et Montfaucon, e collectionibus ab Origene summo studio comparatis, quarum una, *Tetrapla* dicebatur, quia quatuor primarias graecas versiones complectebatur, velut in columnas distinctas, facilioris mutuae collationis ergo, nempe Aquilae, Symmachi, Septuaginta, ac Theodotionis; alia, *Hexapla*, continens praeter quatuor praedictas versiones, textum hebraicum Vet. Testamenti, tum hebraicis, cum graecis litteris expressum: tertia, *Octapla*, alias duas graecas exhibens versiones ultra praecedentes. Adsunt et aliae permultae versiones, juxta varias nationum linguas exornatae, cujusmodi pro Arabis, Ethiopis, Persis, Armenis, Ruthenis, sicut vulgares nonnullae ex gr. pro Anglis, saec. VIII. Gallis; saec. XIII. sicque de aliis; praesertim postquam Lutherani, ac alii Protestantes novas cudere versiones caeperunt, utique corruptas. Apud italos, primus in vulgari lingua Scripturam vertit. Nicolaus Malermi Camaldulensis, saec. XV. ac post aliorum tentamina, haud ita pridem Archiep. Florent. Martini optimam versionem italam concinnavit, a Pio VI. laudatam. Absit tamen, ut inde inferatur libere vulgares versiones, earumque lectionem, *passim*, et *indiscriminatim* fidelibus cunctis ab Ecclesia permitti, prout Quesnellus in prop. a. 79. ad 85. in Bulla *Unigenitus* damnatis, et Synodus Pistoriensis, in prop. 67. in Bulla *Auctorem Fidei*, insinuare nituntur, cum po-

tius, juxta 4. Regulam indicis sub Sixto V. et aliis Pontificibus adprobatam, *experimento manifestum sit, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri, ob hominum temeritatem.*

De priscis versionibus agunt Origenes, Clemens Alex. *Stromatum* l. 1. S. Augustinus l. 18. *de Civ. Dei* S. Hieronymus sat in praefationibus disserit, de sua versione. Quoad recentiores versiones, earumdem Auctores, vel Editores adire fas est.

Concordantiam SS. Bibliorum in quibusdam apparentibus contradictionibus, exaravit S. Augustinus l. 17. et 18. *de Civ. Dei*, nec non in 4. libris *de Consensu Evangelistarum*, et Eusebius Caesariensis in Epist. *ad Carpianum*, Gerso, Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis, Jo. de la Haye, Soc. Jesu, Jac. d' Abzoles, Bernardus Lutz, Bernardus Lamy, etc.

Regulas pro interpretanda S. Scriptura, egregie tradit S. Aug. lib. *de Doctrina Christiana*, S. Eucherius, S. Bonaventura in *principio S. Scripturae*, et *proemio de Scripturis, in Brevitoquio*, Richardus a S. Victore, omnesque biblici Commentatores. Notandum hoc loci, varios Scripturae sensus, etiam a D. Thoma a. 10. memoratos, hoc disticho contineri,

Littera gesta docet: quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quo tendas anagogia.

et simul referre lubet eos e Patribus, qui juxta varios hos sensus, Scripturam sunt interpretati, prout Sixtus Senensis in fine l. 3. Biblioth. S. adnotat:

Historiam Hebraeis, et Graecis fontibus haustam,
    Hieronymo disces Duce.
Allegorias, Anagogemque recludent
    Origenes, et Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos,
    Chrysostomus, et Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine mersis,
    Aurelius lucem afferet.
Sed brevis, et facilis non est spernenda tyroni
    Lyrensis expositio.

Caeterum commentatores, et numero, et merito insignes habentur quammulti; sive in universam Sanctam Scripturam; sive in aliquas ejus partes. E veteribus, Origenes, S. Hiero-

nimus, in *prologo galeato*, epistola *ad Paulinum*, ac praefationibus, Theodoretus, Theophanes, Rabanus Maurus, ejusque discipulus Vaffridus Strabo, Monachus Auctor *Glossae ordinariae* in utrumque Testamentum, Anselmus Laudunensis Archidiaconus, Auctor *Glossae* interlinearis, Theophylactus, Rupertus, Hugo a S. Victore, Alexander Alensis, Nicolaus Lyranus, Auctor Postillae, que jungi solet Glossae, Tostatus, Dionysius Carthusianus, Maldonatus, Card. Cajetanus, Sixtus Senensis, Cornelius a Lapide, Menochius, Jac. Tirinus, Jo. Morinus, Calmet. At res in infinitum abiret, si omnes peculiarium librorum illustratores recensere arbitrarer, cum et fere omnes Ecclesiae Patres numerandi forent, siquidem vix ullum reperias, qui quamdam Scripturae partem elucubrandam non assumpserit, sicut speciatim D. Thomas commentaria dedit in Job, in tres primos nocturnos Psalterii David, in Cantica Canticorum, in Isaiam, Jeremiam, ejusque threnos, Catenam auream in quatuor Evangelia, Postilla super Matthaeum, et Joannem, Expositionem super omnes Epistolas D. Pauli: E recentioribus autem pene innumeri occurrunt, qui singillatim de aliquibus libris, aut peculiaribus quibusdam rebus ad Sacram Scripturam spectantibus, egerunt, etiam ex heterodoxis, qui tamen juxta propriae sectae doctrinam generatim eam detorquere student, atque hacce de causa tantopere ejus lectioni, ac consultationi inhaerendum volunt, ut supra ipsam, quae seorsim ab Ecclesiae interpretatione est instar mortui judiciis, ac multipliciter exponibilis, errores superextruant suos; a quorum vestigiis, haud plurimum distat Quesnellus, qui ut callidissime suae sectae Jansenisticae virus absconditum propinaret, Novum Testamentum cum moralibus reflexionibus est interpretatus, unde 101. propositiones erutae damnataeque, fuere a Clemente XI. an. MDCCXI. in celebri Bulla *Unigenitus*, mox memorata, quas inter, ut supra innuimus, nonnullae lectionem S. Scripturae, omnibus fidelibus nimium inculcant.

Adsunt quoque perutiles in rem biblicam tractatus, ut supra indicavimus, mirifice chronologiam, historiam, geographiam, ritus, politicen, aliaque judaicae gentis, ac nascentis Ecclesiae elucidantes, sed satis in praelaudatis auctoribus; maximeque utilis in Scholarum usum esse potest, Apparatus Biblicus Bernardi Lamy. Non tacenda tamen Biblia Avenione cusa, praeclaris dissertationibus referta; sicut etiam Calmet, qui insuper dictionarium Biblicum exhibuit, prout postea et Aquila, breviori calamo peregit. Bibliotheca P. le Long, eximie praestat.

§ IV.

De Traditionibus; ubi de Patribus.

Alterum Sacrae Doctrinae fundamentum est *Traditio*, qua intelligi potest, vel generatim quidquid sive ore, sive scriptis, Ecclesiae ab Apostolis concreditum est, vel speciatim quod citra Scripturas, et sic traditio *oralis* intelligitur. Haec per annos bis mille in lege naturae veros Dei cultores absque scripturis, sed successiva patrum in filios communicatione, in purae religionis officiis continuit; et post legem scriptam adhuc circa plurima viguit, ut expresse indicatur in Psalmo LXXVII; ubi quaedam referuntur velut oretenus audita, quae in historicis libris veteris Testamenti desiderantur; et nemo ignorat quot studia Judaei contulerint ut Sacram Scripturam juxta assertas quasdam traditiones explicarent, ut in libris Mischna, Gemara, Talmud, Masora, Kabala, etc. at haec ipsa fabularum rabbinicarum irreptio, nonnullas apud eos extitisse traditiones docet. In lege etiam nova haec traditio quammaxime obtinet, prout D. Paulus inter alia scribit II Thessal. 2. 15: *tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; neque enim in sacris codicibus cuncta scripta sunt, quae ad absolutam Ecclesiae instructionem pertinent, nec necessum fuit, ut omnia scriberentur, cum potius ipse Christus, et Apostoli verbo praedicarint, et nonnisi postea litteris quae ore dixerant, fuerint consignata; nec ullum latere debet, primitivam Ecclesiam, circa nonnulla praesertim, arcanum studiosissime observasse; cujusmodi circa Missae Sacrificium, certe ne inimicorum rerum spiritalium caecitate detentorum irrisioni, ac furori exponerentur; ut prae aliis ostendit Schelstrate, in opere *de disciplina Arcani*. Insuper constat, eamdem primitivam Ecclesiam, quamvis paucis ditatam libris, qui non omnes illico scripti fuere, nec pari momento apud varias dissitasque Ecclesias, et furente persecutionum procella, diffusi, omnem prorsus calluisse veritatem: et si decursu temporis, data haereseon occasione, nonnullae definitiones prodiere, a prius consulta ipsamet Traditione sunt derivatae, seu potius enucleatius explicitae.

At nonnulla reapse habemus ex traditione, quae in Scri-

pturis vel omnino non inveniuntur, vel saltem obscure, ex gr. de numero, ac divinitate SS. Bibliorum, septenario Sacramentorum numero, de materia, et forma Sacramentorum Confirmationis, Extremae Unctionis, et Ordinis, de baptizandis parvulis ante usum rationis, de non rebaptizandis haereticis, de cultu imaginum, ac invocatione Sanctorum, de perpetua B. Mariae Virginitate, quae utpote ad fidem spectantia, Traditiones *divinae* audiunt; nec enim aliunde oriri queunt, nisi ab eo, cujus est fidem, et instrumenta salutis, seu sacramenta, nobis donare, vel etiam *apostolico-divinae*, quatenus per Apostolos Ecclesiae consignatae; essent vero *apostolicae* tantum, si disciplinam ab ipsis Apostolis Ecclesiae praescriptam respicerent, cujusmodi Quadragesima, quatuor anni tempora, commutatio festi, a die sabbati in Dominicum. Ecclesiasticae demum nuncuparentur, si a Pastoribus dein fuerint invectae, ut abstinendi datis diebus a carnibus, mos aspergendi aqua benedicta, et signum crucis adhibendi, festaque, ac ritus permulti. Ex hisce quoque alia elicitur distinctio traditionum, quoad earum durationem, nempe in perpetuas, aut immutabiles, et temporaneas, aut mutabiles: primi generis sunt divinae, et apostolico-divinae; alterius vero generis sunt reliquae. Circa istas, Ecclesiae auctoritas extenditur, non circa illas, quae ab ipsomet Christo sunt.

Pro Traditionis auctoritate astruenda, argumenta permulta e Patribus, et Conciliis afferri solent in theologicis tractatibus; heic advertisse satis, egregie in hanc rem scripsisse S. Irenaeum l. 3 *adversus Haereses*, Tertullianum in l. percelebri *de Praescriptionibus*, *de Corona militis*, c. 3. S. Vincentium Lirinensem in suo egregio *Commonitorio*, S. Innocentium I. *in responsionibus ad Consultationes Decentii*, S. Augustinum in 2. Epistolis *ad Consultationes Januarii*. Tridentina vero Synodus Sess. 4. *prospiciens, veritatem, et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia, suscipit, ac veneratur.*

Idipsum repetit in Sess. VII de Sacramentis, XIII de Eucharistia, XIV de Extrema Unctione, XXIV de Matrimonio, XXV de Purgatorio, ac de invocatione, veneratione, et reliquiis Sanctorum, et Sacris imaginibus, et in praefata Sess. IV ait, quod si quis vulgatae Scripturae libros, *pro Sacris, et Canonicis non susceperit, et Traditiones, praedictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit.* Hoc pacto, tunc grassantium Protestantium error potissimum confodiebatur, qui multipliciter de Sacra Scriptura, ut diximus, ac fere totaliter de Traditione, prave sentiebant. Dixi fere totaliter, non enim, sicut in caeteris, ita et hac in re, inter se ipsos consentiunt; sic alii penitus traditionem renuunt, alii Patres trium priorum saeculorum amplectuntur; alii volunt, et hos ipsos vetustissimos Patres auctoritatem traditionis prorsus labefactare, ajentes horum nonnullos errasse, in asserendo regno millenario super terram post resurrectionem, Trinitatem juxta Platonicae Scholae placita tradendo etc., ut suis locis videbimus, alii aliter. Contra hos omnes consulantur Canisius, Bellarminus, Bossuet quammaxime, Natalis ab Alexandro, et nuper Card. Gerdil, in italica *dissertazione sulle obbiezioni proposte da Cristoforo Pfaff.* Apud praedictos, varii quoque canones reperiuntur, quibus tuto variae traditiones dignosci valeant, et quidem ex Tertulliano speciatim, S. Augustino, ac S. Vincentio Lirinensi, simulque istiusmodi regulae a sectariorum calumniis, ac detorsionibus vindicantur.

Nimirum cum Ss. Augustino, et Vincentio Lirinensi, Traditionis universalitas statuitur ceu plenissimum ejus retinendae argumentum; cum S. Iraeneo, ac Tertulliano, Cypriano aliisque, Ecclesiarum Apostolicarum, Romanae praesertim, caeterarum matris traditio consulenda, ac sectanda proponitur, ut in sequenti § iterato indicabitur. Tanta porro harum, aliarumque regularum soliditas, et auctoritas, utpote quae errores omnes brevi veritatis compendio, ac tessera praedamnent, mirum! quo aestu ab haereticis, et neotericis refragrantibus, fuerint impetita, ac detorta, ut videre est vel in sic dicta *Analisi delle prescrizioni di Tertulliano*, quo in opere Romani Pontificis auctoritas acriter laeditur, ac velut nunc foedata pingitur primaeva traditio, asserta obscuratione quarumdam veritatum ad fidem, moresque pertinentium. Contra tantum facinus, nempe adulterationem eximii libri *de praescriptionibus*, calamum utiliter strinxere Fuensalida sub nomine Cajetani a Brixia. *Osservazioni critico-teologiche, sopra l' Analisi etc.* Assisii MDCCLXXXIII.

Fr. Marcus *Brevi avvertimenti*, et Gazzetti parrochus diaec. Brix. *Spiegazione ragionata del libro delle prescrizioni*, Roma MDCCVIIC. et alii. Nec reticendum est eodem semper gressu novatores incessisse, actualem videlicet Ecclesiae Statum ceu a prima puritate collapsum deflendo, et ad primitiva monumenta, et SS. Biblia provocando, horumce perspicuitatem grandi loquis encomiis extollendo, ut spreto praesenti magisterio, quae voluerint liberius obtrudant. Traditionum obscurationi ab his conclamatae affinis quodammodo, licet alio sensu, et scopo, videri potest Jo. Creigii Scoti insania, qui in suo opere, *Theologiae Christianae principia mathematica*, traditionis auctoritatem in inversa ratione temporis imminui contendit, amnemque vim amissuram asserit an. MMMCVIIIC. quo et ipsa religio christiana juxta ipsum interitura sit. Digne hic vapulat a Prades, in *Encyclop. method. Metaph. art. Certitude*, cum potius ipsa rigidior critica doceat majori testium accessione monumenta vetera illustrari, confirma rique. Quidni dicendum, si invigilet Deus *omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi?*

Quia Patrum consensui Traditio innititur, idcirco nunc de ipsis nonnihil addemus. Ecclesiae Patres distingui solent a Doctoribus ipsius Ecclesiae ex eo, quod licet utrique omnes doctrina, ac sanctitate spectatissimi refulgeant, ii majorem vetustatem praeseferant. At, non raro, promiscue haec nomina usurpantur. Alii e Patribus *Apostolici* audiunt, quia circa apostolica tempora Ecclesiam illustrarunt, quos inter Ss. Martialis, Clemens Rom., Evodius, Ignatius M., Dionysius Areopagita, Polycarpus, Quadratus, Melito, Justinus M., Irenaeus. Alii, qui deinceps usque ad quintum generale Concilium, seu ad dimidium Saec. VI. floruere, cujusmodi Clemens Alex., Ss. Greg. Thaumaturgus, Cyprianus, Hilarius Pictaviensis, Athanasius, Optatus Milevitanus, Ephrem, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Epiphanius, Chrysostomus, Nilus, Maximus Taurinensium Episcopus, Hieronymus, Augustinus, Paulinus Nolanus, Cyrillus Alex. Petrus Chrysologus, Leo Magnus, Cyrillus Jerosolimitanus, Hilarius Arelatensis, Eucherius, Prosper Aquit., Caesarius, Fulgentius. Patres, qui post praefatam V. Sinodum vixere, ultimam, seu recentiorem partem constituunt, suntque Ss. Gregorius M., Gregorius Turonensis, Isidorus, Ildefonsus, Jo. Damascenus, Petrus Damiani, Anselmus, Bernardus, Thomas, et Bonaventura.

Pro recto Patrum usu, hoc tenendum, quod eorum consensus in rebus fidei, et morum, traditionem firmat, estque

infallibilis regula. Si consensus desit, vel res ad fidem, et mores non spectet, intra probabilitatis limites est. Plurimi extant, qui egregias de Patrum studio regulas exhibuere, et praecipue *Argonensis, de optima legendorum Patrum methodo :* et signantur Ven. Card. Thomasius in *Indiculo Instit. Theolog.* ubi inter multa, praeclare, sciteque commendat, *ut scilicet* qui operam iis dat, *id faciat depositis praejudicatis opinionibus privatarum Scholarum, atque factionum: idque solum attentissime quaerat, ut vera sensa Patrum assequatur; eo modo, quo Scyta, Persa, vel Indus, qui Scholarum nostrarum privata dissidia non noverunt, Patres legerent animo simplici, nulli partium studio addicti.*

Protestantes Traditiones odio prosequentes, multo magis in Ss. Patres traditionis testes ac propugnatores, invehuntur, eosque in fide, ac moribus saepe non recte sentire effutiunt, editis integris voluminibus, ut Rivetus, Dallaeus, Basnage, Beausobre: quibus Matthaeus Scrivenerius, Natalis ab Alexandro, Bossuet, et alii fortiter obstitere. Observes vero, quod dum hi hostes tantopere Sanctos Ecclesiae Patres deprimere conantur, sese irrefragabiles Doctores impudenter erigunt. Id vero quammaxime praestat, ut quando leguntur Patres, eae utique generales serventur leges, quas ipsa ars critica, et praefati Autores docent, sed insuper attente ea consulantur, quae a praecipuis eorum Operum Editoribus Maurinis, aliisque, omni eruditioni, ac criticae ornamento praestantibus, sive in prolegomenis, sive in adnotationibus adnectuntur, in quibus ipsamet Patrum doctrina illustratur, et oppositae difficultates enodantur. De primis Ecclesiae Patribus. Marechal *Concordantiam* eorum doctrinae composuit. Quoad D. Thomam, editio aliis accuratior habetur illa Venetiis, cusa cum Dissert. P. de Rubeis. Praeter peculiares singulorum Patrum editiones, eorumdem opera, in parte saltem collecta inveniuntur in quibusdam Bibliothecis, cujusmodi sunt illae Cotelerii, Allatii Leonis, Canisii, Martene, Combefis, Mabillon, Montfaucon, Sirmondii, Gallandi; *Bibliotheca maxima veterum Patrum*, Lugduni in 27 tom. prius a de la Bigne, dein ab aliis locupletata. Extat et Photii Bibliotheca, ingentem Operum sobolem, quorum plura modo desiderantur, complectens. At frequentiori studiorum usui maxime inservire potest Bibliotheca Tricaletii, eaque Patrum opuscula, quae Card. Thomasius, Vezzosi, Cigheri collecta dedere. Videas Mabillon, *de studiis monasticis*, Annatum in *Apparatu*.

Diximus SS. Patres esse Traditionis testes, sed et Summorum Pontificum, et Conciliorum decreta in hujusmodi censum veniunt; at de his in sequenti §, sicut et vetera Ecclesiastica monumenta, aut ritus Traditionem fulciunt; hinc optimo consilio Gener Thelogiam *sacris antiquitatis monumentis illustratam* dedit, et Zacharias in sua, *Bibliotheca rituali*, Dissert. apposuit *de usu librorum liturgicorum in rebus theologicis*; et speciatim inde protestantium errores refellit; jamque et alii feliciter hoc iter sunt aggressi. Plurimum quoque in id confert opus immensa eruditione refertum *Originum, et Antiquitatum Christianarum*, P. Mamachi Ord. praed. Binghamum, aliosque protestantes, ut et alios Novatores conquidens; huic affines sunt, egregiae *institutiones Antiq. Christ.* a Selvaggio conscriptae.

Patribus jungi queunt Theologi, quorum consensus traditionem corroborat, dissensus vero nil aliud parit, nisi varios probabilitatis gradus, pro vario adductarum pondere rationum. Hi porro Theologi, tum pro vario Theologiae objecto, tum pro variis praeceptorum, quibus inhaerent, opinionibus in quibusdam haud necessariis discussionibus, tum pro qualitate methodi, diversimode appellari solent; unde quoad objectum distinguuntur *Dogmatici, Morales, Mystici;* quoad Magistros *Augustinenses, Thomistae, Scotistae, Molinistae;* quoad methodum *Scolastici, Positivi.* Supra, in § II. diximus de prima, ac tertia theologorum distinctione; quoad secundam vero, quatuor Scholae indicatae utpote Catholicae, in necessariis concordant utique, sed in modo explicandi veritates quasdam differunt, ut speciatim ubi de praedestinatione, ac gratia sermo erit. Augustinenses, D. Augustini operibus insistere gloriantur, praecipuique asseclae habentur Card. Noris, PP. Berti ac Bellelli, recentioresque non pauci, exceptis immo ablegatis pseudo-Augustinianis, qui *Jansenistae* audiunt, seu Sectatores damnati Operis, cui titulus *Augustinus* Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi, de quibus alibi; horum vero volumina redundant, tum in suorum defensionem errorum, tum etiam in aliorum corruptionem hominum, immo et Scholarum; nec multum temporis effluxit, quo prohibitae fuerunt institutiones Theologicae ad usum Seminarii Lugdunensis, illae Opstraet, Petri Tamburini praelectiones, Zola, del Mare etc. Thomistae vero, ut diximus, D. Thomam sequuntur, quem maxime illustrant Dominicus Bannes, Gonet, Card. Cajetanus, P. Seraphinus a Porrecta, Guilielmus Estius, Jo. a S. Thoma, Gregorius Valentia, et e nuperis Billuart,

Gazzaniga, ac e Praed. Ordine Theologi passim. *Scotistae* vocantur asseclae doctrinae Jo. Duns Scoti *Doctoris subtilis*, Cel. Franciscani saec. XIV. in aliquibus liberis, ac metaphisicis plerumque sententiis, diversimode a D. Thoma opinantis. Illum Laurea, Samanus, Frassen exponunt. *Molinistae* vero, initium traxere labente saec. XVI e *Commentario* Ludovici Molinae e Societate Jesu, in primam partem D. Thomae Aq. et *Concordia liberi arbitrii, cum gratiae donis*, ubi diversam init sententiam a Thomistis, et Augustinensibus, circa nonnulla, divinae scientiae, praedestinationis, et gratiae. Hocce systema communiter Jesuitae amplectuntur, praecipue postquam Suarez, et Vasquez ineunte saec. XVII. illud, invecto *Congruismo*, modificarunt. Jamque juxta triplicem Augustinensium, Thomistarum, ac Molinistarum Scholam, plerumque duobus ab hinc saeculis, discernuntur Catholici Theologi, licet quoque occurrant nonnulli, omni prorsus privato systemate expertes, ut novissime noster Gardini Episcopus Cremensis, in opere *Veritates Catholicae* t. 3. sicut qui in rebus disputabilibus, unde praefatae distinguuntur Scholae, non unam mordicus ex hisce sequuntur, sed e singulis quae opportuniora crediderint excerpunt, ut hisce diebus P. Georgius Albertinus in suis *Acroasibus*, t. 4. Infinitam propemodum Theologorum seriem, aliaque id genus spectantia adesis apud Gener in t. 1. suae Theologiae. Romae MDCCLXVII. Hacic adnotare praestat, nos in citandis pro controversiarum, doctrinarumque opportunitate Auctoribus, eos tantum delecturos, qui speciatim, atque ex instituto circa eas calamum stinxerint, paaetermissis iis, qui in universa theologicarum tractatione quaestionum, idipsum examini subjiciunt: continuo enim nominandi forent Petavius, Bouchat, Tournely, Juvenin, Habert, Gerbert, Schram, nec non superius relati, aliique permulti ac celeberrimi. Utile Dictionarium Theologicum in 6. tom. gallice dedit haud ita pridem, Bergier, ubi Biblica et Ecclesiastica abundant, et christiani nominis hostes valide retunduntur. Italice versum, et auctum, Romae fuit. Extat et aliud mole minus, ab Aquila italico idiomate exaratum etc.

Theologos excipiunt Ss. Canonum Tractatores, videlicet et isti asserendae Traditioni inserviunt, praecipue circa mores, ac disciplinam Ecclesiae. Prima Canonum, regularumve disciplinarium collectio, in ipsamet Sacra Scriptura extat; at deinceps adnumerandae veniunt *Constitutiones Apostolicae*, vel *Canones Apostolorum*, numero 75 aut 76, pro varia supputandi methodo, quos aliqui collectos dicunt a S. Cle-

mente I. et communius ab aliis serius redactos asserunt, et quidem e sanctionibus Apostolorum. Conciliorumque saec. II ac III. relate ad Ecclesiae disciplinam, sed nonnihil ab haereticis deturpati fuere. Legantur Labbé, Cotelerius, Bevereggius. Circa an. CCCLXXXV. Stephanus Ep. Ephesinus veteres Ecclesiae leges adunavit, sub nomine *Collectionis Canonum Orientalium*, additisque aliis, *Codex Canonum universae Ecclesiae* audiit. Dionysius Monachus Rom. Exiguus nuncupatus, *corpus Canonum* dedit ad an. DXXVII. Alii deinceps collectores numerantur, et signanter circa saec. VIII Isidorus Mercator, ab aliis Peccator vocatus, *Decretales* Romanorum Pontificum exhibuit, de quibus nuper tot calumniae, tot in Ecclesiam Rom. debacchantium hostium obtrectationes, quasi hisce suffulta monumentis, (quorum aliqua a criticis ceu spuria traducuntur, et ab aliis, ut Petro de Marca, ipsoque heterodoxo Blondello ea omnia, paucis exceptis, e canonibus saec. IV. et V. exscripta judicantur) plenissimae suae potestatis jura, ab intrinseco potius suae divinae celsitudinis privilegio manantia, extenderit. At ne quidem has decretales inspexisse dicendi sunt hostes hujusmodi, cum innotescat ex iis potius Episcoporum facultates laxari, et in pluribus a primae Sedis nutu eximi. Consulito Marchetti *Critica al Fleury*; praeclare de Isidoriana Collectione inquirit Anonymus e Conventualium Familia in libro *Rom. Pontificis summa auctoritas*, ubi adest dissert. histor. *de Isidorianis decretalibus*; et Ferrari in *Isidoro Mercatore difeso*, in supplem. Eccles. Diarii Rom. an. MDCCIIC.

Gratianus ex Ord. D. Bened. saec. XII *Decretum* digessit in tres partes divisum; S. Raymundus de Pennaforte, Ord. praed. *Decretales* jussu Gregorii IX collegit, in quinque libros distinctas, quibus Bonifacius VIII *librum sextum Decretalium* addidit. Adsunt et *Clementinae*, seu Constitutiones a Clemente V, vel Viennensi Concilio emissae, vulgatae autem a Joanne XXII. *Extravagantes* audiunt, quae extra hoc Corpus juris Canonici sunt, et ad ipsum Jo. XXII, aliosque Pontifices pertinent. Addi insuper debent Decreta, quae *Concilium Tridentinum* de reformatione tulit, nec non *Declarationes Cardinalium, Congregationis Tridentini Concilii interpretum*, sicut et *Bullarium Romanum* a Cherubino collectum, *Regulae Cancellariae, Decisiones Rotae*, etc. Praecipui Canonum Scriptores in methodicae institutionis usum habentur, e recentioribus Lancellotus, Cabassutius, Fleury, Lupoli, Riegger, Zallinger, Politi, Devoti, Gerbert, Schram. Van-Espen, et Ferraris fusius de jure canonico

agunt. Pariter egregium opus edidit Thomassinus, *Vetus, et nova Ecclesiae disciplina.*

Caute tamen plerique Canonistae legantur, difficile enim est invenire omni macula immunem, praesertim ubi agitur de finibus utriusque potestatis, Ecclesiasticae nempe, et Saecularis, unde tot exorta Regum, regaliumque Scriptorum in Ecclesiam dissidia. Hanc super rem nuper versatus est Pey, in opere italice reddito, notisque illustrato a Caes. Brancadoro, nunc S. R. E. Card. *dell' autorità delle due Podestà;* at summe desiderandum, ut praedicti Cl. Auctoris uberrima additamenta jam parata, ut ex prospectu novae editionis Augustae vulgato apparet, licet nunc posthuma, prodeant, quibus ultimam adjicens manum, permulta de Gallicanae Ecclesiae Opinionibus cribrat, purgat, et elucidat, et varios recentiorum abusus, erroresque quoad Ecclesiastica jura, strenue insectatur.

Quia historia plurimum lucis rebus anteactis affert, idcirco pro Coronide praesentis paragraphi de Traditione, videtur aliquid de historia Ecclesiastica adnectere. Actus Apostolorum prima Ecclesiae incunabula nobis repraesentant. Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Theodorus Lector, Philostorgius, Evagrius, una simul collecti, et editi Parisiis, ceu vetustiora historica monumenta censentur. Anastasius Bibliothecarius idem opus assumpsit; at celebrius istis Card. Baronius Annalium Ecclesticarum Parens, quos contra Centuriatores Magdeburgenses, e Protestantibus infensissimos Ecclesiae hostes, et ejus historiae depravatores, improbo labore, ac pene infinita chartarum, et monumentorum percensione suscepit, quosque Bzovius, et Raynaldus continuarunt, et Spondanus in Epitomen contraxit, ac Pagius in pluribus castigavit, talesque redegit, ut Casauboni aliorumque heterodoxorum impactae in eos criminationes, diluantur. Goudeau historiam Ecclesiae usque ad saec. X conscripsit; Fleury, usque ad an. MCDXIV, quem prae aliis nuper merito vellicat Marchetti, *Critica al Fleury.* Tillemontius ingenti eruditionis vi, sex prima saecula illustravit. Natalis ab Alexandro tum Biblicam, cum Ecclesiasticam historiam, adjectis permultis dissertationibus, concinnavit; dein Graveson, Orsi, ejusque continuator Becchetti, ab origine ad viciniora tempora eam exarant. Recens quoque Saccarelli, Bercastel, Zacharias, in perutili *Raccolta di dissertazioni di Storia Ecclesiastica,* memoratu digni sunt.

Abstinemus a recensendis iis, qui vel pecularium Ecclesiarum historiam, vel facta tantum aliqua exponunt. Modo

etiam silebimus de Pontificum, ac Conciliorum Historicis, et Collectoribus particularibus, de quibus in sequenti §. Nunc eorum aliquos referemus, qui illustres Ecclesiae Scriptores, et haereses memoriae tradidere. Omnium primus S. Hieronymus Opus edidit, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, et quidem usque ad an. CDX. Gennadius Massiliensis eum catalogum auxit, produxitque ad an. CDXC. in libro, *de Viris Illustribus*. S. Isidorus Hispalensis, librum confecit pari titulo. Photius, Bibliothecam CCVIC. Auctorum, quorum aliqui, ut diximus modo, desunt, composuit. Sigebertus Monachus, Honorius Augustodunensis, Henricus Gandavensis, Trithemius, Gesnerus, Possevinus, Bellarminus, Grandcolas, nec non Miraeus, Cave, Oudinus, Walchius, Fabricius, heterodoxi; praestat Bibliotecha a Mabillonio exhibita, in opere *de studiis monasticis*, qua lectissimos rerum Ecclesiasticarum libros indigitat. Sed caeteris amplius scripsere, Dupin in *Biblioteque des Auteurs Ecclesiastiques*, quam merito in pluribus carpit Bossuet; et D. Remigius Cellier, Ord. S. Ben. *Histoire des Auteurs Ecclesiastiques* in 24 vol. in 4. Extat *Dizionario Storico degli Autori Ecclesiastici*, Venetiis cusum, et recens quoad priora saecula *Bibliotheca* P. Lumper.

Circa haereses scripsere S. Irenaeus in libro *adversus haereses*, Tertullianus in supra laudato libro *de praescriptione adversus haereticos*, et aliis *contra Marcionem*, *Valentinianos*, *Hermogenem*, *Praxeam*, *Sadducaeos*, et *Judaeos*, S. Philastrius Brixiensis in *libro de haeresibus*, ut et S. Augustinus; Theodoretus, *haereticarum Fabularum compendium* 4 libris dedit; S. Vincentius Lirinensis in praestantissimo antea citato *Commonitorio adversus profanas omnium haeresum novitates*, S. Jo. Damascenus in *4 libris de fide Ortodoxa*, et speciatim *de centum haeresibus*; Euthymius Zigabenus in *Panoplia Orthodoxae fidei adversus haereses omnes*, Honorins Augustodunensis, Guido Carmelita, aliique permulti praesertim in haereses ultimis saeculis exortas, sic quoad varios Protestantium seu pseudoreformatorum errores legatur Bossuet, Nicole. Quoad Jansenistas, Deschamps, Mozzi *Vera idea del Giansenismo*, *Storia delle rivoluzioni della Chiesa d' Utrecht*; P. Honoratus a S. Maria, *Osservazioni*, *Dissertazioni*, et plures insuper. Sicut et alii adnumerandi essent Patres, qui peculiares aliquos errores suorum temporum refutarunt, cujusmodi e. g. S. Cyprianus contra Novatianos, SS. Athanasius, Hilarius, Gregorius Naz. in Arianos, S. Basilius in Eunomium, S. Hieronymus in Origenem, Jovinianum, Hel-

vidium, Vigilantium, Pelagium, S. Augustinus in Manichaeos, Arianos, Donatistas, Pelagianos, Jovinianistas, et sic de aliis non paucis. Extat *Istoria di tutte le eresie*, a Bernini confecta, sicut et Contini *Dizionario delle eresie*, ec.

§ V.

De Ecclesia; *ubi de Conciliis, ac Romano Pontifice.*

Praecipuus simulque vexatissimus de Ecclesia tractatus, nobis modo vel leviter adumbrandus occurrit. Quamvis late intelligi queant sub Ecclesiae nomine fideles, quotquot a mundi exordio ad ejus finem sint extituri, nec non qui jam Coeli praemio potiuntur, quique leviores culpas in purgatorio detergunt, unde triplex Ecclesiae distinctio in *militantem*, *triunphantem*, atque *purgantem* procedit, nihilo secius modo de sola militante acturi, hanc subdividimus, in *Synagogam*, quae in veteri Testamento fuit, et proprie *Ecclesiam*, quae in novo efflorescit. Haec illa religio est, cujus divinam prorsus originem, oeconomiam, ac scopum, mira revelationis connexio, etsi tribus epochis perfecta, commendat, pericula, prophetiae, propagatio, martyres, invincibilitas, intrinseca Auctoris, doctrinaeque sanctitas, ac aptitudo ad singulas omnium temporum, et locorum nationes suaviter, utiliterque dirigendas, communiunt; qua amplexata, errorum dubitationumque caligo evanescit, speque suavissima fides innixa in Auctorem, ac Consummatorem suum J. C. evehit corda credentium; quaque rejecta, omnia corruant, et instabilis fluctuatio succedat necesse est. Quis tamen absque horrore perpenderit Ecclesiam istam continuo temporum lapsu infensissimos nactam fuisse hostes, immo et ingratos, ac degeneres filios materna ejus viscera dilacerantes! Legatur insigne ac recens opus Cels. P. Ab. Gerbert sub titulo: *Ecclesia militans Regnum Christi in terris, in suis factis repraesentata.* Nos interim, a proposita brevitate minime recedentes, Ecclesiae definitionem, notas, queis ab aliis pseudo-Ecclesiis errantium secernitur, praerogativas divinitus ei traditas, varia ejus membra, et caput exhibebimus, osorumque obtrectationes adnotabimus, adjectisque Vindicum optime meritorum laboribus, retundemus.

Nos equidem eam definimus cum Bellarmino l. 3. *de Ecclesia militante*, c. 2. caeterisque theologis, qui accurate eam hoc pacto germane indicare curarunt: *coetus hominum, ejusdem Christianae fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.* Ast vel in ipsamet Ecclesiae definitione, hostium dissidia fervent. Salmasius cum aliis Protestantibus hierarchiae invidis, eam rejiciunt: Launojus etsi hierarchiam admittat, illam ceu novam, et Patribus inusitatam arguit. Verum ex dicendis eam rite procedere patebit; nec mirum, si novis in dies exurgentibus haereticorum versutiis, erroribusque, theologi Ecclesiam essentialibus designare characteribus immutabilibus, *nove, non nova* proferendo, studuerint. Sane per hanc, tum Montanistae refelluntur, qui Ecclesiam non lapsis in fide, constare docebant; Donatistae qui innoxiis, Pelagiani qui perfectis, Wicleffus, Huss, Lutherus praedestinatis, Quesnellus Angelis, et justis, cujus instar, Synodus Pistoriensis in Append. n. 28. proponit: *Ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum, coagmentantum ex Christo capite, et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris, in spiritu, et veritate;* de qua propositione, in Bulla Auctorem fidei sic legitur n. 15: *intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu, et veritate, haeretica.* Sic igitur ex allata Bellarmini definitione, ceu tessera judicare licet, quid de Ecclesia Neoterici quidam effutiant. Jamque patet, eos haud innocenter a vulgatissima tutissimaque hac definitione deviare, aliasque substituere plus, minusve ambiguas, quibus latam sibi viam sternant ad consectaria, in totius Ecclesiastici regiminis perniciem, suorumque errorum praesidium elicienda. Consule Rossi, *La Dottrina di G. C. difesa.*

Etsi Ecclesiae definitio satis eam a reliquis pseudo-Ecclesiis secernere valeat, quae vel circa fidem, vel Sacramenta, vel hierarchicum regimen, errant, attamen nonnullae adsunt peculiares notae, seu characteres evidentissimi, quibus provido sane Dei consilio, vel rudis quisque de vera religione, aut Ecclesia certior fieri possit, absque disquisitionum ambage, et absque praetensa examinis via, quae ut jam vidimus ex l. 1. c. 6. *contra Gentes*, a D. Thoma ceu pluribus difficillima, et fere omnibus impossibilis ostenditur,

ut ad rem nostram egregie ait in 2. 2. q. 1. a. 9: *veritas fidei in S. Scriptura diffuse continetur, et variis modis, et in quibusdam obscure; ita quod, ad eliciendam, fidei veritatem requiritur longum studium, et exercitium ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem; quorum plerique, aliis negotiis occupati, studio vacare non possunt.*

Protestantes duas tantum notas volunt, nempe puram verbi Dei praedicationem, et legitimam Sacramentorum administrationem, Baptismi scilicet, et Eucharistiae; at iterum iterumque expostulandi de absurdo examine nimis necessario, an rite praedicatio, et Sacramentorum administratio fiat. Non ergo hae sunt notae, quibus clare Ecclesia innotescat. Catholici vero, quos ipsi ludibrio Pontificios, aut Romanenses vocitant, cum Concilio Constantinopolitano quatuor assignant notas, *Credo Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Protestantes, has quatuor notas suae praedicationi aptare insulse satagunt, tertio enim ac millies repetendum, id non nisi per examen deprehendi ad summum posse; nota autem per se patere debet, ut reapse patent hae quatuor, si Ecclesiae tuto indigitandae, velut quatuor lucentissimae faces applicentur.

Ecclesia una est unitate fidei, Sacramentorum, ac regiminis. Sancta ex Auctore J. C., ex fine seu Gloria coelesti: ex mediis, sive Sacramentis, et gratia. Catholica, quod maxime nomen omni aevo, et apud omnes proprium fuit Ecclesiae nostrae, nempe universalitate gaudens locorum, temporum, ac personarum, non quod actu haec universalitas vigeat, sed quod saltem successive obtineat, sicut etiam de universalitate doctrinae, adeo ut praesens Ecclesiae doctrina, sit et primaeva ejus, et vicissim: nec unquam ab ea dimoveri possit, cum interim haereses novitatem redoleant, et varias inierint epochas. Apostolica autem est Ecclesia, origine, doctrina, ac successione legitima Pastorum, ab Apostolis ad nos, quae notae omnes, sed speciatim Apostolicitas, cum unice in Romana Ecclesia, quae sola ex Apostolicis remanet, effulgeant, expedita, certissimaque conclusione dignoscitur, hanc solam esse veram Ecclesiam, cui praeest Apostoli Petri successor, Romanus Pontifex; sicque vel brevi evidentissimoque ratiocinio, vulgaris quisque, et indoctus immobiliter tutus fieri potest de veritate suae Ecclesiae Catholicae, cum suum Parrochum audit, qui junctus fide est cum Episcopo, et Episcopus cum Summo Pontifice, adeo compactum omnia membra cum Capite ligamen servant in

Ecclesia, ut si quid deficiat, statim innotescat, recidaturque necesse sit. En miram certitudinis brevissimam viam, apud solos Catholicos reperiundam!

Quoniam D. Thomas *in expositione super symbolo Apostolorum* ad artic. *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, permulta habet quae hactenus dicta de Ecclesia, ejusque notis, mirifice collustrant, atque corroborant, opere praetium duco ea in medium proferre. Ait itaque: « Sicut videmus quod in uno homine est una anima, et unum corpus, et tamen sunt diversa membra ipsius, ita Ecclesia Catholica est unum corpus, et habet diversa membra. Anima autem, quae hoc corpus vivificat, est Spiritus Sanctus. Et ideo post fidem de Spiritu Sancto jubemur credere Sanctam Ecclesiam Catholicam: unde additur in Symbolo, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Circa quod sciendum est, quod Ecclesia est idem quod congregatio. Unde Ecclesia sancta idem est, quod congregatio fidelium, et quilibet Christianus est sicut membrum ipsius Ecclesiae, de qua dicitur Ecclesiast. ult: *appropinquate ad me indocti, et congregate vos in domum disciplinae.* Haec autem Ecclesia Sancta, habet quatuor conditiones, quia est una, quia est sancta, quia est catholica, idest universalis, et quia est fortis, et firma. Quantum ad primum, est sciendum quod licet diversi haeretici diversas sectas adinvenerint, non tamen pertinent ad Ecclesiam, quia sunt divisi in partes, sed Ecclesia est una, Cant. 6: *una est Columba mea, perfecta mea.* Causatur autem unitas Ecclesiae, ex tribus. Primo, ex unitate fidei. Omnes namque Christiani qui sunt de corpore Ecclesiae, idem credunt 1. Cor. 1: *id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*, et Eph. 4: *unus Deus, una fides, unum baptisma.* Secundo, ex unitate spei, quia omnes firmati sunt in una spe perveniendi ad vitam aeternam: et ideo dicit Apost. Eph. 4: *unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Tertio, ex unitate charitatis, quia omnes connectuntur in amorem Dei, et ad invicem in amore mutuo. Jo. 17: *charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Manifestatur autem hujusmodi amor, si verus est, quando membra pro se invicem sunt sollicita, et quando invicem compatiuntur. Ephes. 4: *in charitate crescamus in illo per omnia; qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum, et compactum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate,* quia quilibet de

gratia sibi collata a Deo, debet proximo servire: unde nullus debet contemnere, nec pati ab ista Ecclesia abjici, et expelli, quia non est nisi una Ecclesia, in qua homines salventur, sicut extra arcam Noe nullus salvari potuit. Circa secundum, sciendum, quod est etiam alia congregatio, sed malignantium, Psal 25: *odivi Ecclesiam malignantium* etc. sed haec est mala, Ecclesia vero Christi est sancta. Apost. I. Cor. 3: *templum Dei Sanctum est, quod estis vos*: unde dicitur, Sanctam Ecclesiam. Sanctificantur autem fideles hujus congregationis ex tribus; primo enim, quia sicut Ecclesia cum consecratur, materialiter lavatur, ita et fideles loti sunt Sanguine Christi Apocalv. 1: *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris, in Sanguine suo.* Hebr. 13: *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum*; secundo, ex inunctione, quia sicut Ecclesia inungitur, sic et fideles spirituali inunctione unguntur, et sanctificantur, alias non essent Christiani; Christus enim idem est, quod unctus. Haec autem unctio est gratia Spiritus Sancti; II. Cor. 1: *qui unxit nos Deus.* Apost. I. Cor. 6: *sanctificati estis in nomine Domini Nostri Jesu Christi*; tertio, ex inhabitatione Trinitatis: nam ubicumque Deus inhabitat, locus ille sanctus est: unde Genes. 28: *vere locus iste sanctus est,* et Psal. 29: *domum tuam decet sanctitudo, Domine*; quarto, propter invocationem Dei. Hier. 4: *tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos.* Cavendum est ergo, ne post talem sanctificationem polluamus animam nostram, quae templum Dei est, per peccatum. Ap. I. Cor. 3: *si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Circa tertium sciendum est, quod Ecclesia est Catholica, idest universalis: primo, quantum ad locum, quia est per totum mundum, contra Donatistas. Rom. 1: *fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Marc. ult.: *euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae,* unde antiquitus Deus erat notus tantum in Judaea, nunc autem per totum mundum. Habet autem haec Ecclesia tres partes: una est in terra, alia est in coelo, tertia est in purgatorio: secundo, est universalis quantum ad conditionem hominum, quia nullus abjicitur, nec dominus, nec servus, nec masculus, nec foemina. Gal. 3: *non est masculus, nec foemina*: tertio, est universalis quantum ad tempus, nam aliqui dixerunt quod Ecclesia debet durare usque ad certum tempus; sed hoc est falsum, quia haec Ecclesia incoepit a tempore Abel, et durabit usque ad finem saeculi; Matth. ult.: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque*

ad consummationem saeculi, sed post consummationem saeculi remanebit in coelo. Circa quartum sciendum est, quod Ecclesia Dei est firma. Domus autem dicitur firma: primo, quia habet bona fundamenta. Fundamentum autem Ecclesiae principale, est Christus. Apost. I. Cor. 3: *fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*: secundarium vero fundamentum, sunt Apostoli, et eorum doctrina, et ideo firma est. Unde in Apoc. dicitur, quod civitas habebat duodecim fundamenta, et erant ibi scripta nomina duodecim Apostolorum, Apoc. 21. Et inde est, quod dicitur Ecclesia Apostolica. Et exinde est, quod ad significandam firmitatem hujus Ecclesiae, B. Petrus dictus est vertex: secundo apparet firmitas domus, si conquassata non potest destrui. Ecclesia autem nunquam potuit destrui, ac persecutoribus, immo persecutionibus, durantibus, magis crevit, et qui eam persequebantur, et quos ipsa persequebatur, deficiebant. Matth. 21: *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*: nec ab erroribus, immo quanto magis errores supervenerunt, tanto magis veritas manifestata est II. Tim. 3: *homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient* etc. nec a tentationibus daemonum: ecclesia enim est sicut turris, ad quam fugit quicumque pugnat contra diabolum. Prov. 18: *turris fortissima nomen domini* Et ideo diabolus principaliter conatur ad destructionem ejus, sed non praevalet, quia Dominus dixit Matth. 16: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; quasi dicat: *bellabunt adversum te, sed non praevalebunt.* Et inde est, quod sola Ecclesia Petri, in cujus partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad praedicandum, semper fuit firma in fide. Et cum in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, Ecclesia tamen Petri et fide viget, et ab erroribus munda est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro, Luc. 22: *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* »

Hactenus D. Thomas. Atque omnia heic nitide perstringi, quae fusiorem Ecclesiae tractatum respicere possunt, liquido quisque videat; nempe ultra allatam Ecclesiae definitionem quae inde eruere licet, nec non quatuor notas distincte traditas, effluit quoque illud in primis necessario tenendum, neminem extra hanc Ecclesiam posse salvari, contra ac Jurieu, aliique Protestantium effutiunt, videlicet satis esse in quibusdam assertis articulis fundamentalibus convenire, ut salus acquiratur, quod adeo insanum vel ipsi-

met Pyrronistae immo et incredulo Baylio visum est, ut an. MDCVIIIC. opus in eum ediderit sub titulo *Janua Coelorum reserata cunctis religionibus a cel. viro Petro Jurieu.* Atque inde in Deismum, et incredulitatem facile prolapsus fuit. Nuperis annis P. Gravina opus nimis Haereticorum, ac Paganorum saluti favens vulgavit, cui pro virili obstitit Gerdinius Noster.

Pariter inde sequitur, Ecclesiam visibilem esse debere, unde confoditur Protestantium insanum effugium, quo ut se a novitatis injuria liberent, Ecclesiam non raro obscurationem passam fuisse contendunt, seque in tot omnium temporum reclamantibus contra abusus Ecclesiae praeextitisse gloriantur, cum potius asserti eorum praedecessores, haeretici nempe ipsi, ac novatores, permulta protestantium deliramenta damnarint, jamque vel illud lubet, quod Melancton Augustanam confessionem ad Patriarcham Constantinopolitanum cum Epistola miserit, *sperans fore, ut simplex, et nuda veritas, viri animum amore sui accenderet. Verum ne responsionem quidem accepit,* teste ipsomet Protestante Moshemio *Inst. Hist. Eccl.* qui addit, idipsum postea tentasse Tubingenses Theologos ab an. MDLXXVI. ad MDLXXXI. sed incassum. Sic et Calvinistae sibi prius devincire curarunt Cyrillum Lucari Patriarcham Constantinopolitanum; dum in Germania, Hollandia, et Helvetia diversabatur, ab eoque obtinuerunt an. MDCXXIX. librum sub ejus nomine scriptum, cui titulus *Confessio Orientalis,* ubi infidus Patriarcha Calvinianam haeresim ceu fidem Ecclesiae Graecae vendidabat. Vix autem Orientalibus Episcopis innotuit haec Cyrilli perfidia, eum deposuere, ac morti tradidere, pluraque Concilia anno MDCXXXVIII. MDCXLII. MDCLXXII. etc. illum ceu Novatorem damnarunt, et anathema dixerunt haeresi Calvinianae; ut videre est apud Schelstratem, *Acta Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos,* et Renaudot *Perpetuitè de la Foy,* nec non Assemani *Bibl. Orient.*, Harduini *Collect. Concil.* Bossuet *Hist. des Variations des Eglises Protestantes.* Haud procul ab istis distant Neoterici Novatores, sive dum Ecclesiam ita definiunt cum Quesnello ex prop. 72. 76 in Bulla *Unigenitus* damnatis, ut solus Deus eam cognoscere possit, utpote complectentem omnes Angelos coeli, et omnes electos, ac justos terrae; sive dum quaestubus aerem implent de statu obscurationis Ecclesiae, ut apud ipsum Quesnellum, aliosque, et in Conciliabulo Pistoriensi, ubi legitur *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates*

gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae J. C. Quae propositio eruta ex decreto de gratia ejusdem Concilii, et *haeretica* damnata fuit a Pio VI in Bulla *Auctorem fidei*; quo ex Concilio in § 12 de fide, *variae* damnantur quoque *assertiones complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas* ipsum Concilium *perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis Pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, ex quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia.* Hae vero assertiones in praedicta Bulla declarantur *falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in RR. Pontifices, et Ecclesiam injuriosae, debitae Apostolicis Constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.* Nec satis eis fuit obscurationem praetendere, sed insuper ajunt Pontificem cum majori Episcoporum numero errare posse, veritatemque posse haberi in minori numero, qui etiam auctoritate Ecclesiae non polleat, nec jus habeat ad aliorum fidem sibi captivandam. Tamburini *Analisi di Tertull.* § 48, 39. atque exemplum adducunt Bullae *Unigenitus,* quae etsi ab omnibus Episcopis, quatuor exceptis, fuerit acceptata, totidem veritates in iis CI. propositionibus proscriptas fuisse blasphement, eoque audaciae deventum est, ut librum ediderint *Gesù Cristo sotto l'anatema,* ubi asseritur ipsum J. C. in praefata Bulla fuisse damnatum. Cumque Pontifices omnes a Clemente XI ad Pium VII eam Bullam cum omnibus Ecclesiae Episcopis ratam habuerint, sequitur illos totam Ecclesiam perlongo hoc tempore errasse, suaque visibilitate spoliatam fuisse, unde dicere fas erit, justitiae solem ad illuminandam Ultrajectensem eorum Ecclesiam transiisse, de quibus legatur Mozzi *Storia della Chiesa d' Utrecht.*

Arcto etiam foedere dictis a D. Thoma conjunguntur, quae Theologi afferunt pro Ecclesiae perennitate, seu indefectibilitate, infallibili magisterio: et pariter circa haec duo, ineluctabilia Ecclesiae privilegia praefati hostes usurpant, et nedum Protestantes, sed et Jansenistae praesentem Ecclesiam ceu Babilonem traducunt; sicque Ab. Sancyranus haud veritus fuit asserere, *hodiernam Ecclesiam esse adulteram, et meretricem, ideoque Deum illam repulisse, et velle aliam ei substituere, quae in fide sit mansura,* ut refert Abelly in Vita S. Vincentii a Paulo, qui tales a Sancyrano blasphemias horrescens audivit. Contra autem

Magisterium infallibile Ecclesiae, illud Protestantes ceu jugum respuunt, et examen privatum volunt, dum interim se illuminatos adeo credant, ut eis contradicere sit nefas, immo et dissentientes judicant, et damnant, in Synodo Dordracena a Calvinistis coacta pro definienda quaestione de praedestinatione, ac gratia, Arminianos inter, et Gomaristas, et in Synodo Aleciensi, quae jussit ut omnes Dordracensis Decreti juramento sese obstringerent, et Arminianorum sententiam execrarentur: Jansenistae etiam pari incedunt gressu, scilicet spiritui privato favent; etenim ut diximus obscuratam, ac senectute laborantem Ecclesiam clamitant, simulque contendunt in paucis posse veritatem reperiri, etsi auctoritate destitutis, adeoque liberum, immo et necessarium unicuique erit investigare, quanam ex parte stet veritas, praemisso utique examine, et quidem privata auctoritate: si enim qui publico Magisterii jure fulgent, Pontifex nempe, et Episcopi, errare queunt, jam sublata auctoritatis via est. Idcirco ad appellandum parati, decisiones, quas oderunt, negligunt, et subsannant, et decisiones omnes actualis Ecclesiae ad trutinam veteris doctrinae expendendas esse contendunt, et continuo venerabilis antiquitatis studium inculcant, quasi praesens Ecclesia diverso agatur Spiritu, quam saeculis retroactis. In citata *Analisi di Tertull.* aliisque id furfuris operibus, virus omne patescit. Adisis Bolgeni, Cuccagni, aliosque praelaudatos.

Circa Ecclesiae infallibilitatem, alia a Jansenianis promota quaestio est; utrum nempe sit infallibilis circa *facta dogmatica*, quo nomine ab eis invecto, intelligere debemus Ecclesiae Judicium de doctrina in aliquo libro contenta. Acriter hoc denegarunt occasione damnationis libri Jansenii, cui titulus *Augustinus*, eo quod quinque famosas Propositiones includat; quod ipsi inficiantur: atque deinceps majori semper furore Ecclesiam quoad hujusmodi facta errare posse contendunt, ut si fieri possit tot suae sectae propositionum damnationem eludant. At hoc sibi jus Ecclesia omni aevo retinuit, ut ex actis etiam Conciliorum contra Arium, Nestorium, Eutychen, tria Capitula, omnibusque sive errorum, sive Auctorum, librorumque proscriptionibus frequentissimis elucet, utque rei natura ipsa expostulat; si enim, ut adversarii consentire debent, Ecclesia infallibilis est in factis seu decisionibus spectantibus ad Sacrae Scripturae libros, et veram Traditionem, idipsum erit utique dicendum circa alia facta ad dogma pertinentia, non enim Ecclesiae officium est solummodo ut electa pascua ovibus proponat,

sed etiam ut arceat noxia, ideoque ea tuto cognoscat. Et mirum! hos blaterones pervicaces adeo, et nugaces simul se prodere, ut dum id juris Ecclesiae adimunt, hoc sibi tenacissime arripiant, et infanda prorsus audacia, ac perfidia Bullas, decreta, scripta sibi obversantia, erroris criminentur, rejiciant, et anathematizent. Plura apud Ludovici *Ecclesia Rom. infallibilis in factorum definitionibus*, Pey *de l'autorité des deux puissances*, Bolgeni *Fatti dommatici*, cum *Appendice*, et *Economia della fede Cristiana*, Havelange *Ecclesiae infallibilitas in factis dogmaticis demonstrata, et a Jansenianorum impugnationibus vindicata*.

Quae hactenus de Ecclesia indicavimus enucleatius inspicere est apud Melitonem Sardensem *de Ecclesia*, S. Cyprianum *de unitate Ecclesiae*, S. Augustinum, *de unitate Ecclesiae*, in *psalmo contra partem Donati*, S. Optatum Milevitanum, *de schismate Donastitarum* l. 3., S. Athanasium, *Epistola ad solitariam vitam agentes*, S. Ambrosium, *Epistola ad Valentinianum*. S. Cyrillum Hierosol. Cathechesi 18 *de Ecclesia*, Hugonem Victorinum, *de unitate Ecclesiae*, Petrum Cluniacensem *de Auctoritate Ecclesiae*, et *libro adversus errores Petri de Bruis*, Bellarminum *in Controv.* Bozium *de signis Eccles. Dei*, Nicole, *praejudices legitimes contre les Calvinistes*, Bossuet *Instructions sur les promesses de J. C. a l'Eglise*, aliaque plurima contra heterodoxos, Thomassinum *de unitate Ecclesiae*, Tournely, *de Ecclesia Christi*, Gerbert *Ecclesia militans*, Fabricius *Salutaris lux Evangelii*, Valsecchi *La verità della Chiesa Cattolica Romana*, cum aliis permultis, speciatim contra neotericos Ecclesiae osores.

Nonnihil heic nectendum videtur de Conciliis. Vel ipso Apostolorum tempore coacta ab iis Concilia cognoscimus, et septem enumerat Annatus in suo Apparatu, cujusmodi illud pro electione Matthiae, aliud pro septem diaconorum electione etc. tantaque auctoritas vel primis hisce exemplis Conciliis competit, ut decreta ceu divinitus nobis data, sint amplectenda: sic in Concilio pro abrogandis legalibus, Apostoli ajunt, *visum est Spiritui Sancto et nobis*; jamque certum est Concilia legitime convocata, ac repraesentata, asphaliae praerogativa potiri, siquidem tunc simul confertur traditio singularum Ecclesiarum; quarum testes Episcopi sunt, nec nova compinguntur dogmata; sed de vigente fide testimonium solemne, ac commune emittitur. Perbelle S. Thomas in q. 56 hujusce partis, nec non in 2. 2 q. 1, a. 10 in hanc rem scribit, tum quod nova haud fingantur dogmata, tum quod

penes Pontificem sit jus convocandi, regendique per se, vel suos Legatos Concilia, tum etiam quod ab illo ad haec appellare, vel reclamare sit piaculum, ut Martinus V in Concilio Constantiensi statuit. Hinc tenendum, ea vere dici, et esse Concilia infallibilia, quae a Pontifice universalem convocationem, et confirmationem obtinuere, vel etiam si hoc ultimum tantum adsit. Concilia, quae pro oecumenicis ac idcirco infallibilibus habentur, sunt, Nicaenum I an. CCCXXV. pro divinitate Jesu Christi contra Arianos; secundum est Constantinopolitanum an. CCCLXXXI. pro divinitate Spiritus Sancti contra Macedonium; tertium est Ephesinum an. CDXXXI. pro unica in Christo persona contra Nestorium; quartum est Chalcedonense an. CDLI. pro duabus in Christo naturis, contra Eutichen, ac Dioscorum; quintum Constantinopolitanum alterum, an. DLIII. contra Origenis scripta, et pro trium Capitulorum dissidiis; sextum Constantinopolitanum III. an. DCLXXXI. pro duplici voluntate in Christo contra Monothelitas; septimum Nicaenum II. pro sacris imaginibus contra Iconomachos; octavum est Constantinopolitanum IV. an. DCCCLXIX contra Photium Patriarcham intrusum Constantinopolis; nonum est Lateranense I. an. MCXXII. pro pace inter Sacerdotium et Imperium, nec non expeditione Terrae Sanctae; decimum Lateranense II. an. MCXXXIX. pro uniendis Graecis, et contra Petrobusianos, ac Manichaeos, Arnaldum a Brixia; undecimum Lateran. IV. an. MCLXXIX pro Ecclesiae disciplina, et contra Catharos, Waldenses, Albigenses; duodecimum Lateranense IV. an. MCCXV. pro recuperanda Terra Sancta, et contra Albigenses, Almaricum, et Joachimum Ab.; decimum, tertium Lugdunense I. an. MCCXLV. contra Fridericum Imp. et pro Cruciata; decimum quartum est Lugdunense II. an. MCCLXXIV. pro Graecis uniendis; decimum quintum Viennense an. MCCCXI. pro abolendis Templariis, et contra Dulcinistas, Begardos, Beguinos; decimum sextum ponunt quidam Pisanum an. MCDIX. pro tollendo magno schismate inter Gregorium XII, et Benedictum XIII, at quia effectu caruit, decimum sextum communius dicitur Constantiense an. MCDXIV. pro eodem schismate truncando, damnandisque Wicleffitis, et Hussitis; decimum septimum Basileense, an. MCDXXXI. pro fidelium reformatione, et contra Bohemorum haereses et tentamina; duodevigesimum Florentinum an. MCDXXXVIII. contra errores Graecorum, et pro iis Ecclesiae Catholicae uniendis; undevigesimum Lateranense V. an. MDXII. contra Conciliabolum Pisanum, pro morum reformatione, et in Tur-

cas expeditione. Vigesimum vero Tridentinum an. MDXLV. contra Lutherum, Calvinum, aliosque Novatores, et pro morum correctione in Clericis ac Laicis. Notatu dignum est quod non ex integro admitti debeant Concilia Constantiense, ac Basileense, in utroque enim reprobanda est cum Ecclesia Romana omnium Matre, et Magistra, totaque antiquitate, recens doctrina de superioritate Concilii quoad Papam; quae quae solum eo schismatis tempore enata est, ac tunc dumtaxat poterat intelligi, non vero quando adest legitimus Petri successor, qui utpote caput mystici corporis Ecclesiae divino jure omnibus praeest membris, sive collectim, sive divisim consideratis; immo nec concilium dixeris si Pontifici adversetur: Ecclesia enim absque capite intelligi nequit. Notandum quod post Sess. XXV. Concilium Basileense desinit esse oecumenicum, quando nempe Papa alio Concilium transtulit, Ferrariam primo, dein Florentiam.

De Conciliis plura scitu necessaria, ac utilia accersiri possunt ex ipsis decretis, seu actis Conciliorum, sicut etiam ex eorum ad Pontifices epistolis, istorumque responsis. Conciliares res etiam acquiri queunt ex antiquis Canonum Collectoribus, ubi de Ecclesiastico jure memoratis; nec non ex Jacobatio, Turrecremata, Cajetano, Bellarmino, Crabbeo, Surio, Binio, Sirmondo, sed speciatim Labbaeo, et Cossartio cum additionibus Mansi, ut in *amplissima Collectione Conciliorum*, typis Zatta Venetiis cusa, Carranza et Cabassutius, Epitomen Conciliorum exibuere, et speciatim Richard Analysis Conciliorum generalium et Particularium, Speciales de Conciliis tractatus elaborati fuere a Raconisio, Lupi, Serry, ac nuper a Petro Ballerino in opere inscripto; *de potestate Ecclesiastica Summorum Pontificum, et Conciliorum Generalium*, ubi luculentissime ostendit novitatem ac absurditatem praetensae superioritatis Concilii ad Papam, a Gallis invectae in Constantiensi Concilio, quae adprobata haud fuit a Martino V; aliaque id genus permulta.

Quia augustius Ecclesiae Tribunal est Concilium, praesertim si oecumenicum, hinc omni aevo pseudo-Catholici, ac acerbius haeterodoxi in illud invehere cordi quammaxime habuerunt, ut damnationis fulmen declinarent. Iis par Tamburinus talia jactat principia, ut licet ipse a Papa ad Concilium appellet, dum sua proscribi opera videt, Conciliorum simul vim eludere satagit, dum eorum convocatio. forma, libertas suffragii, unanimitas fere physica, confirmatio, ab ipso subdole ac subversive statuuntur.

Duo saltem notanda hanc circa rem; nempe damnatio

propositionis 85 in Bulla *Auctorem fidei*, de nationali Concilio convocando, ubi ex Libell. memor. pro Convoc. Concil. Nation., legitur ***Propositio annuntians, qualemcumque cognitionem Ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem Concilii nationalis unam esse ex viis Canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem: sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortae, per nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei, et morum quaestionibus, Nationali Concilio competeret: schismatica, haeretica.*** Aliud vero est de restrictione privilegii inerrantiae in rebus ad fidem, et mores pertinentibus, ad solos Episcopos, siquidem Apostolis tantum Christus ea verba dixit *ecce ego vobiscum sum, euntes docete, sicut misit me Pater ego mitto vos, rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*, etc. Atque constanti traditione accepimus solam Episcoporum auctoritatem in definiendis rebus fidei consideratam fuisse, et si qui alii Conciliis praesertim interfuere, nonnisi ex singulari concessione id obtinuit. Mirum hac etiam in re, quot turbas excitarint Protestantes et Janseniani: ii quidem Democratiae similem Ecclesiam spectantes, ac privato spiritui devoti, unicuique jus, si sibi constent, concedere debent ad ea, quae sunt fidei determinanda, quod et absurdum, et a facto alienum omnino deprehenditur, jamque per suos Pastores populum erudiunt, et, velint nolint, auctoritatis viam, quam ut se ab Ecclesia expedirent, tantopere execrabantur, in praxi sequuntur et ipsi. Janseniani vero, qui spectrum aliquod hiaerarchiae in Ecclesia admittunt, in judices fidei, vel ipsos Parochos, ac simplices presbyteros, immo et universum populum, seu totam Ecclesiam cum Pastoribus insolidum, V. *Analisi*, adsciscunt. Jam Jac. Boileau, sub nomine Claudii Fonteii an. MDCLXXVI. librum dedit *de antiquo jure Presbyterorum*, at multo magis hoc assertum ab iis fuit postquam se a Pontificibus Summis, et Episcopis plenissime damnari noverunt, ut saltem a Pastoribus secundi ordinis sic nuncupatis, immo et aliis fulcimentum possent nancisci: et novissime an. MDCCLXXXVI. vidimus eos numero ducentos quadraginta sex in Pistoriensi conciliabulo hoc asserto jure admissos fuisse, deque gravissimis fidei rebus judicasse, et solemniter ***parochi aliive Sacerdotes in Synodo congregati, pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere***

jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto, quae propositio, ordine decima, in Bulla Auctorem fidei censoria virgula notatur, ceu *falsa, temeraria, Ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.* Huc tendunt plerique tractatus de praetensa divina Parochorum institutione. Legatur Lupi, *de Parochis ante annum Christi millesimum, dissertationes tres;* Zaccaria *Le dottrine del preteso secolo illuminato XVIII intorno la Gerarchia;* Feudalio *de Episcoporum potestate in paraeciis dividendis diatriba,* Fontana *difesa dell' Episcopato contro le moderne pretensioni di alcuni parrochi, che può servire di risposta a molte Operette uscite in questi ultimi tempi.*

Ast tempus jam est, ut ad Summi Pontificis auctoritatem considerandam accedamus, et quamvis ex praejacta D. Thomae illustratione super articulum Symboli de S. Ecclesia Catholica nonnihil in fine de Romano Pontifice dicatur, prout etiam in ipsa Summa deinceps, lubet ex libro contra Gentiles c. 76 quaedam desumere, quae utpote hierarchiam Ecclesiae respicientia, tum mox relatis Catholicorum principiis contra adversarios colophonem addere poterunt, tum enucleatius Supremi Ecclesiae Antistitis praerogativas indicare valebunt. Capitis titulus est, *de Episcopali dignitate, et quod in ea unus sit summus.*

Ait itaque: « Quia omnium ordinum collatio cum quodam Sacramento perficitur, Sacramenta vero Ecclesiae sunt per aliquos ministros Ecclesiae dispensanda; ideo necesse est aliquam superiorem potestatem esse in Ecclesia alicujus altioris ministerii; quae ordinis Sacramentum dispenset, et haec est Episcopalis potestas, quae etsi quantum quidem ad consecrationem Corporis Christi non excedat Sacerdotis potestatem, excedit tamen eam in his, quae pertinent ad fideles. Nam et ipsa Sacerdotalis potestas ex Episcopali derivatur, et quidquid arduum circa populum fidelem est agendum Episcopis reservatur, quorum authoritate etiam Sacerdotes possunt hoc, quod eis agendum committitur. »

« Unde et in his quae Sacerdotes agunt, utuntur rebus per Episcopum consecratis, ut in Eucharistiae consecratione utuntur consecratis per Episcopum calice, altari, et pallis, sic igitur manifestum est, quod summa potestas regiminis fidelis populi, ad Episcopalem pertinet dignitatem. »

« Manifestum est autem, quod quamvis populi distinguantur per diversas diaeceses, et civitates, tamen sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christianum.

Sicut igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiae, requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput: ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiae caput. »

« Item: Ad unitatem Ecclesiae requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea, quae fidei sunt, contingit quaestiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiae conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiae praesit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiae in necessariis non deficit, quam dilexit, et pro ea Sanguinem suum fudit, cum et de Synagoga dicatur per Dominum: *quid ultra debui facere vineae meae, et non feci?* Isa. 5. Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiae praesit. »

» Adhuc. Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem Reges regnant, et legum conditores justa decernunt; optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim, et unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. Manifestum est igitur, regimen Ecclesiae sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiae praesit. »

« Amplius: Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur: unde et Jo. in Apoc. vidit Jerusalem descendentem de caelo: et Moysi dictum est, quod faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum. In triumphanti autem Ecclesia unus praesidet: qui etiam praesidet in toto universo, scilicet Deus. Dicitur enim Apoc. 22. ipsi populus ejus erunt, et ipse eum eis erit eorum Deus. Ergo et in Ecclesia militante, unus est qui praesidet universis. »

» Hinc est quod Oseae I. dicitur: *congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibi caput unum*; et Dominus dicit Jo. 16: *fiet unum Ovile, et unus Pastor*. Si quis autem dicat, quod unum caput, et unus Pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae Sponsus: non insufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit. Ipse enim est, qui baptizat: ipse est qui peccata remittit: ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur: et tamen, quia corpora-

liter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est, quod Petro dixit ante ascensionem: *pasce oves meas*, Jo. ult. et ante passionem: *tu iterum conversus, confirma fratres tuos*, Lucae 22; et ei soli promisit: *tibi dabo claves regni coelorum*, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiae unitatem. »

« Non potest autem dici, quod etsi Petro hanc dignitatem dederit, per unum tamen ad alios non derivetur. Manifestum est enim, quod Christus Ecclesiam sic instituit, ut esset usque ad finem saeculi duratura; secundum illud Isa. 9: *super solium David, et super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et justitia, amodo et usque in sempiternum:* manifestum est igitur, quod ita illos qui tunc erant, in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiae, usque ad finem saeculi: praesertim cum ipse dicat Matth. ult: *ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem saeculi:* »

Per hoc autem excluditur quorumdam praesumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, et subjectione Petri, successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiae Pastorem non recognoscentes.

Absolutissimi tractatus de Rom. Pontifice normam profecto tribuit Angelicus in relato capite, eum nempe ceu unitatis Centrum, Caput Monarchicum, et Magistrum universae Ecclesiae infallibilem agnoscit, cui proinde competit jus in ipsa Concilia; idipsum quoque in Summa ostendit p. 1, q. 36, a. 2, et p. 2, q. 1, a. 10, et latius id aliaque prosequitur, in Opusculo ad Urbanum Pp. IV. *contra errores Graecorum*; jamque *de Summi Pontificis auctoritate quaestiones omnes D. Thom. in unum collectas,* dedit Card. a Turrecremata, unus ex Patribus Basilieensis Concilii.

Attamen quae sapientissime D. Thomas de Summo Pontifice asserit, etsi divinis fulta oraculis, perennique Ecclesiae praxi, nullo non tempore hostes perpessa sunt, sive qui maluerunt ejus magisterium deserere, ut suis erroribus indulgerent, cujusmodi haeretici omnes, sive qui directe ejus prerogativas impetu quodam vesano laedere sunt conati, et in hunc censum referri debet e. gr. Schisma Graecorum sub Photio Patriarcha Constantinopolitano Saeculo IX. incoe-

ptum, et sub Michaele Cerulario Saeculo XI. consummatum, ex ambitione utique, et invidia trasferendi Primatum senioris Romae, ad novam Urbem Constantinopolim; Wicleffus vero asserebat, Papam non esse proximum et immediatum Christi Vicarium, quam propositionem Constantiense Concilium damnavit; adhuc furentius Lutherani aliique id genus pseudoreformatores in Romanum Pontificem sunt debacchati, eumque ut Antichristum repraesentarunt; ineunte autem Saec. XVII. Edmundus Richerus Doctor Sorbonicus quatuor propositionibus pluries damnatis ajebat, jurisdictionem proprie competere Ecclesiae, et Romanum Pontificem, et Episcopos nonnisi ejus ministros esse; legatur Weith; quae sententia etiam in reges terribilis, renovata fuit in Pistoriensi Synodo, legiturque in Bulla *Auctorem fidei*, prop. III. ex decreto de fide §. 8, his verbis: ***Propositio quae statuit R. Pontificem esse caput ministeriale; sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput pollet in universa Ecclesia: haeretica.*** Familiare quoque hisce Neotericis est, Pontificem relate ad Episcopos considerare ut primum inter pares, et solo honoris primatu praeditum, non jurisdictionis, vel equivocationibus fictas cumulare laudes, et interim auctoritatem adimere; jus novum a decretalibus maxime Isidori Mercatoris invectum, Episcopi injurium deflere, cum potius contrarium sit dicendum, utque recens Ferrari dilucide ostendit, in *Isidoro Mercatore difeso*, et alii, ut in §. IV notavimus.

Futilem quoque recoquunt distinctionem edis, a sedente, tum ut, ni illam, hunc saltem errori obnoxium libere traducant, tum impudenter ejus definitiones examini subjiciant, ac ni placeant, repellant, ut praesertim in Bulla *Unigenitus*, aliisque ad Jansenismum pertinentibus, utque se tutentur, ad Concilium appellant, et verbis non modo, sed et scriptis, sive indirecte sub nomine Curiae Romanae, sive directe sub nomine Papae, petulanter in Patrem, Pastorem, Magistrum, centrum unitatis, Ecclesiae fundamentum insurgunt. Utinam in orco ipso periissent antequam inde deducerentur tenebrosi ii libri, quibus vel haec ultima tempora scatebant. e. gr. Febronius *de statu Ecclesiae*, contra quem Zaccaria speciatim in *Antifebronio*, eodemque *vendicato*, nec non Enodius Faventinus in Febronium, et Anonymus in Opere *Romani Pontificis summa auctoritas, jus, et praestantia*, et alii non pauci; Tamburini *vera idea della S. Sede* praeter alia

infensissima opera, cui Bolgeni in *Esame* etc. aliisque libris strenue occurrit; Eybel in libro *Quid est Papa?* merito a Pio VI. proscripto in Brevi, *super soliditate*, quod a calumniis impactis insuperabiliter vindicavit Card. Gerdil effusissima eruditionis, ac ratiocinii vi, in opere *confutazione di due libelli sopra il Breve « super soliditate »* pluraque id genus affinia. E Patribus, qui speciatim Romani Pontificis primatum fortiter asseruere, sese offert Hieronymus Epist. 15. ac 16. ad Damasum Pp. S. Jo. Chrysostomus Epistola ad Innocentium, ac istius responsa; B. Theodoritus Episcopus Cyri, epistola ad Leonem Papam, ac hujus responsum; idem Leo in 4 Sermonibus de *sua assumptione* ad Petri Cathedram, S. Bernardus in libris *de consideratione* ad Eugenium III. Et quoniam S. Cypriani praesertim verbis solent quidam male feriati abuti, ideo Marchetti egregio consilio, in libro *esercitazioni Cipriániche*, et Recco in *dissertazione epistolare*, controversiam de rebaptizandis haereticis a S. Cypriano contra Stephanum Papam agitatam expendunt, et in *Appendice* praedictus Marchetti varia ejusdem Patris loca apparenter inter se pugnantia conciliat, ac idipsum de aliis quoque Patribus praestitere e recentioribus praesertim Card. Veronesi, Ballerini *de vi, ac ratione primatus*, Bolgeni *l' Episcopato*, ejusque *difesa*, Cappellari Sodalis noster, *il Trionfo della S. Sede e della Chiesa.* Adde alios pene innumeros sive qui data opera, sive qui incidenter hanc spartam adornarunt, omnimodasque solvunt objectiones, praesertim post exortum Jansenismum; coronidis autem loco, memoratu dignus est Nuzzi, qui occasione Coronationis Pii VII. Venetiis an. MDCCC. *Acclamationes ex monumentis Ecclesiasticis collegit*, et ejusdem Pontificis solemni ingressu in S. Ecclesiam Lateranensem, die 22 Nov. MDCCCI. ei obtulit *Saeculorum testimonia selecta CCC, de credentium communione cum Cathedra B. Petri.*

Lubet cum Concilio Gen. Florentino rem paucis conficere, ubi Latina et Graeca Ecclesia ita sanxere:

Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum, Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam gestis oecumenicorum Conciliorum in sacris canonibus continetur.

At Gallicanae potissimum Ecclesiae scuto se protegere solent Novatores, apertis buccis proclamantes declarationem an. MDCLXXXII in 4 articulis comprehensam, quibus praesertim superioritas Concilii asseritur, et consensus Ecclesiae, ut Rom. Pontificis judicium irrefragabile; sit, nec non famosam ejusdem declarationis defensionem, Bossueti nomine insignitam. Caeterum circa declarationem ipsam hoc notandum maxime, est eam tempore dissidiorum ob jus regaliae etc., inter Regem et Pontificem factam fuisse. et non ab omnibus Episcopis Galliarum, qui erant circiter CXXX. sed solum a XXXIV. deputatis a Clero ob negotia temporalia, et *mandato regio* congregatis, ut ipsi ajunt in titulo suae declarationis. Dein observandum, ipsum Regem Ludovicum XIV. nec non designatos ab eo in Episcopos qui Comitiis ipsis interfuerant, de praedicta declaratione summe doluisse, ut ex missis ad Innocentium X litteris patet, hic enim Pontifex eodem anno, sicut et Alexander VIII an. MDCXC. predicta acta improbarunt, ac irrita declararunt. Omneshi actus Cleri, Regis, et Pontificum extant in l. 4 de Regali Sacerdotio Card. Sfondrati. Quod vero maxime contra neotericos facit, illud est scilicet, nil iis in articulis actum de fide fuisse, sed particulares tantum opiniones fuisse propositas, ut Libertates, Gallicanas sic dictas a quovis novitatum timore tutarentur, de quibus vide Charlas Theol. Gall., et novissime Pey, qui in additamentis suo Operi, *de l'autorité des deux Puissances*, harum libertatum abusum, et ipsius declarationis irregularitatem, licet Gallicanus, pro patulo demonstrant. Immo tantum abest ut in praxi Gallicana Ecclesia ceu aris, et focis praefatis inhaereat articulis, ut potius cum Auctore Operis *discours sur les preuves des verites de la Foi*, in tantae Ecclesiae decus repetere fas sit summos Pontifices infallibilitatem, de facto, seu in praxi, in Gallia obtinere; jamque unicuique innotescit quot obsequii, et adhaesionis testimoniis Galliarum Praesules post praefatam declarationem gliscentes errores, eorum praecipue novatorum, qui Gallicanae declarationis fulcro sese roborari autumabant, ad R. Pontificem detulerunt, et prolatas ab eo damnationes prompte, firmiterque tenuerunt; illudque in primis nobile, et novo corruscanti exemplo praedictam extollens Ecclesiam, quod ipsimet in teterrimis illius Cleri optime meriti vicissitudinibus inspeximus, de immobili nempe, ac indivulsa ejus unione cum Romano Pontifice, eum consulendo, rescripta exequendo, spretis rerum vitaeque jacturis, non cunctabunde universalis Ecclesiae consensum expectando,

sed illico, et ea, qua Patrem, et Caput decet obedientia, ut etiam novissime abdicando, vix hoc restituendae in Gallia religionis profuturum a Pii VII litteris intellexerunt. Inspicito Barruel, *Histoire du Clerge pendant la revolution*, alioque nupero opere circa praefatam abdicationem, d'Auribeau *Momoire peur servir a l'histoire de la persecution Françoise*, et *Testimonianze del Clero di Francia* tom. 16. Oh utinam gloriosis hisce vestigiis, insistant quotquot Gallicanas opiniones de Pontifice sequi confingunt! At potius post praefatae declarationis Epocham, Novatores in praeceps sunt lapsi, immo et nova Eccleriasticae Jurisprudentiae principia jecta fuere, ut apud Fleury, Van-Espen, Curalt, Eybel etc. quibus principum jura plus aequo extenduntur, Ecclesiae disciplina laeditur, auctoritas infirmatur, et primatus Romani Pontificis ad chimaeram redigitur, censurae spernuntur, reservationes irridentur, nisi Ecclesiae universalis, et proprii principis assensus accesserit, ut vel inspicere est in thesibus Papae propugnatis, quae referuntur in *Giornale Ecclestico di Roma* an. MDCCVC. n. 48, in plurimis ejus farinae asseclis, nec non in Pistoriensis Conciliabuli damnatis propositionibus 3, usque ad 8, et 11; immo addendum quod subdit Pius VI. post damnationem 85 prop. illius Synodi, videlicet: *nec silentio praetereunda insignis ea fraudis plena Synodi temeritas, quae pridem improbatam ab Apostolica Sede Conventus Gallicani declarationem an. MDCLXXXII. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum de fide inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica, et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se Nobis offert de Synodo, quam praedecessoribus nostris fuerit de Comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae Ecclesiae non levis injuria irrogatur, quam dignam Synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum Decretum.*

Caeterum quid de hujuscemodi declaratione Cleri Gallicani sentiri debeat, et quomodo a primaeva discrepet traditione ac doctrina ipsiusmet Ecclesiae, incipiendo a Sancto Irenaeo Lugdunensi Episcopo, et comprehenso etiam D. Thoma Aquinate, qui Parisiis publice docuit, specialiter innotscat, ex ipsis Gallicanis, nempe ex Duval Soc. Sorb. in opere *de Suprem. Rom. Pont.* Serry Doct. Paris. et

Prof. Patavin. Petitdidier, pluribus Episcopis in citata Collectione *Testimonianze* etc. praesertim Episcopo Vinciensi Pisany in t. 10 ejus Collectionis, qui plura congerunt, quae primitivam traditionem illustrant hac super re apud Gallos, aeque ac apud caeteras catholicas nationes, et e quibus non declaratio eorum quatuor articulorum, sed contrarium potius liquido eruitur, maxime si cum reliquarum Ecclesiarum, Romanae principaliter omnium Matris, et Magistrae, traditione conferantur; immo et Gersonius ipse celebris coriphaeus pro superioritate Concilii, qui Constantiensi Concilio interfuit, ac plurimum egit, *de Potest. Eccles.* p. 110. consid. 10. *de autorit. Papae* p. 184, consid. 8, *de statibus Ecclesiae* consid. 1. Papam Monarcham esse in Ecclesia ostendit, et Thelogica facultas Parisiensis ceu haereticas damnavit 4 propositiones Marci Antonii de Dominis, quibus non alium agnoscebat Monarcham in Ecclesia praeter Christum, et Romanum Pontificem aliis Episcopis in regiminis, et jurisdictionis principatu aequiparabat.

Multo magis novitas opinionum Gallicanarum luce meridiana clarior est, si legantur veteres recentioresque aliarum nationum Theologi, e. gr. Card. Turrecremata, qui ipsimet Basileensi Concilio adeo Novatoribus accepto interfuit, S. Antoninus, Jo. Capistranus, qui circa ea tempora floruere, recentius vero Bellarminus *Controv.* Coefeteau *Monarchia Ecclesiae Cathol.* Lupus *Disertat. de Synod.* Ven. Palafox *delle Eccellenze di S. Pietro* 1. 3. Soardi *de Suprema Romani Pontificis auctoritate, hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina* 1. 2. Ballerini *de vi, ac ratione Primatus* ac *de Potestate Ecclesiastica.* Anonym. ex Ord. Min. Conv. *Romani Pontificis summa auctoritas* etc. Zaccaria in *Anti-Febronio,* Cuccagni *Regolamento sulla podestà del Rom. Pontefice,* Muzzarelli Opusc. *Primato e infallibilità del Papa* in Opere il *buon uso della Logica in materia di religione;* Auctor, *infallibilità del Papa provata col quarto artic. della dichiar. MDCLXXXII.* Veith *de primatu, ea infallibil.*, Foerlich *Quis est Petrus, seu qualis Petri primatus,* Capellari in citat. Opere *Trionfo della S. Sede, e della Chiesa,* Gerdil *esame de' motivi della opposizione fatta da M. Vescovo di Noli alla pubblicazione della Bolla Auctorem fidei* p. 2. praeter alios permultos speciatim in methodicis Theologiae institutionibus, qui omnes solidae omnigenaeque eruditionis vi, primatus jura divina, veritatesque Gallicanis sic dictis principiis opposita, ceu ab ipso primatu manantes, et perpetua Ecclesiae praxi observatas,

demonstrant atque tuentur, recentiorumque nugas, vel fraudes, omnia demum objecta penitus dispellunt. Immo Moshemius, aliique Protestantes harumce opinionum declarationem acriter carpunt, et Catolicae Ecclesiae principiis reluctantem ostendunt.

Quod vero famosam attinet praefatae Cleri Gallicani declarationis defensionem, quae sub Bossueti nomine circumfertur, quaeque avide a neotericis conquisita legitur, extollitur, jam ex dictis, Catholico cuilibet debitam suspicionem, indignationemque incutere debet, idque longe fortius si oculi in eam injiciantur, cum et styli acerbitate, et propositionum audacia, et factorum, textuum, ac ratiocinii adulteratione laboret, quod prae aliis absolutissime monstravit Card. Orsi in Opere *de irreformabili Rom. Pont. in definiendis fidei controveriiis judicio; de Rom. Pont. in Synodos aecumenicas, et earum canones, potestate,* quo praedictam defensionem tanta insectatur ac conterit efficacia, ut nemo adhuc ei respondere valuerit; immo et praefatos Auctores totidem ejusdem defensionis confutatores invictos dixerit. Licet autem idipsum satis esse cuique debeat, ut praefatum opus B ssueto de Ecclesia optime merito, et in Romanum Pontificem scriptis, ac gestis obsequentissimo, prorsus abjudicetur, illud accedit, quod opus istiusmodi nonnisi 26 an. post obitum Cl. Bossueti prodiit, et quidem non in Gallia, sed Luxemburgi et Basileae an. MDCCXXX, iis nempe locis, quibus Jansenistica secta liberius furere poterat; ipse Bossuetus 21 an. vixit post declarationem Cleri Gallicani MDCLXXXII. et quamvis dicatur quod Regis jussu defensionem aliquam praenotatae declarationis Cleri reapse conscripserit, ut fertur, concludendum videtur, eum postea poenituisse, cum haud eam ediderit, immo potius deinde aliis operibus Rom. Pontifici haud injurius fuerit. Adsunt et suspiciones quod haec defensio vel immutata, vel depravata fuerit; nec enim usquam inspici potuit authographum Bossueti; sed ejus Nepos Bossuetus Episcopus Trecensis, vel alius quivis editor hujus operis, tantum asserit in fronte, *summo studio ad fidem authographi codicis exactum;* aliunde constat hunc, Juniorem Bossuetum Jansenianis studiis addictum extitisse. Adde ipsiusmet Bossueti laudes, quae utique in ore proprio sordescunt, et tamen in prefatione, in p. 1, l. 3, c. 12, et 13. ejusdem operis ei tribuuntur; adde styli discrimen, apertissimas contradictiones cum reliquis genuinis tanti Viri scriptis, nec non ipsiusmet defensionis superius indicatos indignissimos defectus, atque rem eo deduci com-

peries, quod, vel germanum Bossueti Episcopi Meldensis opus non existimes, vel Bossueto assentationis, puerilitatis, falsificationis, contradictionis, impudentiae, temeritatis labe infecto, tribuas; quod nefas de tanto Viro asserere. Consulito speciatim March. Maffei *Osservazioni letterarie* t. 5. praedictos Soardi, et Foerlich; qui etiam sub nomine Sigismundi Sigl. scripsit. *An Bossuetus sit auctor libri defensionis Gallicanae Declarationis* Ingolstadii MDCCXIC; Dictionarium Theol. Bergerii Romae italice versum art. Bossuet, Monitum editoris Veneti Operum Bossueti an. MDCCCI. praemissum tomo indicis.

CAPUT SECUNDUM

DE DEO

§. I.

De existentia Dei, ejusque simplicitate, bonitate, ac unitate.

Ex iis, quae D. Thomas in tractatu de Deo exponit, quatuor elucidanda assumimus, videlicet in §. I. agemus de Dei existentia, simplicitate, bonitate, unitateque; in secunda, de ejus visione, in tertia, de ejus scientia, in quarto, de voluntate, ubi de praedestinatione, ac reprobatione.

Qui dei existentiam denegant, Athei audiunt, ex graeca voce, *sine Deo;* istiusmodi autem, varie accipiuntur, si enim existentiam Dei tantum ignorant, sunt *negativi*, si directe eam impugnent, *positivi*, ac *systematici*, si eam in dubium revocant, *sceptici*, aut *pyrrhonici;* qui vero oretenus Deum fatentur, factis autem negant, *practici* nuncupantur. Primis generis atheos extitisse unquam, vix credi potest, nisi ex enormi hebetudine, ac socordia mentis; alterius vero generis, praesertim e veteribus, permulti saltem in suspicionem veniunt, de quibus Thomasius in *Historia Atheismi*, Bruckerus *Historia critica Philosophiae*, et alii e Protestantibus inspici queunt, sed caute, dum facile atheismi notam, qua alios eximunt, Catholicis nonnullis inurunt, ut etiam Baelius, ac Harduinus impudenter faciunt: contra quos Wolfius, et Hasaeus. Famosus ex Atheis fuit Vaninus Tolosae, ob impietatem crematus an. MDCXIX. Spinoza quoque ad Atheos refertur, qui totum mundum esse Deum blasphemat, nec non Matherialistae passim, omnia casu, ac fortuito materiae concursu, ac nexu compacta effutientes. Tertii quoque generis, nullos ratione compotes dixeris, utique vero, immo et permultos ex quarto; ex corruptione enim cordis, praevaricatio mentis procedit, juxta illud Psal. *dixit insipiens in corde suo: non est Deus; corrupti, et abominabiles facti*

sunt in studiis suis etc. Atheismi aliquo pacto revinci queunt, qui prave de Deo sentiunt, utpote qui tali pacto ad atheismum iter aperiant, cujusmodi e. g. polytheistae, ac idololatrae, seu plurium Deorum cultores; atque hinc II. ad Ephes. 12. legitur: *eratis illo tempore sine Christo, et sine Deo,* hi nempe unitatem, ac simplicitatem, ac summum regimen universale Dei sustollentes, ipsum quoque Deum, si consequentor sibi constent, abnegent necesse est; de iis infra. Insuper Epicurei, qui talia proferunt, e quibus vel nullus, vel inutilis consequitur Deus. Epicuri vindicias egit Gassendus, et alii, pravaque epicureismi dogmata, a distortis Epicuri effatis elicita fuisse, ostendit.

Hos omnes Angelicus confodit, in tractatu de Deo, praecipue in q 2, 3, 6, 13; et quidem in q. 2, a. 3 illos, qui Dei existentiam demonstrari posse inficiantur, cujusmodi Gabriel Biel, Petrus Alliacensis, Faustus Socinus, Jacobus Zabarella, e nuperis Voltairius, et alii, qui existentiam Dei non ratiocinatione, sed fide, nobis constare posse autumant; idipsum praestat in l. 1. *contra Gentiles*, c. 12, et quaest. 10 *de veritate*, a. 12, in artic. 4. autem praesentis quaestionis, demonstrationes pro Dei existentia affert; prout in l. 1 contra Gentes, c. 13, et Opusc. III. et Quaest. de verit. q. 1, etc. Mirari vero subit, istiusmodi solidissimas demonstrationes ab Herminier minus probari, sicut et a Wolfio, cui tantum arridet ea ex rerum contingentia desumpta, dum omni aevo efficacissimae sunt agnitae, a primi subselli theologis, atque philosophis, ac proin Langius merito in Wolfium insurgit; et generatim bonis omnibus displicuit imprudens nonnullorum studium, vel ambitus novas pro Dei existentia demonstrationes veteribus anteferendi, unde non levis Atheis occasio emersit, has in invidiam, atque contemptum recipiendi; nil enim fidei nogotio magis officit, quam debilium argumentorum prolatio, negletis validioribus, ut D. Thomas, in Quodlibeto III. art. ult. et alibi inculcat, jamque nemini non nota dissidia, exorta occasione duplicis demonstrationis a Cartesio invectae; prima ex idea entis perfectissimi, quam necessario includere realem Dei existentiam ajebat, in 3. Medit. Methaph.; secunda, ex idea clara, ac distincta Dei, quae ejus existentiam actualem includit eo nixius principio, nempe quidquid in idea clara, ac distincta alicujus rei continetur, id de ea re affirmandum est. Inter alios, Le Grand, Rovellus, Jacquier Cartesio adhaeserunt. Gassendus vero, Leibnitius, Huetius, Billuart, ac alii, ei sunt adversati. Quinque argumenta a D. Thoma prolata, juxta recentiorum di-

stinctionem, duplicis generis sunt, *metaphysica*, nempe quatuor prima, et *physicum* est quintum; addi solet *morale*, desumptum scilicet ex hominum universali consensu, qui ut ait S. Doctor in l. 2., c. 34. contra Gentiles, infallibilem astruit auctoritatem, eumque non minori eruditionis, quam soliditatis merito urserunt prae aliis Huetius, Lamy, Bergier, Valsecchi, ac alii quotquot pro Dei existentia calamum strinxerunt, ut olim Plato, Plutarchus. Cicero, et plures Ecclesiae Patres, ceu invictum, ac fulgidissimum attulerunt, licet Bayle, ejusque furfuris homines, hujusce argumenti vim enervare studuerint, objectis praesertim quorumdam populorum atheismi vestigiis; at Jo. Ludovicus Fabricius, in *Apologetico pro genere humano, contra calumniam atheismi*, Eduardus Stillingfleet in *Orig. Sacr.* plurimique alii, praefati argumenti robur omnino vindicarunt, sicut generatim et alias Atheorum insanias dispulerunt, sive de inserta populi idea Dei a legum latoribus, aut pavore, ac rerum naturalium ignorantia. Quidam, cum Witasse, ideam Dei nobis ingenitam dixerunt, quod refellitur a D. Thoma in a. 1 ubi ostendit Deum non esse per se notum, unde caeteris felicius rem attigere, qui Dei ideam caeteroquin ex ipsa naturali ratiocinatione prodeuntem, omnibus diffusam gentibus ostendunt, ex primaeva traditione, Adae aliisque Patriarchis facta, cui consentit et sacrificiorum universalis usus, sive pro colendo, sive pro placando Deo, nec non alii religiosi ritus, qui ab unica purissima traditione dimanare noscuntur, quae in electo populo incorrupta permansit, et apud alios, temporum, ac passionum vorticibus turbata invenitur. Legatur Grotius, Huetius, Guerin, de Rocher etc. Pariter consequens est, in absurdi praeceps ruere Bayle, dum Atheorum Rempublicam possibilem ostendere satagit; qui enim fieri potest, ut sublato actionum Judice, ac supremo indeclinabili Domino, leges vim obtineant intrinsecam, ac permanentem? Ansaldi, et Polini jus omne a primaeva traditione deducunt. Videsis Apologistas, jurisque naturalis tractatores, legum vim a Deo repetentes. Jamque sat est, vel brevi oculos conjicere in tot effrenia scelerum monstra, grassante atheismi, ac incredulitatis lue perpetrata, ut quid ab hisce magistris, eorumque systemate sperandum sit abunde patescat. De existentia Dei, praeter eos, qui Revelationis vindicias egerunt, quosque antecedenti Appendicis capite complexi sumus, enumerandi veniunt, praeter veteres Philosophos, quos Grotius in lib. de jure belli, et pacis recenset, Ecclesiae Patres, S. Dionysius Areop. *de divinis nomin.*, *de*

Mystica Theol. S. Hegesippus *de Monarchia Dei*, S. Irenaeus *de Monarchia*, Prudentius Clemens *in Apotheosi*, Nicaetas *de fide in unum Deum*, S. Jo. Chrysost. homilia *de incomprehensibili natura Dei contra Anomaeos*, S. Augustinus *de Civ. Dei, de Trinitate, de essentia divinitatis*, S. Hieronymus *de decem mysticis nominibas Dei*, S. Jo-Damascenus l. 1. *de fide Ortodoxa;* Theologi, ac Philosophi passim, et ex aliis Apologistis, praeter supra relatos, Fenelon Arch. Cameracensis, Campanella, Fibius, Malebranche, quem a censuris a Lochio impactis, liberat Gerdil; Moniglia, Cerboni, Abadie, ac plurimi alii. Jo. Albert. Fabric. in t. 8. Bibl. Graec. tradit *Scriptores recentiores adversus Atheos*. Reticendum vero non est, argumentum a physico rerum ordine desumptum, mirifice a nonnullis expolitum, uberrimeque ampliatum fuisse, sic Derham, in *Theologie Phisique*, Lesser *Theologie des insectes*. Niewenty *l' existence du Dieu demonstrée par les maraveilles la naturae*, Sturm *Considerations* etc. Jamque nova in dies microscopica, et chemica inventa, praefati argumenti vim non sine ingenti animi admiratione, ac jucundissima suasione corroborant. Pariter notandum cum Jacquier Metaph. p. 1. sect. 2. c. 1. a. 1. *crassissimum, atque impiissimum esse recentiorum quorumdum errorem, qui spatium fingunt, tamquam essentiae divinae attributum. Hanc impietatem Newtono imponunt aliqui, verum hanc calumniam depellere non videtur difficile. Newtonus quidem, spatium infinitum appellat,* veluti sensorium Dei. *At cum in scholio generali principiorum, enumeratis Dei attributis, Deum* spatium non esse *concludat, hoc figurato loquendi modo nihil aliud intelligere videtur Newtonus, nisi Deo omnia esse praesentia, ita ut per suam immensitatem sit ubique praesens.*

Quoad simplicitatem Dei, quae in q. 3. demonstratur ab Angelico, ex art. 1. quo evincitur Deum non esse corporeum, tum Sadducaei damnantur, qui non *esse resurrectionem, neque Angelos, neque Spiritum* ajebant, Act. 13. 8; adeoque et Deum corporeum arbitrabantur, tum Valentiniani simili errore detenti ex S. Epiphanio Haer. 23. Manichaei, Deum esse lumen quoddam aeternum effutientes, nec non Anthropomorphitae, sic dicti quia Deum humana praeditum forma existimabant ex v. 26. c. 1. Gen. *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Hos Origenis tempore jam extitisse constat, et *Audaeani*, vel *Audiani* postea sunt appellati, ex Audaeo Syro hanc sectam propalante saeculo IV. S. Thomas doctrinam hisce erroribus

oppositam, tuetur etiam in l. 1. contra Gentes, c. 20, et l. 2, c. 3, ac l. 4. c. 11. et opusc. 3. c. 16. et 17. Theophil. Alex. et S. Cyrillus Alex. et communiter Theologi omnes, in hos stylum acuerunt. Quia vero non desunt, et prae aliis Beausobre, Mosheim, qui hunc errorem Scripturae, ac Patrum testimoniis comprobari effutiunt, quasi Deum corporeum admittant, ideo temeritas ista merito apud recentiores de Deo tractatores vapulat, ostenditurque ideo corporis vocabulum, aut aliud simile, a priscis usurpari quoad Deum, Angelos, et animas, quia per hoc realis eorum existentia designabatur, quae aliunde, aliis indiciis evidentissimis a corporis substantia omnino diversa ostendebatur. Consule praesertim Gerdil, *De l' immaterialité de l' ame, contre M. Loche p.* 8.

In reliquis autem ejusdem quaest. 3. articulis, praesertim in 8. profligatur absurdissimum, impiissimumque Spinozae ex Judaeo Christiani, dein Athei systema *Pantheismus* nuncupatum, quo nempe saec. XVII. ex male compacta substantiae definitione, et corollariis, Deum cum universo confundit, cui veteres nonnulli praeiverunt, quemque non pauci secuti sunt, materialistae praesertim, omnia materiae, aut corporeae naturae vi attribuentes, ut auctor *Systeme de la nature.* In l. 1. contra Gentes c. 17, 25. et 26. ac aliis locis, istiusmodi deliramenta confutat; fuse autem, et directe Moniglia, *contro i Materialisti*, Luchi, *Dissert. advers. Spinozam*, Bergier, *exame du materialisme*, Valsecchi, *fondamenti della Religione*, Gerdil, *introduzione allo studio della Religione*, ac praefato in opere contra Lockium, nec non, *dell' esistenza di Dio, e della immaterialità delle nature intelligenti*, et *sur l' incompatibilité des principes de des Descartes, et de Spinoza*, ubi definitiones substantiae ab hoc usurpatas, haud e Cartesio haustas ostendit.

In quaest. 6. disserit S. Thomas de bonitate Dei, hocque sub titulo veterum haereticorum, recentiorumque errores contra Dei bonitatem censoria notari possunt virgula, sed, juxta ordinem a S. Doctore secutum, id praestabitur ubi de unitate Dei, ejusque providentia in hoc capite, et ubi de malo.

Quaest. 8. expendit immensitatem Dei, ejusque existentiam in rebus, et huic adversantur quotquot Deum corporeum admittunt, qui nec immensus, nec ubique praesens idcirco supponi posset, de quibus legatur S. Aug. contra *Epistolam fundamenti*, c. 16; hisque affines sunt ii ex Judaeis, qui Deum in Templo contineri fabulabantur, nec

non Samaritani, juxta S. Hilarium l. 2. *de Trin.*; dein qui plures admittebant Deos, quos ubique simul existere repugnat; e recentioribus vero, Calviniani plures Deum essentia, ac substantia ubique esse inficiantur, Sociniani, et Arminiani ceu rem dubiam traducunt, eamque parvi aestimat momenti, Beausobrius. In oppositum irrupere scopulum Lutherani quidam, *Ubiquistae* nuncupati, asserentes in Eucharistia Jesum Christum adesse ob suam divinitatem ubique praesentem, et expresse ubiquitatem corporis Jesu Christi ceu dogma definitum fuit a sex Lutheranis doctoribus an. MDLXXVII. variam autem praesetulit apud Lutheri asseclas fortunam, opinio isthaec, prout solet in iis, qui omnia clare in solis Sacris Scripturis se inspicere autumant, et interim, justo Dei judicio, vertiginis spiritu hac illac feruntur.

In quaest. 11. De unitate Dei, *Polytheistae*, sive plurium Deorum cultores damnantur, ut in l. contra Gentes c. 42. speciatim innuit S. Doctor; hujusmodi porro Gentiles sunt, idololatrae, et longa suorum numinum genealogia, non minus ridicula et absurda, quam propudiosis proclivis criminibus. Herbertus, Hume, et alii idololatriam ceu primitivam hominum religionem venditare conantur, cum potius a corruptione purioris primaevae traditionis, profectam fuisse pateat, nedum ex SS. Litteris, sed ex ratione ipsa, quae, ut antea dictum est ad q. 1. Dei existentiam ineluctabiliter evincit, jamque vel ipsa alicujus supremi numinis, e. gr. Jovis, idea, quae alte omnium hominum mentibus insedit, satis primae, ac indelebilis unius Dei traditionis lineamenta concludit. Unde, in rebus maximis, ac subitis, non plures, sed unus, natura ipsa impellente in votis, implorabatur Deus, idcirco Tertullianus *animam conditione Christianam*, seu unius Deus cultricem, appellat. Attamen in idololatriae praxi, quae varia diis munia propria attribuebat, ac ceu distinctos invocabat, haec unius Dei professio haud servabatur, nec omnia ad supremi numinis nutum referri posse videtur, ut Beausobre in Historia Manichaeismi oggerit; legaturque hac de re S. Aug de Civ. Dei, le Land *Nouveau demonstr. Evang.* cum aliis, Praefatis Polytheistis *Dualistae* accenseri quoque possunt, ii nempe, qui duos ponebant Deos, unum boni causam, alterum mali, ac ita sensisse veteres magni nominis philosophos, docet Plutarchus in l. *de Iside, et Osiride*, atque utinam hic error Ecclesiae pacem non turbarit! sed saec. II. Cerdo, cui Marcion, et Apelles inhaesere, et saec. III. Manetes, eum amplexi, unde Cerdoniani, Marcionitae, Apellitae, ac Manichaei prodiere, deque hisce prae-

sertim, plurima doloris exititit occasio, utpote latius grassantibus; quos Severiani, Albigenses, ac nuperi quidam increduli sunt secuti, cujusmodi Bayle; eorum vero partes assumit Beausobre, in *Hist. du Manich.* quem P. Georgius *in Alphabeto Tibetano*, immo et Moshemius Lutheranus *in Comment. de rebus Christ.* merito refellunt. Extat Tertulliani l. contra Marcionem; legatur quoque Eusebius l. IV. *hist. Eccl.* S. Aug. *de Haeres. c.* 22. et in pluribus contra Manichaeos scriptis; Theodor. l. 1. *Haereticarum fabul.* c. 24. et S. Epiphanius Haer. 41. *Tritheitae* quoque, Duce Joanne Philopono Alexandrino, ut quidam volunt, saec. IV. dogmati unitatis Dei contradicunt, tres divinas personas, ceu tres distinctos Deos considerantes. Multo magis hujusce erroris postulandi, simulque risu excipiendi adsunt Valentiniani saec. II. triginta Deos, sive Eonas, delira genealogia effingentes.

§ II.

De Visione Dei.

Sat ex iis, quae in q. 12. circa modum, quo Deus a nobis cognoscitur, elucet Deum *intuitive* posse videri, seu per ejus essentiam; et quidem a Beatis ex art. 1. nec per naturalia tantum, a. 4. sed addito lumine gloriae, a. 5. et perfectius ab uno quam ab alio, a. 6. quin Deus comprehendi possit, exclusa nempe visione comprehensiva, quae solius Dei est, a. 7. etc. insuper ipsam intuitivam visionem essentiae Dei in hac vita non obtineri, a. 11. nisi ex privilegio miraculoso, utique *abstractivam*, qua per rationem naturalem Deum cognoscere possumus ut causam ex effectibus, a. 12. ut in antecessum ostensum est. Haec etiam in 1. 2. q. 5. et supp. q. 92. 93. et C. Gentes l. 3. Contra istiusmodi veritates, saeculo IV. Anomaei, agmen ducentibus Aetio, et Eunomio, tum intuitive, cum comprehensive se Deum inspicere blasphemarunt; saec. IV. Beguini, ac Beguardi se naturaliter beatos, Deumque clare videntes jactitabant.

In primos S. Epiphanius *Haer.* 66. S. Gregorius Nyssenus l. 11. *adversus Eunomium*, S. Jo. Chrys. in Hom. *de incomprehensibili*, et alii, insurrexerunt; alii vero, spe-

ciatim in Concilio oecumenico Viennensi, sub Clemente V. an. MCCCXI. damnati fuere. Dei comprehensivam visionem, animae Christi tribuit Augustinus Favaroni, et hic error proscriptus fuit in Conc. Basil. an. MCDXXXV. Item Trinitarii, Almaricus, Arnaldistae confodiuntur, ajentes divinam essentiam nec ab hominibus, nec ab Angelis videri, aut fore videndam, contra quos facit Concilium Florent. ubi de Purgatorio: *definimus illorum animas* etc. nec non Lateranense, extra de Summa Trin. cap. *Damnamus*... His affinis fuit Palama, saeculo XIV. unde Palamitae, qui in luce quadam Dei gloriam collocabant, quam se videre dicebant. Rejicitur quoque Jovinianus, saeculo IV. aequalem in Beatis gloriam astruens, in quem Concilium Telense, et S. Hieronymus egerunt.

Hoc ipso errore tabescunt Lutherani, ponentes justitiam nostram esse illam Christi nobis imputatam, quae cum una, eademque sit, facit aeque justos, parisque gloriae participes. Addi possent nonnulla de regno millenario, seu fabulosa dilatione beatificae visionis per mille annos post judicium, at de his in supplemento tertiae partis quaest. 69. ubi et ab invidia, et calumniis liberatur Jo. XXII. ab aliquibus impactis, ceu huic dilatae gloriae errori, faverit. Nec praetermittenda P. Malebranchii opinio est, quod nos omnia, et nunc videamus in Deo, omnium idearum nostrarum fonte, l. 3. *de inquirenda veritate*; quem vellicant Arnaldus, Bruckerus, aliique, eumque tuetur Gerdil, longa dissertatione.

§. III.

De scientia Dei.

In q. 14. luculentissime de Dei scientia disserit S. Doctor, atque utinam quae inibi leguntur candide, et sine curiosis disquisitionibus, a Theologis retenta constanter fuissent! tunc enim ea non deflerentur dissidia, quae grandi, ac multiplici animorum aestu, non de scientia Dei tantum, sed et de annexis praedestinationis, ac gratiae tractatibus, efferbuere. In art. 8. S. Thomas exponit quomodo Deus sit causa rerum, idque et l. 1. contra *Gentes* c. 61. et 62. et *de veritate* q. 11. art. autem 9. scientiam *visionis*, seu

futurorum, et scientiam *simplicis intelligentiae*, seu mere possibilium, distinguit, et a. 13. scientiam Dei circa futura contingentia exponit, eamque ab aeternitate Deo praesentem ostendit, quin rerum contingentia, vel humana tollatur libertas. E veteribus, Cicero hanc rerum contingentium cognitionem Deo ademit, ratus humanam libertatem sublatam iri, *atque ita, dum vult homines facere liberos, fecit sacrilegos*, ut ait S. Aug. *de Civ. Dei* l. 4. c. 9. Et haereticus Marcion, huic errori adstipulabatur, et Adae peccatum minime a Deo praevisum volebat, ut liquet ex l. 2. c. 5. Tertulliani contra Marcionem. Sociniani vero, nonnisi conjecturalem de futuris contingentibus notionem Deo attribuunt; Huss, infallibilem futurorum praescientiam in Deo fatetur, sed quae libertatem tollat. Dimissis erroribus hisce, indicanda nunc venit celebris ea quaestio, Catholicos inter exorta, *de scientia media*, occasione operis a Ludovico Molina e Soc. Jesu editi Ulyssiponae, an. MDXIIC. *Concordia liberi arbitrii, cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione, te reprobatione ad nonnullos primae partis Divi Thomae articulos*, ubi suum hac de re systema patefacit. Ipse in praefato libro q. 14. a. 13. *scientiam* ita explicat: *ut sit illa, qua Deus ex altissima, et inscrutabili cujusque liberi arbitrii comprehensione, in sua essentia intuitus est, quid pro sui innata libertate, si in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, reipsa facere oppositum. Media* nuncupatur haec scientia utpote quae sit media inter illam visionis, ac illam simplicis intelligentiae, et hac Deus futura libera contingentia, etiam in ordine supernaturali, non praevidet in suo decreto, prout, omnibus consentientibus, praevidet ea, quae necessario eventura sunt, sed in libera voluntate creaturarum. Istiusmodi scientia media antiquitus *futurorum exploratrix* audiebat, jamque permulta istius exempla, ac testimonia in patrocinium congerit Molina, cum suis asseclis, apud quos idcirco gratia ad bonum supernaturale operandum divinitus homini elargita, haud ex se, seu ab intrinseco efficax ponitur, sed ex voluntatis consensu, semper tamen sub adjutorio gratiae, et sic gratia sufficiens tantum admittitur; pariter quoad praedestinationem, hanc utique in ordine collationem gratiae ex Dei decreto, et ante praevisa merita derivant, sed in ordine ad gloriae consecutionem post praevisa merita, asserunt. Quammaxime vero iis succensent Thomistae, qui futura libera quaelibet, etiam ordinis supernaturalis,

Deum videre ajunt in suo praedeterminante decreto, in decreto absoluto quidem ex parte subjecti, seu certae futuritionis, conditionato autem ex parte objecti, cujus nempe effectus suspenditur, donec liberae, sed certo futurae executionis conditio ab hominis voluntate accedat, utque ait P. Lemos: *Panoplia gratiae*: *Dei scientia libera, est factiva illius objecti, quod videt, et intuetur, factiva inquam totius entitatis, et bonitatis, quam intuetur in rebus; permissiva autem, respectu malitiae, quam etiam intuetur in malis.* Augustinenses quoque, Molinianis adversantur: gratiam ab intrinseco efficacem cum Thomistis volunt, hoc tamen inter hos discrimine, quod Augustinenses praedeterminationem thomisticam non amplectantur, quodque non in omnibus actibus gratiam ex se efficacem requirant, sed in aliquibus cum Molinianis sufficientem admittunt, cujusmodi ad perseverandum in statu naturae innocentis, et in actibus naturali honestate praeditis, in statu naturae lapsae, prout Noris, Berti, aliique e recentioribus Augustinensibus; ac per consequens in hisce casibus, juxta istos, Deus hujusmodi actus praevidet non in suo decreto, vel gratiae suae efficacia, ut semper contendunt Thomistae, sed in voluntatis assensu, ac proin tunc scientia media locum habet. Mirum, quot turbae in Molinae systema vel primo ejus ortu fuerint excitatae, adeo ut celebris congregatio *de Auxiliis divinae gratiae*, fuerit Romae indicta a Clemente VIII. an. MDIIIC. quae duravit usque ad an. MDCVII. quo Paulus V. acerrimae quaestionis, quae Thomistas inter, ac Jesuitas summis utrinque Theologis digladiantibus decennio efferbuerat, *dixit, se opportuno tempore promulgaturum declarationem, ac determinationem suam*, omnino interdicens, ne partes invicem censura ulla se notarent. Hinc audacter, ac pessime se gerunt, qui Molinismum ad Semipelagianismum referre contendunt, jamque vel ipse Natalis ab Alexandro e Praedicatorum Familia, in *Hist. Eccl.* Saec. V. c. 3. hanc diluit criminationem, prout etiam Bossuetus Meldensis Episcopus in *Avertissement* 1. *et* 2. *aux Protestantes*. contra Jurieu ostendit, et nuper P. Albertini Ord. Praed. de Deo uno Acroasi XIII. idque eo magis postquam Suarez, Vasquez, et alii Jesuitae Molinianum systema mitigarunt, ajentes Deum scientia media praevidere quid pro variis gratiae suae gradibus homines in relativis voluntatis circumstantiis acturi sint, et gratuito decreto quibusdam hominibus *congruas* eorum dispositionibus gratias elargiri, quarum efficaciam secuturam praenovit, latius, ac mitius in Catholicorum scholis

non paucis, nec obscuris licite obtinuit, ut e Parisiensi Academia, Tournely, quem vellicat Billuart, aliique. Sed multo injuriosius Thomistarum theoria Calvinismi postulatur a nonnullis, utpote quae illibatis Doctoris Angelici innixa principiis, Summorumque Pontificum encomiis elata, de qua legantur ex Praed. Ord. P. de Lemos, ac Serry in Hist. Congreg. de Auxiliis, Billuart, Gazzaniga; et Bossuet *in tractatu de libero arbitrio, c.* 3. praeter innumeros, qui varia haec systemata protulere sive contentiose, sive historice, ut passim Theologi Scholastici. Nonnihil iterum in sequentibus, et ubi de Gratia in altero volumine. Plura apud ipsum D. Thomam in l. 1. *contra Gentiles* a c. 44. ad 71. in quaest. *disp. de veritate, quodl.* 12. E Patribus vero, Aug. l. 5. *de Civ. Dei* et l. 12. q. 1. in l. de 83 quaest., q. 17. S. Jo. Damascenus, *de fide Orthod.* l. 2. c. 30. *Parall.* l. 1. 2. aliique Patres, ubi de Deo, et gratia.

§. IV.

De voluntate Dei.

Quae in praecedenti §. adumbrata sunt, multo clarius leguntur in adductis ex q. 19. de voluntate Dei textibus. Enixe vero exoptandum est, ut speciatim indelebili quodam caractere theologorum menti insculpta maneant, quae ex art. 6, et 8 excerpta traduntur, tum quoad voluntatem Dei circa omnium salutem, cum quoad humanae libertatis conservationem, sub voluntate Dei: qui enim homines liberos creavit, tales quoque conservare potest, quin et creando, et conservando, suum amittat dominium, idque inter mysteria humanum captum longe excedentia referre fas est, justoque, Dei judicio, heu! nimium contingere videmus, ut rudiores, sed simul humiliores animae christianae, circa id genus sublimia uberius, ac utilius sentiant, quam ii, qui intemperanti disquisitione in se ipsis experiuntur, quod Dominus, Prov. 25. 27. comminatur *scrutator majestatis opprimetur a gloria.* In hac etiam quaestione discrepant praelaudatae Scholae. Thomistae enim cum Augustinensibus inquiunt, Deum velle antecedenter generaliter omnium hominum salutem, praestitis vere sufficientibus auxiliis, sed consequenter

et efficaciter aliquos dumtaxat salvare, reliquis perire permissis. Molinistae vero, antecedenti voluntate Deum sufficientem omnibus hominibus gratiam ajunt impendere, quos Deus scientia media praevidet hac gratia bene usuros, voluntate consequente eos praedestinat; quos male, reprobat. Omnes autem, generalem asserunt antecedentem voluntatem, excepto Vasquez, et quibusdam aliis, eam ad parvulos sine baptismo morientes non extendentibus. Probe autem adnotanda sunt in hanc rem Haereticorum errata, cujusmodi Pelagianorum, dicentium Deum velle utique, et aequaliter omnes homines salvari, dummodo tamen ipsi velint, et quidem naturae viribus, ab hisque parum recessere Semipelagiani; contra hos vero, D. Augustinus praesertim agit, ostenditque juxta Catholicam fidem in Enchiridio, et aliis operibus in eos exaratis, non solos praedestinatos Deum velle salvari, antecedenti nempe voluntate, sed solos praedestinatos consequenti voluntate velle reapse salvari, exemplum maxime urgens parvulorum, qui non omnes salvi fiunt, quin ab eorum voluntate hoc discrimen dependeat, cujus evidentissimae veritatis vim ut declinarent Pelagiani, peccatum originale, parvulorumque sine baptismo decedentium damnationem, sunt inficiati, Semipelagiani vero, eos ex parvulis salvari, damnarive somniarunt, quorum bona, vel mala merita, si ad adultam servarentur aetatem, Deus praenovit; quae omnia effugia idem S. Doctor solide, ac copiose retundit. Semipelagianis Arminiani jungendi sunt, qui saec. XVII. a Calvinianis recesserunt, et ab his in Synodo Dordracena an. MDCXVIII. damnati fuere: Calvinistae porro in oppositum ruunt praeceps, siquidem Deum solos praedestinatos salvare velle ajunt, praedestinatianos secuti, de quibus infra. Calvinianae affinis est Jansenii doctrina, non aliam salvandi homines voluntatem post Adae lapsum in Deo ponens, nisi velleitatem, seu complacentiam, absque gratiae auxilio vere sufficienti, De Gr. Christi, c. 20. l. 3. atque excerpta ex eo fuit propositio, ordine quinta, in famosis ejus quinque propositionibus ab Innocentio X. damnatis an. MDCLIII, qua asseritur: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, quae propositio declaratur *falsa, temeraria, scandalosa*, et intellecta eo sensu, ut Christus pro solis praedestinatis mortuus sit, *impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.* Quae de voluntate Dei circa hominum salutem, D. Thomas in a. 6 D. Augustino inhaerens profert, etiam in p. 3, q. 21, a. 4, in 1.

dist. 47. q. 1. a. 1. *de verit.* q. 23. a. 2. et *quodlib.* 11. a. 4. ac. *quodl.* 12. a. 4. *Lect.* 2. in cap. 17 *Joan. in Ep. ad Tim.* agit, e quorum collatione locorum, injusta expungitur calumnia, quasi quaedam durius D. Thomas docuerit, ut videbimus in p. 3. q. 21. a. 4.

Cl. P. Albertini Ord. Praed. extricandis tot errorum, Calvinistarum praesertim, ac Jansenistarum monstris circa Dei voluntatem salvandi homines, aperiendisque tot Patrum testimoniis ab Haereticis inique usurpatis, tomo tertio suarum theologicarum Acroaseon, eam n. 15. de incarnatione, ponit, in qua tria munia, rite distinguit in Christo, *Redemptoris* nempe, *Justificatoris,* ac *Salvatoris,* probatque, in omnium quidem redemptionem Christum sanguinem fudisse suum, omniumque *Redemptorem* reapse existere, cum tanti pretii *sufficientiam* omnibus applicarit, ut a sola *captivitate* liberarentur: quippe ad hanc solam solvendam *captivitatem,* Christi mors erat constituta. Quod autem auxilia spectat, ad *justificandum,* et *roborandum* necessaria, haec in triplici sunt differentia, pro triplici hominum diversitate. Nam pro parvulis qui sine baptismo decedunt, auxilia haec duo *parata* quidem sunt, non *collata;* iique Christum *Redemptorem* tantum habent, non *Justificatorem,* nec *Salvatorem:* forte tamen ejus beneficio ea in aetate moriuntur, qui si diu viverent, deterius damnarentur. Pro adultis autem, qui pereunt, eadem auxilia nedum *parata* sunt, sed etiam magis minusve *collata.* His igitur Christus et *Redemptor* est, et *Justificator* in baptismo; aut, si hoc carent, auxiliantis saltem gratiae alicujus est largitor; siquidem *non est qui se abscondat a calore ejus.* Solis denique fortunatissimis praedestinatis, et *Redemptor* est, et *Justificator,* et *Salvator,* seu *Glorificator.*

§. V.

De scientiae, ac voluntatis divinae consectariis, providentia scilicet, ac praedestinatione.

Ut egregie D. Thomas observat, ad voluntatem divinam pertinet providentia respectu omnium, praedestinatio vero, ac reprobatio, respectu hominum, relate ad vitam aeternam; hinc de his quaedam adjicere praestat, postquam de voluntate in antecedenti §, actum est.

Quotquot mundum casu factum admiserunt, Providentiae Dei osores habentur, cujusmodi Democritus, Epicurus; pariter Stoici, qui vel ipsum Jovem fato subditum volebant, etsi verbis *pronam*, seu providentiam faterentur; insuper qui nonnulla huic subtrahunt Providentiae, ut de Cicerone vidimus, qui liberos hominum actus a Deo prasciri negavit, et ii, qui sola coelestia, universalia tantum, providentia regi divina arbitrabantur. Iis quoque jungendi sunt qui duplex rerum principium volunt, ut boni, malique originem deducant, malum enim a Deo bono, ac provido manare posse inficiantur; quorum agimini se adjunxit e nuperis Bayle, eam priscam objectionem repetens, et ceu insolubile argumentum urgens, quam D. Thomas q. 22. a. 2. arg. 2. sibimet proponit, valideque prosternit. Plura in hac prima parte, ubi de malo q. 48, 49. de gubernatione rerum q. 103. ac fato, q. 116. idem S. Doctor pro Dei providentia tradit, nec non in l. 3. contra Gentes c. 64. et 94. et de verit. q. 9. 5. opusc. 15.

Quoad praedestinationem, quae a D. Aug. definitur l. *de dono persev. c.* 15. *praescientia, et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*, et a D. Thoma q. 23, a. 2. *ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens*, errarunt qui astrorum fatum in homines admittebant, ut Priscilianistae, Manichaei; insuper Basilidiani, Valentiniani, Marcionitae, ponentes Angelos, et homines vel natura bonos, qui idcirco salvantur, vel natura malos, qui damnantur: teste Origene l. 3. *de principiis* c. 1; ipse vero Origenes ajebat, animas antequam corporibus unirentur, fuisse creatas, et ex praecedentis status meritis, vel demeritis, praedestinationem, vel reprobationem incurrisse, ut innuit S. Thomas, q. 23. a. 5. Pelagiani, causam praedestinationis ex recto liberi arbitrii usu ex solis naturae viribus existimabant; Semipelagiani, eos praedestinari docebant, quos aequalibus, ac genericis auxiliis bene usuros, absque perseverantiae dono, Deus praescit; infantibus vero, ut diximus, bona, vel mala opera ab iis facienda, si viverent, esse causam praedestinationis, et reprobationis blasphemabant. S. Augustinus, et Concil. Arausic. 2. hos plectunt; hisque palmas conferunt Arminiani, ut antea observavimus in §. praec. Ambrosius Catharinus asseruit, eximiae sanctitatis viros, ut B. Mariam, Apostolos etc. praedestinatos quidem per efficaciam gratiae adjutoria, reliquos vero minori sanctitate praeditos, non praedestinari, nec efficacibus gratiae auxiliis juvari, sed

communibus auxiliis salutem consequi, quod a Banez manifesta haeresis vocatur, et ab aliquibus mitius explicatur, et a Tournely. D. Augustini, ac D. Thomae discipuli, praedestinationem sive ad gratiam, sive ad gloriam, ante praevisa merita, ex sola Dei misericordia aliquos a damnationis massa liberantis, defendunt. Molina autem, praedestinationem ad gratiam, ante praevisa merita asserit, sed ad gloriam, post praevisa merita, Suarez vero, et alii Congruistae, seu Molinismi mitigatores, praedestinationem gratuitam etiam ad gloriam agnoscunt, dum prius Deum aliquos ad gloriam eligere docent, dein iis congrua auxilia impertiri, quibus eos bene usuros novit ex scientia media, et sic gloriam gratuito praestitutam, ceu mercedem suorum operum consequantur. Videsis D. Thomam l. 4. *contra Gentes;* c. ult. *de verit.* q. 6. 9. Rom. lect. 3. et Ephes. 7. lect. 15. Joan. 15. lect. 3.

In a. 3. ac 5. reprobationis doctrinam tradit S. Doctor, prout etiam in l. 3. c. ult. *contra Gentes*, Quaest. 6. *de Verit.* a. 2. *in Joan.* 15. lect. 13. *in Rom.* c. 1. 8. 9. *in Ephes.* c. 6. Praecipui hac super re errores, occurrunt apud Praedestinatianos, ab absoluta Dei voluntate, tum praedestinationem, quum reprobationem derivantes, horumque primi haberi solent, qui ineunte saec. V. ex male interpretatis D. Augustini libris, de *Praedestinatione, et gratia*, concludebant, nil bona opera reprobos juvare, nil mala opera officere praedestinatis. Legatur S. Prosper in Resp. ad Capit. Gallorum, c. 2. et 3; et Sirmond. Non desunt qui hos olim extitisse haereticos inficientur, at certo constat, Monachos Adrumeti in Africa ex Augustini libris simile quidpiam detorsisse, quos libro *de Correptione, et gratia*, compescuit, et ad bonam frugem revocavit; Lucidius dein, labente, eodem saec. V. eamdem instauravit, vel juxta alios de novo cusit haeresim, quibusdam propositionibus, quas Faustus Rejensis, et Concilia Arelatense, ac Lugdunense damnarunt, et palinodiae adstrictus Lucidius fuit. Noris tamen conatur, Lucidii propositiones benigne exponere in *Hist. Pelag.* c. 15. saec. IX. Gotteschalcus prave de praedestinatione, atque reprobatione sensit, ejusque doctrina sub Rabano Mauro, in Concilio Moguntino, ac sub Hincmaro Rhemensi in Carisiaco, fuit proscripta. Huic pariter nonnulli favent patroni, seu mitius interpretantes, ut Mabillon, Berti, et alii. Apud praelaudatum Sirmond, in Historia Predestinantismi, Deschamps, *de Haeresi Jansen.* plura scitu utilia, ac curiosa reperies. Lutherus, et Calvinus saec. XVI. impie blasphemarunt Deum

absolute aliquos absque peccatorum praevisione, sed sola sua voluntate creare, ut irae, ac odii sui furorem subeant, eosque necessario culpabiles efficiat, ut aeternum ignem sibi mereri videantur; at a tanto horrore declinarunt plurimi; sic Lutherus ipse postea ad Pelagianismum potius deflexit; e Calvinianis vero, diversae prodierunt sectae; quidam alios ad gloriam, ad poenam alios praeordinatos fuisse ajunt ante praevisum Adami lapsum, et hi *Antelapsarii* dicuntur; alii post praevisum Adami lapsum, et *Postlapsarii* audiunt. In synodo eorum Dordracena an. MDCXVIII. alii cum Arminio ad Pelagianismum accessere, alii cum Gomaro tantisper Calvini dogmata propudiosa, et horrida emollierunt, pauci dumtaxat rigide Calvino juncti permansere. Bossuetus in *Hist. Variat. protest.* l. 14. Catholicae Scholae haec omnia execrantur, communiter autem distingui solet reprobatio *negativa*, a *positiva*; negativa importat exclusionem a gloria, vel permissionem ut aliqui propria culpa a gloriae consecutione deficiant; positiva autem, addit poenam aeternam; ac proin de hac contra relatos errores asseritur Deum haud absoluto decreto, absque peccatorum praevisione aliquos reprobare, seu poenis mancipare: quoad negativam vero, non una Theologorum mens est. Augustinenses aliter de Angelis, ac de homine lapso loquuntur; eos inter Angelos reprobatos volunt, quos male usuros gratia sufficienti (quod unice iis necessarium dicunt) praenovit Deus; homines vero lapsos reprobari ex originali peccato. Thomistae et inter se discrepant: quidam ut Alvarez, Bannez, Salmaticenses negativam reprobationem a Dei voluntate desumunt, qui citra injuriam aliquos non praedestinat, qui ideo negative reprobati dicuntur; alii quia praedestinatio ad gloriam a Deo fit post praevisum originale peccatum, ideo cum Augustino considerant negativam reprobationem, ceu *non liberationem* a massa damnationis; alii denique, utramque relatam opinionem colligant dicentes cum de Lamos et Gazzaniga, *reprobationem negativam hominum, factam videri intuitu peccati originalis, non vero actualis praevisi; ita tamen, ut etiam juste a Deo fieri potuisset ex eo solo, quod gratia ad salutem necessaria sit beneficium creaturae rationali prorsus indebitum*, et quidem ad mentem D.D. Augustini, ac Thomae ut ipsi evincunt. Molinistae demum, eos reprobari contendunt, quos sufficienti gratia abusuros praevidit Deus, cumque a noxarum praevisione, tum exclusionem a gloria, cum justam poenae inflictionem repetunt, nonnisi *positivam* reprobationem admittere videntur, ut

Gazzaniga adnotat. Leg. Petavius l. 10. *Theol. dogm.* c. 3. Sardagna e recentioribus, *Theol. Dogmatico Polemica,* t. 5. controv. 5. art. 3. congruistarum systema propugnat, et reprobationem, sive negativam, sive positivam in formalem, et radicalem dividit; formalis quidem, decretum puniendi importat, et in positiva, ac negativa reprobatione, fit ob demerita absolute praevisa, nempe ob solum peccatum originale in parvulis non baptizatis, ob originale, et alia personalia peccata in infidelibus adultis, ob personalia tantum in baptizatis; radicalis autem reprobatio, quum positiva, tum negativa, est decretum dandi aliquibus auxilia finalia praevisa inefficacia, etsi vere sufficientia, seu ponendi aliquos in iis circumstantiis, in quibus eos prave gratia usuros Deus praenoscit, et hujusmodi decretum est ante demerita previsa, et a solo Dei beneplacito, et imperscrutabili judicio proficiscitur.

Caeterum, quae ad praedestinationem, ac reprobationem spectant caute prorsus, temperate, humiliterque tractanda sunt, praecipue vero vestigiis inhaerendo DD. Augustini, et Thomae fidissimi ejus interpretis, qui singulari gloria, ceu divinorum auxiliorum Doctores, jure merito suspiciuntur. Varia D. Thomae loca, ubi de his agit, supra indicavimus. S. Augustinus l. *de praedestinatione Sanctorum,* l. *de dono perseverantiae,* l. *de correptione et gratia, l.* 15. *de Civ. Dei,* et alibi. Accedit S. Prosper in citatis *Respons. ad Gallorum capitula,* sicut *in carmine de ingratis,* S. Fulgentius Ruspensis Ep. l. *de veritate praedestinationis, et gratiae.* S. Bonaventura *in Breviloquio* p. 1. c. 8. et Scholastici passim, nec non tractatores congregationis sopramemoratae *de Divinis Auxiliis,* Lemos, Serry, Meyer etc. pariter Maffei *in Hist. Theologica de gratia,* ac alii pene innumeri. Coronidem huic § imponere mens est, quibusdam Conciliorum canonibus. Arausicanum an. DXXIX. can. 25. ita definiit: *aliquos ad malum divina potestate praedestinatos, non solum non credimus, sed etiam si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Valentinum III. an. DCCCLV. can. 2: *non ex praejudicio Dei aliquem, sed ex merito propriae iniquitatis, credimus condemnari; nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Tridentinum vero sess. 6. can. 17: *si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos*

vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, anathema sit. Praefatae haereses hisce dafinitionibus confodiuntur, et speciatim Praedestinatorum, Lutheri, Calvini, immo contra alios horum pseudo-reformatorum errores addit Tridentinum can. 6. ejusd. sess. *si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit;* ut speciatim evomere non puduit Melancthonem, Lutheri discipulum in *Annot. Epist. ad Rom.* Can. 15: *si quis dixerit hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum, anathema sit,* et can. 16: *si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum, se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Addendum quoque, quod S. Aug. egregie insinuat, circa modum praedicandi populis has veritates: ait itaque in l. *de dono Persev.* c. 22: *quae tamen praedestinatio* (nempe ante previsa merita, ut ipse docet) *non ita populis praedicanda est, ut apud imperitam, vel tardioris intelligentiae multitudinem redargui quodam modo ipsa sua praedicatione videatur; sicut redargui videtur praescientia Dei, quam certe negare non possumus, si dicatur hominibus, sive curratis, sive dormiatis, quod vos praescivit, qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem, vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit.* Quapropter sic admonet praedicandum, ut dicatur: *vos itaque obediendi perseverantiam a Patre luminum sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse a praedestinatione alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine, et bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia: Beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.*

CAPUT TERTIUM

§ I.

De Trinitate generatim.

A Q. 27. ad 31.

In proemio Libri IV *contra Gentiles* tractatum de Trinitate aggrediens iniquit Angelicus: « in praecedentibus de Divinis sermo est habitus secundum quod ad cognitionem Divinorum naturalis ratio per creaturas pervenire potest: imperfecte tamen, et secundum proprii possibilitatem ingenii, ut sic possimus dicere cum Job: Ecce haec ex parte dicta sunt viarum ejus. Restat autem sermo habendus de iis, quae nobis revelata sunt divinitus, ut credenda, excedentia intellectum nostrum.... Erit hic modus servandus, ut ea quae in sermonibus S. Scripturae sunt tradita, quasi principia sumantur: et sic ea quae in sermonibus praedictis occulte nobis traduntur, studeamus utcumque mente capere, a laceratione Infidelium defendendo: ut tamen praesumptio perfecte cognoscendi non adsit. Probanda enim sunt hujusmodi auctoritate S. Scripturae, non antem ratione naturali: sed tamen ostendendum est, quod rationi naturali non sunt opposita: ut ab impugnatione infidelium defendantur, qui etiam modus in principio hujus operis praedeterminatur; » scilicet in l. 1, cap. 5, 6, et 7 quae nosmet retulimus in § 2, cap. 1.

Ineffabili D. O. M. dispensatione, non eodem momento nec tota simul Divinorum revelatio humano generi fuit facta. Sic quoad tres Personas a Moise nonnisi Dei unitas aperte asseritur; a Prophetis illustria de venturi Messiae divinitate testimonia praedicantur, et in novo Testamento, nedum Patris, ac Filii sed et Spiritus S. distinctae Personae completa revelatione promuntur. Hujusce progressivae revelationis causa duplex potest afferri, vel cum Eusebio Caesar. l. 1 *contra Marcel.* c. 1. Basilio, et Isidoro Peleusiota, ne

Judaei in Idololatriam proclives triplicem sibi facerent Deum, vel cum Augustino in *Quaest. Vet. Test.* c. 86. ut quasi per gradus homo adeo imperfectus et miser ad sublimiora evocaretur. Legatur D. Thom. in cit. Proemio Lib. 5 contra Gentiles, ubi luculenter hanc rationem exponit. Etsi vero vetus Testamentum haud perspicue de Trinitate loquatur, nihilo secius etiam ex illo tum verba, tum figurae, ceu legitima argumenta desumi queunt. Sic Berti cum aliis non paucis primum Genesis versiculum pro personarum pluralitate indicanda accipit, contendens hebraicum vocabulum plurale *Elohim*, quod in latina versione legitur *Deus*, ad hoc praecise eo loci adhiberi. Sed multo nitidius pluralitas personarum innuitur in v. 26 ejusd. cap. 1. Genesis; tum Cap. 3, v. 22. Cap. 11, v. 7. Cap. 19, v. 24. In Psal. 2, v. 7 ut explicat etiam D. Thomas in L. IV. *contra Gentes* c. 2, Psal. 32, v. 5, et 6, Psal. 87, v. 27. Psal. 109. Sap. c. 1, v. 7, Cap. 9, v. 17. Isaj. c. 42, v. 1, etc.

Ex novo autem Testamento fulgidissime Trinitas declaratur Matt. c. 3. Mar. c. 1. Luc. c. 3. ubi in baptismate J. C. vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, et Spiritus Sanctus descendit corporali specie sicut columba in ipsum*. Dein quod legitur Matt. 28, 19. Joan. 14, 16, et 15, 26. II ad Cor. 14, 13, sed multo evidentius v. 7, ex Cap. 5. Epist. 1. S. Joan. Utique vexatissimus hic textus a criticis et heterodoxis impugnatus fuit, quasi non authenticus; sed Theologi omnes, recentiores praesertim, eum strenue ab objectis purgant, et vindicant grandi eruditionis et critices effusione. Trinitatis mysterium eruitur quoque ex pluribus iis Scripturae locis, quibus Verbi, ac Spiritus S. Personae comprobantur, ut in N. T. frequens occurrit. His adde perpetuam Ecclesiae fidem, cultum, liturgias, formam Baptismi, et ipsas enormes absurditates, in quas cum Socinianis, aliisque impingere necesse esset, si Scripturae oracula aliter acciperentur, unde horrendum quoque Religionis monstrum Catholicismus evaderet.

Si de Deo, cujus existentia, et attributa vel ipso sanae rationis lumine dignoscuntur, tot errores corruptis hominum mentibus, cordibusque irrepsere, quid mirum, si vel ab ipsis Ecclesiae incunabilis de sublimissimo Trinitatis mysterio cum indociles Christiani, tum audacissimi philosophi iniqua protulerint? Praecipui de Trinitate errores habentur eorum qui non tres personas, sed unicam, et trinominem in Deo agnoverunt, ita videlicet, ut Patris nomen sortiatur quatenus ingenita est et mundum creans, Filii, quatenus incarnata,

Spiritus S. quatenus sanctificans. Sabelliana haec est haeresis, de qua in q. 27, a. 1, sic nuncupata, ex famoso ejus propagatore Sabellio Pentapoli in Phrygia Cyrenaica orto; sed ante illum Praxeas Asiaticus Saec. II, Noetus Ephesinus Saec. III idipsum commenti sunt; immo et his omnibus Simon Magus Saec. I praelusit, teste Christiano Wormio *in Historia Sabell.* c. 2. Sabelliani tum *Monarchici* vel *Unitarii* tum *Patripassiani* insuper dici consueverunt, quia nempe unicam ponebant personam; et quia Patrem cum Filio passum fuisse blasphemabant, ut de Praxea affirmat Tertullianus in Libro adversus eum exarato. Sabellio nonnihil adhaesit Paulus Samosatenus pariter Saec. III; dein Marcellus, Photinus, Priscillianus. Tempore D. Augustini istiusmodi error extinctus erat, eumque *evisceratum* dicit in Tract. IX in Ioan. Ast Saec. XII. Petrus Abailardus, et Gilbertus Porretanus dum Roscelini tritheismum oppugnare studuerunt, in Sabellianismi suspicionem venere, eorumque errores damnationem subiere: Abailardi quidem in Concilio Suessonensi an. MCXXI. Gilberti in Rhemensi an. MCXLVIII. Gilberti meminit S. Thomas q. 28, a. 2. Saec. autem XVI. Michael Servetus Hispanus Trinitatis mysterium tricipitem Cerberum, ac tritheismum esse dixit, combustusque Genevae fuit, ipso urgente Calvino. Dein Gentilis, Ochinus Danaeus, David, Blandrata, Alciatus, Socini fratres, eorumque asseclae perditissimi in Polonia potissimum grassantes trium Personarum distinctionem in Deo negarunt.

Ast et alii recensendi sunt Trinitatis osores, qui de Personarum numero, ac origine prave docuerunt, vel divinam substantiam diviserunt. Theodorus Mopsuestenus, ac Nestorius Saec. V quaternitatem Personarum admiserunt, ut constat ex Constantinopolitano Concilio V Oecumenico an. DLIII. Ariani, et aliae similes factiones, personarum aequalitatem inficiati sunt. Macedoniani, seu Graeci adhaerentes erroribus et schismati Macedonii Patriarchae Costantipolit. Saec. IV. Spiritum S. a Patre tantum, non vero a Filio procedere contendunt; Manichaei, ut dixi in praec. cap. § 1, duo admiserunt principia, seu Deos. Joannes Philoponus Saec. VI vel Jo: Ascasnagus, ut vult Assemanus in T. II. *Bibl. Orient.* tritheismi auctor fuit. Mahometus Saec. VII. binarium numerum in Deo finxit, Dei nempe essentiam, ejusque animam. De his alibi. D. Thomas in variis hujusce tractatus quaestionibus haereticos hosce insectatur, Sabellium praesertim, ut paulo supra adnotavimus, idque et aliis in libris. Sicut autem impietatis virus contra

hoc augustissimum mysterium omni aevo intumuit, ita pro virili ei obstitere Patres, Concilia, aliique polemici Catholici scriptores. E Patribus S. Justinus *in Dialogo cum Triphone* N, 128. S. Dionysius Alex. *Lib. de Trin.* S. Hilarius L. XII *de Trin.* S. Jo: Nazianz. *Orat.* 25, *et* 29, ac *Epist. ad Evagrium.* S. Gregor. Nyssenus, S. Ambrosius, S. Augustin. S. Jo. Chrisost. S. Hieronym. *Litter. II de Hypostasib. ad Damasum Pa.* aliique passim. Inter Concilia enumerari queunt, Alexandrinum an. CCCXIX. Sirmiense an. CCCXLIX. aliaque permulta speciatim contra Arianos, ac Macedonianos habita, de quibus infra. Quoad alios Scriptores, variae adsunt dissertationes; Natalis ab Alexandro in ejus historia Eccles. contra Praxeanos, Noetianos, Sabellianos etc. De-Rubeis dissertationem edidit pro Trinitate, adversus Crellium, Curti adversus judaeos, et haereticos omnes antitrinitarios, Jo Lamy *de recta Christianorum fide, et sententia circa SS. Trinitatis mysterium.*

§ II.

De Trinitate, relate ad rationem.

Ad Q. 32.

Non contra haereses tantummodo, sed et contra Sophorum ceratinos Trinitatis mysterium tutandum est, atque ostendendum, haud ex humanae rationis viribus illud erui posse, sicut nec principiis rationis illud repugnare, ut inique, ac fatue simul eorum nonnulli effutire non sunt veriti, turpi contradictione laborantes, dum alii catholicos e veterum philosophorum platicis facile Trinitatem ebibisse volunt, alii e contra hanc ipsam ceu commentum rationi repugnans expungunt. Quamvis sat cordato esse possit viro contra erraticos istiusmodi attulisse quae tum in hac q. 32 tum in l. 1 *contra Gentiles* in relatis articulis, Append. c. 1, § 1. S. Thomas luculentissime, ac strenue profert sive pro hocce mysterio velut humano captui impervio commonstrando, sivo pro generali fidei, rationisque concordia ineclutabiliter astruenda, nihilosecius adnotare praestat, hunc ipsum duplicem ensem strinxisse quotquot pro Trinitate dimicarunt. Nostra interest observare cum D. Thoma q. 32, a. 1. a vero prorsus abludere, qui apud Gentiles Trinitatem reperire sibi blandiuntur, e. g. apud

Aegyptios ex P. Kirchero *in Mistagogia numerorum*, Cudworto *in Systemate mundi intellectuali* c. 4. Apud Persas et Chaldaeos in Zoroastre, ac Magis, ex Huetio *in Demonstr. Evang.* c. 5, Thoma Stanlejo *in Hist. Philoph.* apud Orphaeum, Pythagoram, Parmenidem, et Philonem speciatim, apud Judaeos, Cabbalae additos, ex Brukero *in Hist. Crit. Philosophiae*, aliisque; apud Sybillas, sed celebrius apud Platonem, ejusque asseclas, ut saec. V ajebat Claudianus Mamertus, adeo ut non pauci, nec infimi subsellii viri generatim concluserint apud ethnicos scriptores Trinitatis vestigia inveniri: Cudwhotus vero eo impietatis venit, ut Platonis, et Evangelii doctrinam de Trinitate similem dicat, et Platonicos Alexandrinae scholae melius locutos, quam Nicaeni Concilii Patres. Hunc Mosheim Lutheranus redarguit. Caeterum generatim qui in Gentilibus Triadem deprehendere contendunt, nil nisi vaga et dubia prorsus argumenta attulerunt, ut vel ipsa eorumdem explicationum varietas apud suosmet propugnatores evincit, utque rite ostendit Petavius *Dogm. Theol. de Trin.* l. 1, c. 1, ac nuper Gazzaniga in Praefatione de Trinitatis notione; et quoad Platonem peculiariter, quum noster S. Doctor quaest. cit. tum D. Augustinus *pene assentitur Platonem librorum sacrorum expertem non fuisse;* ideo dicendum, quod si quid recte in hac re protulit in peregrinatione libraria ingentibusque studiis ex hebraica traditione didicerit. Legatur quoque S. Justinus in *Cohortatione ad Gentiles* N. 3, 4, 5, 6, et *in Apolog.* I. N. 59, et 60. Proindeque inconcussum remanet, quod nonnisi ex revelatione certo hoc mysterium innotescere potuerit: tantumque abest, ut cum Socinianis augustissimum ipsum mysterium ab ethnicis in catholicos prodiisse contendere quis possit, ut potius ethnicos e revelationis traditione, sed turpiter apud eos commaculata de his, aliisque balbutisse dicendum jure sit; jamque Maran in insigni opere *Divinitas J. C. manifesta* lib. IV c. 1. Platonicam de Trinitate doctrinam e veterum gnosticorum erroribus manasse affirmat; et Theodoretus Serm. VII ad Graecos ait, Platonicos post Christum plura ex Christianis mutuatos fuisse; immo notandum, vel ipsos vetustissimos Patres Platonis, aliorumque Philosophorum effata quam longe a Christianorum Trinitate absint, ostendisse. Vid. Bergier *Dict. Theol.* art. *Trinité.*

Porro si res penitius inspiciatur, edepol! quod discrimen inter Paltonicorum incertas ac labiles opiniones, et inconcussa, evidentiaque SS. Bibliorum de Trinitate oracula!

Legantur Aug. de Civ. Dei l. 10. c. 29. Basilius Hom. XVI. in c. 1. Joan. Quam male ergo, ac impudenter auctor libri *le Platonisme devoilé*, Trinitatem e Platonica philosophia derivat, et primum a S. Justino M. assertam edicit! In hunc, cui Clericus, Moshemius, et alii paris furfuris adstipulantur, pro virili insurrexit Baltus, *Defense de Saints Peres accusez de Platonisme, et jugement de Saintes Peres sur la morale de la Philosophie Payenne.* In Clericum vero Lamius *de recta Christianorum in eo quod Mysterium divinae Trinitatis attinet sententia.* Adest et opus Crispi de caute legendo Platone. Porro haud dissimulandum Petavii verba l. 1. de Trinitate c. 3. valde a Theologis improbata fuisse, dum ait *plerosque Patrum de SS. Trinitate Platonico pene more sensisse;* et vel ipsemet in Praef. ad Tom. II. de Trin. se corrigere intendit, cumque purgare Baltus satagit. Videsis Bullum *in Defen. Fidei Nicaenae* Sect. 3. c. 8. Bergier *Diction. Theolog. Encyclop.* art. *Trinite, Platonisme.* Observandum quoque est, sub Paulo V. damnatam fuisse hanc propositionem: *Mysterium Trinitatis est demonstrabile per rationes naturales.* Cui errori antea praeiverat Raymundus Lullus ex Hist. Eccles. Natalis Alex. Saec. XIV. c. 3. a. 20. necnon Petrus Abailardus, saeculo XII. et Claudianus saec. V..

Quoad alteram philosophorum calumniam ipsis prorsus familiarem, de repugnantia scilicet rationis cum Trinitatis mysterio, quam prae aliis urgent Bayle et Toland, turpiter confundentes quod supra rationem, quodque contra rationem est, in c. 1. § 1. hujus Append. verba D. Thomae retulimus, quibus horum, aliorumque incredulorum Sophismata contra Mysteria convelluntur, simulque Pomponatii, ac Lutheri absurditates exploduntur, ajentium: aliquid esse posse verum in Theologia. et falsum in Philosophia; hinc merito Lateranense Concilium sess. X. eos damnat, qui cum Ponponatio ajebant, animam ex fide immortalem, ex ratione vero mortalem ostendi, principiis a D. Thoma expositis in l. 1. c. 7. contra Gentes inhaerens dixit: *cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae Fidei contrariam, omnino falsum esse definimus.* Directe autem Baylio restitere plerique: Auctor: *La foi justifice de tout reproche de contradiction avec la raison;* ac Apologistae ac Dogmatici passim; immo et e Protestantibus Leibnitius: *de la conformité de la foi, avec la raison,* Pfaffius in Dissert. *Anti-Boelian.* Fabricius *in delectu argumentorum pro veritate Religionis Christianae,* aliique.

§ III.

De. Persona Filii.

Ad q. 34. et 35.

Si quid hominum grates excitare debet, est procul dubio quidquid de Unigenito Filio Dei legitur in SS. Scripturis, per quem facta sunt omnia, quique misertus perditionis, redemptionem operaturus incarnari voluit, omniaque gratiae dona nobis cumulatissime dedit. At horrendum dictu! Impietas nullibi furentius se exeruit quam contra ea dogmata, quae Dei Filium, et Salvatorem nostrum respiciunt. Praeter Sabellianos supra memoratos, qui et *Unitarii* audiunt, utpote Trinitatem e medio tollentes, personarum distinctionem inficiantes, ipso in vivis agente S. Joanne Evang. Cerinthiani de Verbo Dei divinitateque J. C. inique senserunt, contra quos Evangelium suum scripsit teste S. Irenaeo; Ebionitae pariter, et Marcionitae, deinde Valentiniani aliique Gnosticorum titulo notati, nec non Alogi sic dicti ex eorum Duce Theodoto Byzantino ex graeca voce *sine verbo*, quatenus Jesum Christum esse Verbum Dei negabant. Paulus Samosatenus, et acrius latiusque Ariani tempore Constantini M. deinceps efferbuerunt, qui dein in alias divisi sunt sectas, Ariani, Aetiani, Eunomiani ex Ario, Aetio, et Eunomio. Dei Filium Patri consubstantialem seu omousion negarunt, praetexentes inde Filium cum Patre confundi, ac Sabellianismum renovari, nec ab aeterno genitum fassi sunt, sed ex nihilo creatum ante alias creaturas, audieruntque *Anomaei* sive *Dissimiles*, quia Filium Patri dissimilem in substantia ponebant. Semiariani pariter Dei Filium haud Patri consubstantialem, attamen ei similem dicebant, seu omousion; Semiarianis quoque, sed alio sensu, accensentur qui utique in dogmate consubstantialitatis catholice sentiebant, sed vocem omousion admittere detrectabant, cujusmodi fuere Georgius Laodicenus, Marcellus Ancyranus, S. Cyrillus Hierosol. S. Meletius Antiochenus. Acaciani ex Acació Patriarcha Constantinopolitano Dei Filium nec creaturam nec ejusdem aut similis cum Patre substantiae esse blasphemabant, sed utique ei similem, ut effigies hominis est quidem ei similis, non tamen ejusdem, similisve substantiae.

Contra istiusmodi turbulentissimos Divinitatis Verbi osores longe, lateque in Asia, Europa, et Africa Dei Ecclesiam diu, crudeliterque vexantes, plurima celebrata sunt Concilia: duo Alexandriae, nempe an. CCCXV. et CCCXIX. et huic alteri Osius Cordubensis S. Silvestri Papae Legatus interfuit. Insuper Nicaenum Oecumenicum I. an. CCCXXV. Episcoporum CCCXVIII. quod ipse Costantinus Magnus annuente Sylvestro Papa coegit, eique adfuit, in quo Concilio Jesus Christus appellatus fuit *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, consubstantialis Patrii.* Julius Pa. II. in Rom. Concilio anni CCCXXXVII Nicaenum confirmavit. Pro S. Athanasio impavido contra Arianos Nicaenae Fidei assertore, celebratum fuit aliud Alexandripum Concilium an. CCCXXXIX. iterumque Ariani damnati fuere. Idipsum in eos egit Antiochenum an. CCCXL. Romanum eodem, et sequenti anno, aliud Romanum an. CCCXLII. aliaque non pauca in Oriente, ac Occidente, sed praeprimis celebre illud Sardicae habitum in Thracia an. CCCXLIII. quod Generale est, ac velut appendix Nicaeni, ut speciatim Marchetti nuperrime evicit, egregia edita dissertatione italica, qua jus appellationum juxta hocce Concilium strenue R. Pontifici asserit. Celebria sunt Concilia Sirmiense plusquam CCC. Episcoporum an. CCCLVII. et Ariminense an. CCCLIX. CCCC. Episcoporum, utrumque sub Liberio Papa; in his formulae veneno occulto foedatae ab Arianis propositae fuere. In Sirmiensi triplex allata fuit formula: prima Christum esse Patri similem secundum substantiam ajebat, omissa tamen voce *omousios:* altera Filium Patre minorem blasphemabat, tertia et substantiae vocem tacebat. Maxime disceptatum a Criticis est, cuinam harum subscripserit Liberius, et primae eum subscripsisse rectius plerique judicant. Hosium vero Cordubensem tertiae, utrumque tamen dolo deceptum, et vere ex animo catholicum. In Ariminensi autem confirmata Nicaena fides fuit, formula Sirmiensis proscripta, sed per fraudem alia inducta formula fuit, qua implicite Arianis favebatur, deque Patribus hisce ita deceptis, sed vix agnita re catholicam fidem iterato adclamantibus, inquit Hieron. in Dial. contra Lucifer: *totus ingemuit Orbis, et se Arianum esse miratus est.*

Quoad eos vero, qui fortiter multiformi Arianae haeresi restiterunt, numerandi veniunt e Graecis imprimis S. Alexander, Episcopus Alexandrinus, qui omnium primus Arium damnavit, et communione privavit, S. Athanasius praefati successor, multisque perpessis laboribus, editisque scriptis

illustris, S. Basilius *contra Eunomium* l. 3 *contra Sabellianos, et Arianos* l 1, ejus frater S. Gregorius Nyssenus pariter contra Eunomium, S. Gregorius Naz. in or. 5 *de Theol, et de Fide Nicaenae Synodi;* S. Cyrillus Alex. *in Thesauro*, ac 7 *Dialogis de Trin.* S. Epiphanius *Haeres.* 69, 73. E Latinis vero S. Hilarius Pictaviensis l. XII *de Trin.* l. *de Synodis* etc. S. Ambrosius l. 5 *de Fide ad Gratianum*, S. Augustinus l. XV *de Trinitate* etc. S. Fulgentius Ruspensis, et alii plurimi, quorum calamo, zelo, virtutibus, Arianismus exeunte saec. IV fere ubique evulsus fuit, ejusque reliquiae tantummodo apud Wandalos et Ghotos in Hispania speciatim aliquo tempore viguere. Saeculo autem XVI Sociniani Arianismum ab orco revocarunt, Trinitatem, Christi Divinitatem, omniaque praecipua Religionis dogmata sustollentes, de quibus et in § 1 actum est, et contra quos plurimi e Catholicis, et Heterodoxis strenue dimicarunt, jamque Bullus ex Anglis dedit *defensionem Fidei Nicaenae;* huic quidem respondit Mellierus, seu Samuel Crellius, sed Grabe pro Bullo stetit; immo et publicum Socinianorum confutationis officium impensis nobilis foeminae fuit institutum, instat fundationis Boyle in Anglia contra Atheismum, cujus meminimus in c. 1. § 1.

Sicut occasione Arianismi plura, ac insignia in Ecclesiae fastis notata sunt, ita non raro criticis occasio emersit ea ad trutinam revocandi, nec pauca sunt, quae eruditissimis disquisitionibus pabulum dedere ex. gr. circa convocationem, ac Praesides Nicaenae Synodi, et Sardicensis, de Conciliis Syrmiensi, et Ariminensi, eorumque formulis, et subscriptionibus, videlicet de praetenso Liberii, vel Osii lapsu quos a tanto crimine purgant melioris notae scriptores, ut supra de Liberio innuimus. Adde dubia a nonnullis promota circa modum loquendi de Filio Dei apud Patres Antenicaenos Athenagoram, Theophilum Antiochenum, S. Hyppolitum, S. Justinum, S. Irenaeum, Origenem, Tertullianum, Lactantium etc., quos Platonismo infectos aliqui traducere tentarunt, ut in § 1. Caeterum abundant horum apologiae apud Theologiae tractatores, nec non historicos, ut speciatim in *Raccolta di Dissertazioni di Storia Ecclesiastica*, recens Romae evulgata. Praedictarum vero Haereseon absolutissimam confutationem videbis vel in eximio Opere P. Maran. Ord. S. Ben. *Divinitas D. N. J. C. manifesta in Scripturis et traditione*, e quibus, ut ait Hilarius l. 7. *de Trinit. Deum D. N. J. C. his modis novimus nomine, nativitate, natura, potestate, professione*,

et quidem veri Dei nomen, aeterna e sinu Patris nativitas, eadem cum Deo Patre natura eruuntur speciatim ex cap. 1. Joan., cujus vim declinare volentes Ariani, et Sociniani absurdissimas obtrusere explicationes a nostratibus nervose repulsas; adsunt alia plurima loca Matth. 3. 16. 17. Marc. 1. Luc. 3. Jo. 20. 28. Et v. ult. Ep. I. 3. 16. Rom. 8. Colos. 2. 9. Apoc. 8. 11. Potestas autem Divina mirifice in Christo fuit, ut ex Jo. 5. eluxitque in portentis, in Ecclesiae et Sacramentorum institutione. Professione demum tenenda haec Divinitas patet Matth. 28. 19. Jo. 14. 1. et 3. 36. etc. Quoad traditionem vero nil luculentius quam Barnabae, Hermae, Clementis, S. Ignatii, S. Polycarpi, S. Justini, aliorumque omnium vel ipsiusmet Aevi Apostolici scriptorum testimonia, quorum vim apud praefatum Maran distincte perlegas, adeo ut per enormem calumniam adversarii S. Justinum primum fuisse effutiant qui in Ecclesia Verbum Divinum docuerit. Adde Martyrum testimonia pro Divinitate J. C. veri Verbi Incarnati. Adde Doxologiam *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, quae ni Apostolicae originis in liturgiae usu, ut vult Baronius ad an. CCCXXV. remotissimae tamen antiquitatis est, ut ex Bona, et aliis, quaeque ab Arianis qui Filium et Spiritum Sanctum Patre inferiores blasphemabant, ut ait Theodoretus *Haeret. Fabularum* l. 4. c. 1. sic adulterata fuit: *Gloria Patri per Filium in Sancto Spiritu*. Uno verbo: idem semper in Ecclesia praestitus cultus tribus divinis personis. At iterum ubi de incarnatione.

§ IV.

De Spiritu Sancto.

Ad q. 36.

In tertiam quoque Parsonam SS. Trinitatis, videlicet in Spiritum S.. bellum singulare moverunt Haeretici, ***Pneumatomachi*** idcirco appellati; eorumque agmen ducit Macedonius Constantinopolitanus Patriarcha Saec. IV qui Spiritum S. esse divinam, ac distinctam Personam est inficiatus. Ejus asseclae haud unius labii fuere, sed alii creaturam, alii energiam, seu efficaciam existimarunt esse Spiritum S., cum luce clarius innotescat catholicum dogma quum ex Matth. 3, 16, et 12, 32, ac 28, 19; Luc. 12. Jo. c. 14, 15, 16, 17. Actor. 1, 2, 5, 10, 20, 28. Rom. 8, 8, I Cor. 2, 10, et 3, 16, ac generatim ex iis omnibus utriusque Testamenti locis, in quibus frequenter Spiritus S. ceu persona Divina Patri, Filioque consubstantialis designatur, cuique missio, ac sanctificatio plerumque attribuitur; tum ex immobili, perennique traditione, quam S. Basilius saeculo IV contra Macedonianos in l. *Spiritus S.* urgebat: affert enim Clementem Romanum, ac S. Irenaeeum, Dionysium Alex. Origenem, Julium Africanum, vetustissimam Doxologiam *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui S.* Adest Symbolum Apostolorum, ubi expresse dicitur: *Credo in Deum Patrem .... et in Jesum Christum Filium ejus .... Credo in Spiritum Sanctum.* Nicaenum quoque ei succinit: *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem .... et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei natum ex Patre Unigenitum .... Et in Spiritum Sanctum.* Concilium vero Constantinopolitanum Oecumenicum sic addidit in Symbolo: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificatorem, ex Patre procedentem cum Patre, et Filio adorandum, et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Non expresse ait cum *et a Filio procedere,* quia tunc hac super re questio non inoleverat. At subinde, nempe saec. V in Hispania, ac dein successive in Gallia, ut ex Concilio Gentiliacensi prope Parisios an. DCCLXVII. et Aquisgranensi an. DCCCIX. et

alibi haec professio de processione Spiritus S. etiam a Filio adjuncta fuit, utpote quae S. Scripturae, ac traditioni omnino innixa, ut egregie D. Thomas prosequitur q. 36, ac in Opusculo *contra errores Graecorum*, et l. 4 *contra Gentes*, ubi ea, qua pollet, incomparabili ingenii vi, doctrinaeque soliditate, quod ad personam Spiritus S. attinet, pleno in lumine collocat.

At Photius Constantinopolitanus Patriarcha istiusmodi professionem processionis a Filio indignans, an. DCCCLXXXVI. schisma Ecclesiae graecae a latina iniit. Quod Michael Cerularius idem Patriarcha consummavit an. MXLIII. et sic florentissima Graecorum Ecclesia horum ambitione, et obstinatione Pastorum, a veritate teterrime defecit, paucis dumtaxat etiam nunc ex eis Catholicismo adhaerentibus. Nec in sola Spiritus S. processione a Filio erraront, sed etiam primatum Romani Pontificis denegarunt, nec non Purgatorium, sicut etiam contendunt beatitudinem aeternam, ac poenam ante judicii diem non conferri, et Eucharistiae Sacramentum non in pane azymo, sed in solo fermentato confici posse; contra quos errores D. Thomas, ut diximus supra in separato opusculo, naviter calamum adhibuit.

Concilia plura habita in eos sunt, cujusmodi illud Barii anno MXCVII; Lateranense IV an. MCCXV. Lugdunense II an. MCCLXXIV. ac demum Florentinum an. MCDXXXIX. quorum tria posteriora generalia sunt. In his porro unio Graecorum ad Latinam Ecclesiam peracta fuit, in Florentino praesertim, cui ipsemet Imperator Graecorum Michael Paleologus interfuit, et in quo utriusque Ecclesiae Praelati sanxerunt: *et quoniam omnia quae Patris sunt, ipse Pater Unigenito Filio suo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.* Atque inter Missarum solemnia ter publica, ac uniformi professione cantarunt: *a Patre, Filioque procedit.* At soluto Concilio, Marco Ephesino primas agente, graeca natio iterato ad vomitum rediit; sicque vel hoc solo ex capite ejus in Fide defectus innotuit; quippe quae cum Catholicis paulo antea, tamque solemniter consenserat; et in regressu ad Patriam, quod crediderat ejuravit.

Varia utique solent praetexere excusationes, quas potius pejores accusationes dixeris, easque debita censoria virgula notant Theologi passim. Hisce pneumatomachis consertis manibus cohaerent Sociniani, pro more in sacratiora dogmata debacchantes. Qui plenam hac super re notionem aveat,

praeter praedictos, consulat e priscis S. Gregorium Nyssen. in l. *de Filii et Spiritus Sancti divinitate*, Didymum Alexand. l. *de Spiritu Sancto* S. Jo. Chrys. *Hom. de Spiritu Sancto* S. Ambros. l. 3. *de Spiritu Sancto*, S. Joannem Damasc. *de Fide Orthod.* l. 1. S. Isidorum *Etymol.* l. 7. S. Anselmum *de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio contra Graecos*, S. Petrum Damian. Opusc. *de Spiritus Sancti processione*, et alios; e recentioribus autem Leonem Allatium *in Graecia Ortodoxa*, Frantz *super formula Graecorum, et Latinor.* Pithoeum *historia controversiae de Spiritus Sancti processione*, Natalem Alex: in variis dissertationibus; apud quos objecta omnia diluuntur. Hodie sero jam jam praelo disponitur egregium opus a Cl. Gusta, elaboratum, sub titulo: *Origine, vicende, e stato presente della chiesa Russa*, quam relate ad graecum schisma considerat.

Pro coronide autem hujus capitis adnotationum, innuere praestat nonnihil de Symbolis, ac hymno *Te Deum laudamus*, quibus praesertim Trinitatis doctrina in sacris Officiis celebratur. Neminem fugit tria extare Symbola, Apostolorum, quod vulgare est, Nicaeno-Constantinopolitanum quod in Missa obtinet, et illud S. Athanasio adscriptum. Primum vere ab Apostolis conditum tradit Ruffinus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Coelestinus Pa. et alii permulti, quos inter S. Maximus Taurinensis, licet Apostolicam hujus Symboli originem in dubium revocent quidam male feriati critici, ut apud Protestantes, aut omnino negent. Quoad Athanasianum vero, etsi gravissimae auctoritatis; tamen Athanasio illud abjudicant, ut apud nuperos Theologos, ac Ecclesiasticos historicos, et varii varios auctores ejus proferunt, quasi hariolando. Iterum de hisce in Append. t. 2. C. III. § 1. Quoad hymnum *Te Deum laudamus* alii Ambrosio, et Augustino adstruunt, sed alii aliis.

CAPUT QUARTUM

§ I.

De Creatione generatim.

A q. 44. ad 46.

Quadripartitae hujusce Tractatus de Creatione divisioni a D. Thoma assiguatae inbaerentes, prius de creatione generatim, dein de Angelis, tertio de visibilis mundi opificio, quarto de homine sermonem instituimus.

Creationis Dogma superna revelatione nobis manifestatum per Moysem Cap. 1. Genesis, sicut et aliis Scripturae locis, privata philosophorum indagine omni aetate examinatum, eorum ingenia torsit, animosque divisit. Quidam enim materiam aeternam posuere, alii secus. Ecquid ergo humanae fidendum menti suo arbitratu relictae, si et in humanis sibi non consentit? Verum enim vero nonne recta ratio suadet mundum ex nihilo eductum fuisse, et a D. O. M. principium traxisse? Sane alioqui esset et ipse si improductus, etiam in se ipso perfectissimus, a se subsistens, idque genus similia: locumque haberet horridum illud Spinozae systema, substantias omnes ad unicam redigens, et Pantheismum idcirco invehens. Quid ergo mirum si philosophi hoc dogma primarium, cui reliqua de Dei attributis, nostraque in Deum relatione superstruuntur ignorantes, tot nefanda, ac indigna de Deo, homineque protulerint? atque adeo concludere fas est vel primum Geneseos, quo Moyses creationis dogma proponit, cunctis praecellere philosophorum incertis disquisitionibus atque quisquiliis.

Principium illud *ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*, quod tantopere urget Lucretius, si Codworto fidamus, apud Pythagoram, Platonem, eorumque gregales non obtinuit, qui creationem aliquo modo admiserunt; at Mosheim, Bruker, et alii non pauci creationem a veteribus vere agnitam fuisse inficiantur. Adsis Genovesi, qui rem

ex professo agitat, et Procli objectiones de aeternitate mundi exsufflat; hoc tamen rite notando discrimine, quod veteres plerique cujusmodi platonici mundum utique a Deo factum admisere, sed a tota retro aeternitate simul cum Deo creatore extitisse; nuperi vero pseudo-philosophi aeternitatem materiae ulla absque productione a Deo obtrudunt, prout ex impiis eorum, absurdisque systematibus consequitur. Mitiores vero quidam, qui deistas se se ostentare gloriantur, ut Rousseau in *Emile*, auctor *Systeme de la Nature;* Argens *du Bon Sens*, Boullanger *Eternité du Monde*, ex ateorum, ac materialistarum grege, et alii non infrequentes aeternitatem materiae praedicant, et mundi aeternitatem ceu dubiam proponunt.

At nedum philosophi, sed et pseudo-christiani nonnullli, cujusmodi Marcionitae, Manichaei, et quotquot platonismo infecti emanationum deliramenta sunt amplexati, ut Gnostici passim, aliique plurimi materiam increatam tradidere, ac ipsimet Sociniani creationis dogma ceu non aperte inconcussum, sed libere agitandum censuere; hisque favens Beausobre cum aliis nonnullis eo processit, ut assereret ratione quidem hanc veritatem innotescere, non vero ex S. Scriptura, nec ex primis Ecclesiae Patribus, quos creationem imperfectam seu ex praeexistente materia juxta Platonem tenuisse effutit. Solet afferri, quod hebraica vox *Barà*, quae ad creationem exprimendam inservit, adhibetur in Gen. pro indicanda sive materiae, sive hominis formatione, cumque iste ex praeexistente materia sit factus, concludunt eo nomine haud veram rerum creationem designari. Deinde juxta Moysen terra erat *tohu, bohu,* quod respondet materiae informi, et chaos, adeoque et ipse hagiographus materiam aeternam cum Phoeniciis, aliisque priscis admisisse videtur.

Ast ni adversarii caecutire velint, ex ipso verborum contextu, multoque magis ex plurium collatione in variis Scripturae locis sole clarius emicat vera creatio, jamque diserte, et solide simul vim vocis *Barà* in Genesi pro nova creatione interpretati sunt rabbini doctissimi, ut apud Maimonidem, et Aben-Hezra, selectioresque Bibliorum interpretes; et sensus idem hoc exigit: vix enim dictum est: ***in principium creavit Deus coelum, et terram***, statim subditur: ***terra autem erat inanis et vacua;*** scilicet postquam creata primitus fuit, et subinde ex hac informi materia legitur Deum cuncta eduxisse corpora ad totius mundi distinctionem et ordinem; sicque et intelligitur quid sibi velit ***tohu, bohu,*** nempe non aeternam et increatam materiam,

sed informem instar veterum chaos, antequam inde singularia educerentur corpora. Vide Petavium, Calmet in dissert. Quoto autem tempore hujusmodi informitas materiae durarit, non idem est labium apud omnes; videsis § 3 hujus capitis. Caeterum ut in antecessum adnotatum, est pluribus aliis Scripturae locis, ut in Ps. 145. 148. Prov. 8. 22. II Machab. 7. 28. Joan. I. 3. Rom. II, 36 etc.; istiusmodi veritas creationis enucleate ponitur; unde et mirum quod praefatus Beusobre SS. Ecclesiae Patres, Justinum praesertim de hoc dogmate prave, seu platonico sensu ex praeexistente materia, sensisse, cum potius *in Cohort. ad Graecos* N. 22. et alibi sat dilucide hanc veritatem affirmet; pariterque calumniatur Burnetus, dum *in archeologia philosophica* l. 1. c. 7. doctrinam creationis ex nihilo primum a theologis inductam fuisse ait, quasi non satis Moyses, aliique V. T. hagiographi ut supra tetigimus, istiusmodi dogma non docuerint. Quapropter merito vapulat in libro Anonimi Scriptoris: *Moyses vindicatus, seu veritas historiae creationis mundi adversus Thomae Burneti Archeol. Phil.* Amstelodami 1694. Plura hoc super argumento creationis reperies apud Aquinatem in l. 2. *contra Gentiles* c. 15. et 16. et q. 3. *de Potentia* a. 5. Platonicorum indicata somnia de aeternitate retro materiae discutit S. Aug. in l. 10. *de Civ. Dei,* necnon S. Ambrosius in l. 1. *Hexamer.* Manichaeos quoque insectatur idem Aug. in l. *de Genesi contra Manichaeos.* Alios vero Patres, simulque plurimos hujusce argumenti scriptores indicabimus § 3. e quibus praesens quoque veritas novo lumine perfundetur.

§ II.

De Angelis.

A. q. 50. ad 64. et a q. 106. ad 114.

Etsi pauca de Angelis nobis revelata sint, ac ideo imperfecte, ut ait Dionysius Areop. *De Coelesti Hier.* c. 6. quae ad illos pertinent nobis dignoscere liceat, nihilosecius in hacce praesertim investigatione haud meliorem nancisci possumus ducem D. Thoma Aquinate, qui a q. 50. ab 64. et a q. 106. ad 114. mira prorsus uberique tractatione, prout doctorem vere Angelicum decet, de Angelis disseruit: iis porro, quae hac super re ex eo delibavimus, isthaec eruditionis ergo adnectere mens est. Nullam fortasse religionem reperias, quae Angelos, vel creaturas multas Deum inter et homines non admittet, sive daemonum, aut fortiorum, vel intelligentiarum hominibus praestantium Eonum, aut alio nomine designatas; ut etiam apud philosophos, ac poetas mos est; unde Tertullianus ajebat in Apologet. c. 22. *Dicimus esse substantias quasdam spirituales; nec nomen novum est. Sciunt daemones Philosophi . . . . Daemones sciunt Poetae . . Angelos quoque etiam Plato non negavit.* Porro Platonici, ac alii non pauci mundum ab Angelis conditum somniarunt, prout etiam Saeculo christiano I. Simon Magus, et Saeculo II. Archontici fortasse ejus discipuli docuerunt. Zoroaster in suo libro Zebda-Vesta tantam eis virtutem, ac potestatem tribuit, ut inferioribus paganorum numinibus pares eos faciat. At ratio nil de nobilioribus hisce spiritibus nobis dictat, unde ergo tam pervagata, licet mendis fabulisque corrupta istiusmodi, professio? Dubio procul ex primaeva traditione penes Judaeos continuo servata, ac loculenter in ipsomet Pentateucho aliisque sacris paginis consignata. Judaeis adjunges Samaritanos, ipsosque Caraitas litteralis textus tenacissimos, omnesque alias eorum sectas, demptis Dositheanis, ac Sadducaeis spiritum quemvis, unde et Angelos negantibus, de quibus posterioribus ait D. Lucas Act. 23. 8. et Thomas q. 50.

a. 1; jamque facili negotio exploditur Voltairii calumni dicentis in sua *philosophia historiae* Haebreos a Chaldaeis, et Persis, a Zoroastre praesertim doctrinam de Angelis mutuatos fuisse, siquidem omnium consensu eruditorum Pontatheuchus, ubi frequens de Angelis mentio, needum libris Zoroastris, sed et aliis longe vetustior est. Nec quidquam negotii facessit, quod idem sicophanta ait, nempe nomina Michael, Gabriel etc. Chaldaica videantur, nec pariter quod alii observant, videlicet ante Babylonicam captivitatem Angelorum nomina in Scripturis sacris non inveniri, cum primus omnium Tobias Raphaelem nominet, Daniel vero Michaelem, ac Gabrielem; etenim similibus vocibus, cujusmodi *Gaddiel* etc. Hebraei non carebant; aliunde vero ut parum antea effatum est; in mosaicis paginis perennique Judaeorum traditione, cui mirifice consonat caeterarum gentium licet foedata suasio, Angelorum existentia extra dubium elucet.

Porro si communi calculo Angelorum existentia comprobatur, non ejusdem tamen labii sunt circa eorum naturam vel ipsi Patres; D. Bernardus Serm. V. in Cant. ait *Angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, et sint animalia sicut homines.., videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est utrum alterutrum doceam, et nescire me fateor. Sed et vestris profectibus non multum conferre.* Caeterum etsi Patrum aliqui corpora Angelis adtribuerint, ut Justinus M., Origenes, Clemens Alex., Tertullianus, Lactantius, et fortasse S. Athanasius, ac S. Basilius, opposita tamen sententia longe solidior est, cui S. Scriptura, ac ratio suffragantur in q. 50. a. 9. prosequitur Aquinas, atque speciatim S. Ignatius M., S. Gregorius Nyssenus, S. Greg. Nazian., Eusebius, S. Jo: Chrysost., Theodoretus, S. Epiphanius, S. Leo, S. Gregorius M. et alii cum Theologorum subsequentium unanimitate tenent, maxime postquam Concilium Generale Lateranense IV. an. MCCXV. definit, quod Deus *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et humanam,* adeo ut post tale decretum saltem temeritatis notam incurreret, qui contrarium assereret, ut Estius, ac Melchior Canus cum pluribus ostendunt. Confer Petavium l. 1. de Angelis, ac alios infra laudandos. Absit tamen ut prius relatos Ecclesiae Patres in invidiam traducas, ut Beassobre hinc elicit in *Traité de la morale des Peres* c. 2. non enim adhuc constat quid nomine corporis intellexerint, cum immo existimandum videatur corporeos arbitratos fuisse

Angelos ad distinctionem purissimae spiritualitatis Dei, quae nullo circumsepitur loco, nullamque compositione admittit. Legatur etiam D. Thomas q. 50. a. 1.

Ex Angelicae naturae praestantia, multoque magis ex Angelorum officio ad hominum tutelam divinitus destinatorum, rectissime in Ecclesia cultus et invocatio ad Angelos defertur, quidquid blaterent Protestantes, queis istiusmodi officie erga Angelor, et Sanctos idololatriam sapere videntur; et speciatim quoad Angelos, ajunt id acerrime vetitum ab Apostolo Coloss. 2. et in Apoc. 19. et Can. 35. Concilii Laodiceni, an CCCLXIV. etc. Verum istiusmodi objecta vel unico prosternuntur ictu, videlicet cautum fuisse ne cultus directe, et finaliter creaturae cuilibet exhiberetur, sed soli Deo; idque eo consultius quo Zoroastris, Paganorum, ac Gnosticorum doctrina superstitiosum, ac numinibus similem cultum Angelis, aut geniis referebat, prout etiam Angelici haeretici ineunte saec. II. gnosticorum instar faciebant, Angelos adorando, dum Apulejani e Platonicorum Schola eodem saeculo II. daemones quoque una cum Angelis ceu custodes hominibus datos colebant; et daemoniaci e lutherano luto egressi daemones decies in die in votis habebant, atque venerabantur, arbitrantes cum Origenistis eos post mundi excidium salvatos iri. Porro tantum abest ut noster cultus erga Angelos quidquam mali contineat, ut potius innumeris Scripturae documentis et exemplis fulciatur, cujusmodi Gen. 32. 26. et 48. 16. Exod 23. 10. Josue 5. 14. Dan. 10. 9. Zachar. 1. 12. Apoc. 8. 3. et 4. etc.

Praeter Angelicum, de Angelis consulendi sunt e Patribus S. Dionysius Areop. l. de *Cael. Hierarch.*, S. Gregorius Nyssenus *Carmen arcanum* 6, Theodoretus Ep. Cyr. *Sermo de Angelis*, S. Augustinus de *Civ. Dei*, S. Jo: Damasc. de *Parallelis* l. 1. et 2. S. Anselmus de *Casu diaboli*, Hugo a. S. Victore, S. Bonaventura et alii; recentius vero Calmet in suis dissertationibus, Gualtieri, etc. Lubet modo indicare; prout fusius in § 4. ubi de primo homine, quod relate ad ea quae D. Thomas agit in q. 62. circa gratiam Angelis collatam, sit utique, ut ait S. Doctor, a. 2. *probabilius, quod fuerint creati in gratia gratum faciente*, non vero quod sit contra fidem diversimode sentire; ut Jansenіani obtrudere volunt, inficiantes possibilitatem naturae purae sive in Angelis, sive in homine. Sicuti etiam in § 4. varia referemus scholarum sententias de gratia actuali, sine qua stare non poterant, utrum scilicet fuerit *sufficiens* tantum, ut Augustinenses, ac Moliniani contenduut, vel *efficax* ut

Thomistae. Ad ea quae in q. 63. et 64. a Doctore Angelico dicuntur circa lapsum, ac poenam malorum Angelorum adjicere possumus, quod non ideo in poenam peccati aereis quibusdam corporibus fuerint colligati ad hoc ut igne cruciarentur, ut veteres quidam arbitrati sunt, et ut Graeci repetere audebant in Concilio Florentino, quod Hieronymus ceu origenianum errorem respuit in Epist. 124. ad Avitum. Quod vero ad ignis poenam attinet; communius creditur daemones ab ipso peccati momento hac poena puniri, eaque non destitui etsi aliunde variis intersint locis, ut in q. 64. a. 4; quidam tamen e veteribus, ut nonnulli etiam e recentioribus usque ad judicii diem hujusmodi poenam reservari ajunt. Quoad vero ignem hunc infernalem, eum inficiatus fuit Origenes, cum aliis quibusdam, ut ex Huetio in Origenianis l. 2. q. 11; idque ad fidem minime spectare contendunt Sylvius, Natalis Alex. et alii. At verum esse ignem inferni tenent communiter Catholici cum haereticorum plerisque, ut videre est apud Patuzzi de *futuro impiorum statu*. Quomodo autem ignis materialis agere possit in spiritum, hoc *miris* quidem, *sed veris modis fit*, ut Augustinus dicit, at non absonum videri poterit si consideremus influxum realem inter animam et corpus etsi diversae sint naturae, et quidem ex Dei omnipotenti voluntate: caeterum praeclare in hanc rem S. Thomas l. 4. Sent. dist 44. q. 3. ac l. 4. contra Gentes.

Insuper quoad deputationem Angelorum in hominum custodiam q. 113. quam solus Calvinus negavit, addendum videtur solis hominibus probabilius id privilegii concessum, ut fert humanae dignitas naturae, quae ut Chrysostomus, aliique Script rae interpretes ajunt in ea Christi verba de pueris *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, Angelorum ministerio decorata fuit! Quapropter hanc peculiarem deputationem caeteris creaturis, puta bestiis, arboribus, lapidibus, etsi a Platonicis, ac nonnullis aliis, et e vicinioribus Bodino et le Maitre Calvinista assertam, probabilius explodimus, licet non renuamus subscribere illi influxui, quem Aquinas in corporeas creaturas Angelis adscribit q. 110. a. 1. Vide Trombelli *de Angelis custodibus*.

Utrum vero sicut bonus Angelus, ita et malus, seu cacodaemon singulo homini praeficiatur; discrepant Patres, ac Theologi. Berti cum pluribus affirmat, Gazzaniga id non satis constare asserit. Non autem cordato Theologo dubium quin revera extiterint, ac extare possint obsessi, aut possessi a daemone, vel energumeni, prout speciatim in Evan-

gelio legitur. Insurgit tamen Hobbesius *Leviathan* c. 4. eos unquam fuisse denegans, et supponens demoniacos in Scriptura memoratos, idem esse, ac morbis affectos, puta lunaticos, insanos etc. At certe morbosis affectionibus tribui nequit quod Marc. 16. 17. Luc. 4. 41. et 8. 27. Marcus 9. 16. et Act. 8. et 14. dicitur. Adde vetustissimum immo Apostolicum perennem exorcismorum usum etiam in baptismi ritu in Ecclesia ad daemones pellendos et aquae lustralis ad eos fugandos, exemplaque non pauca purgatioribus historicorum paginis consignata. Plura apud Mamacchi *Originum Antiq.* 7. 3. et Bened. XIV. *de Beatif. et Canoniz.* l. 4. fusa eruditione conspicere est. Facili quoque negotio exsufflantur, quae contra demoniacae obsessionis signa solent compingi, e. g. ex Petro de Aponno *Comment. in Arist. probl.* 30. 1. et Pomponatio de *incat.* c. 10. quod latina aliisque linguis locutae fuerint mulieres melancholia affectae. Ecquid male farta verba ex praecognitis idiomatum principiis casu et furore expressa comparare liceat cum certissimis, humanamque facultatem excedentibus indiciis, quae in vere energumenis deteguntur? Sat esto perlegere, quod D. Hieron. in vita S. Hilarionis refert de Gallo a daemone obsesso. ut statim latum pateat discrimen.

Dictis accenseas, quae de paetis cum daemone, de Pythonibus, Magis, Sagis, ac Lamiis sentienda sunt, nempe licet non omnia, quae praesertim a mulierculis enarrantur credenda sint, nihilo secius istiusmodi aliqua dari indubium omnino sit, ut ex Scriptura quoad Magos, Pythones; et generatim de potestate Daemonis ad nobis nocendum, Ephes. 6. 11; proindeque haud exculpandi sunt Tartarotti *del Congresso notturno delle Lamie*, Maffei *arte magica dileguata*, et alio scripto *arte magica annichilata*, Florius *arte magica distrutta*, Riegger *de Magia* cum aliis, qui omnia ad magiam spectantia inter fabulas amandare studuerunt. Praefatus autem Mamachi, de Huen *de Magia*, Thiers *Traité des superstitions*, Le Brun *Histoire critic. de pratiques supers*, cum plurimis Bibliorum interpretibus, Ritualis Romani, ac Theologiae Moralis tractatoribus, sat lucis in hac re attulerunt. D. Thomas non pauca habet in secunda secundae q. 95. et 96. Lubet vero cum ipso concludere ex IV. Sent. dist. 34. q. 1. a. 3. *Quidam dixerunt quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in aestimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causae sunt occultae, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritates Sanctorum, qui dicunt, quod daemones habent pote-*

statem supra corpora, et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur; unde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Procedit autem haec opinio ex radice infidelitatis, seu iucredulitatis quia non credunt esse daemones, nisi in aestimatione vulgi tantum. Oh! utinam tantum nefas hodie praesertim non iuvalesceret, dum daemonum influxus, et ipsamet eorum existentia passim anilium fabularum instar habentur, cum potius perditissimorum hominum omnigena deliramenta nostro aevo sub philosophiae larva contecta, eos a daemone actos, ac ita in immensum excrevisse energumonorum numerum, quodammodo evincere videantur.

§ III.

De Mundi creatione.

Nullam fortasse S. Scripturae partem acrius impetitam a philosophis crediderim, quam Mosaicam rerum genesim, sive indirecte novas cudendo cosmogonias Mosaicae absimiles, sive directe eam a Moyse descriptam mordicus impugnando. Quoad varias rerum mundanarum fictas origines, missis Idealistarum somniis, qui res extra nos positas vel existere negant, vel dubitant, nec non veterum populorum figmentis depravatisque traditionibus de Chaos, et ovo primigenio, quod graphice pingit Ovidius in Metam. l. 1. aliisque fabulis, immo et veterum sophorum effatis de mundi ortu, praesertim eorum, qui aeternitati ejus favebant, e. gr. Democriti et Epicuri ex fortuito aeternarum atomorum concursu naturam coaluisse dicentium, etiam viciniori aevo commentitiae cosmogoniae a physicis prolatae fuere, vide tom. 1. Historiae universalis Auct. Anglican. : sic Cartesius saeculo XVI rerum aspectabilium originem fingit ex homogenea materia, ac impulsionis motu per varias vorticum revolutiones, e quibus diversa materiae figura praecipuis corporum speciebus compingendi apta prodierit; Burnetur Anglus an, MDCXXC. in sua *Telluris theoria sacra* quatuor elementa prorsus confusa simul asserit, quae dein juxta specificas gravitates sese disposuerunt, adeout nucleus terrae particulis terreis constiterit, quem aequa circumambit, et

hanc ole m, oleum vero aer. Ex partibus autem terreis aere immixtis, et supra olei stratum delapsis circumquaque aequalis emersit, supra quam homines et animantia vivere coeperunt: at calore solis et pluviarum vi disrupta haec crusta fuit, ac Diluvium contigit; maria subinde, ac terrae, prodierunt ex inaequali ipsius crustae libella.

Wodvardus Burneti theoriam evertit, ac S. Scripturae repugnantem demonstrat, sed et ipsemet aliud effingit systema, quo universale diluvium explicare contendit. Terram ingenti aquarum abysso in suo centro praeditam astruit; ac vi summi caloris eruptam ait abyssum, et immensis aquas inde fluxisse, quibus elementa omnia soluta fuerint praeter testacea, ac crostacea; terram aquis diluvialibus dissolutam arbitratur, quae in successivae exsiccationis rimis, ac interstitiis post regressum acquarum in abyssum, sparsae undique conspiciuntur. Wisthon terram primitus cometem credit alternatim in suae orbitae perihelio incandescentem, ac vetrificatum, in aphelio autem summo frigore rigentem ad planetae statum vegetationi congruum imminuta orbitae excentricitate fuisse divinitus redactam, cui tamen post an. MDCXXC. horribile aquarum diluvium supervenerit ex alterius cometae impactu immensis vaporibus in cauda collectis terram inundantis. Leibnitius vero in sua *Protogea* terram prius ardentem, ac lucidum solem fuisse supposuit, in vitream deinde substantiam commutatam exhausto combustionis pabulo. Hanc hypotesim instauravit De-Maillet, vulgo ex inverso litterarum ordine Telliamed, asserens terram quandoque solem ignitum evasuram, quando nempe aquis continua evaporatione spoliabitur; dein sic adustam, vapores iterato absorpturam, sicque hisce excrescentibus diluvium productum iri, deinde novam adustionem, vaporumque successivum lapsum, novumque diluvium, et ita alternantim per immensa temporis spatia, ac in statu quidem generalis inundationis a solis piscibus terram habitabilem fore, et imminutis aquis dum continentes apparent, reliquis animantibus ditatam iri. Robinet mundum, vel tellurem originem a minima materiae particula traxisse desinit, adeo ut singulis mutationum momentis pars nova primitivae parti aequalis addatur, arithmeticae progressionis instar, quae ab uno incipit, et repetita unitatum accessione coalescit. Diderot corpoream naturam cum Beauman sensu, ac perceptionibus praeditam blasphemat, totumque mundum ut ingens animal, omniaque ex elementis hujus animalitatis ab aeterno in rerum massa confusis prodisse, ac per infinitas propemodum

organizationum, specierumque varietates transisse insanit, et quidem centena milia admittens inter istiusmodi transitus ab una specie ad aliam, sicque deinceps novas ignotasque formas adventuras longo saeculorum fluxo hariolatur. Adde alios materialismi, atheismi, ac pantheismi asseclas similia obgannientes.

Quod vero memoratu dignius e tot systematibus, est illud quod a Buffono post medietatem elapsi saeculi effictum se nobis offert; hic siquidem vir de naturali historia optime meritus Burneti, Wodvardi, Wisthoni, Leibnitii commenta physica de primigenia terrae compagine expungens in suo supplemento ad natur. hist., novum et ipse cusit, uberius dein in suis epochis naturae explicitum. Paucis rem habeto: supponit jam a 75000 annis tellurem, et alios planetas ictu cometae a solis massa avulsos, terramque a statu vitreae, ac liquidae incandescentiae ad compactam sphaeroidem transiisse post 2936. annos, idque ceu prima naturae epocha ab eo statuitur. Altera epocha annos 35000 complectitur, quibus terra tantum caloris amiserit, ut vapores admittere, et in variis superficiei scissuris montes et maria habere potuerit. Ad epocham tertiam referuntur secundarii montes in sinu maris effecti, testaceis, conchis, marinisque corporibus referti; extenditurque circ. an. 12000; quarta recessum marium, ac vulcanorum explosionem, unde tot immutatianes in terrestri superficie, annos insumens 14000, quinta exprimit recessum animalium a frigidis zonis ad calidiores jam jam rigentibus polaribus regionibus, caepitque 11000 circ. an. ante nos; sexta a separatione nostri continentis ab America, nempe 10000 ab hinc annis. Septima vero epocha ingens excidium terrae continuo praeparans crescente hujus frigescentia, verificabitur post 92000 ab hinc an.; tuncque tota natura rigens, et in glaciem conversa tanto divinatore peribit. Mirum quot clamores plausibus censurisque immixtos tale figmentum ubique pepererit, at ceu emphatica meteora cito evanuit, et perittssimi physici gratuitas hypotheses et assertiones quibus superstruitur, putidasque contradictiones quibus inquinatur, pro virili detexerunt, ac refutarunt, cujusmodi auctores operis *la physique du monde*, Marivetz, de Luc *Lettres sur l'histoire de la terre, et de l'homme*, Para in additamentis ad physicam. Nec physici tantum, sed et theologi contra hanc theoriam cortice utique speciosissimam, sed Mosaicae Genesi nimis repugnantem dimicarunt, cujusmodi Gerdil *in Saggio d'istruzione teologica*, ubi agit de Deo creatore, ac in alio

opuscolo *Observations sur les epoques de la nature;* Baruel *Lettres Helviennes* t. 1. Bergier *in Enciclop. Met. Theol. art. monde* et alibi. Sorbonici doctores vix lucem aspexit hoc Buffoni commentum, censoria virgula illud notarunt, et perperam se purgare studuit auctor, catholicum utique se profitens, at physicae indaginis, ac hypothesis praetextu biblicam Genesim laedens.

Anno MDCCLXXIX. Whitehurst *in Rocherches sur l'etat primitif et la formation de la terre,* hanc prius fluidam imaginatur, atque ex ejus rotatione circa axem prodiisse sphaeroideam, qua guadet, figuram, ac pro varia gravitatis vi specifica disposita fuisse corpora; ex fluxu autem et refluxu maris inaequalitates in superficie terrae emersisse. Wallerius eodem anno *de l'origine du monde* suum pariter edidit systema. Lucem et aquas primitus creatas putat, ab aqua autem tum aerem, ut ex nova Chemia, tum reliqua corpora compacta fuisse ait, et quidem eo ordine res evolvit, ut Mosaicae simul Genesi approximare contendat. Carolus Bonnet in sua *Palingenesie Philosophique* triplicem mundi statum comminiscitur, ac metamorphoses ei applicat, quas in insectis quibusdam conspicimus; ut nempe in primo statu velut vermis informis fuerit, nempe ante Mosaicae Genesis ordinem, in altero seu praesenti statim sub forma chrysallidis, in ultimo sub papilionis forma futurus sit, successiva germinum puriori eruptione, et sic erit coelum novum, et terra nova, ut ait Apostolus; enormem porro hisce periodis diuturnitatem conciliare studet; at nedum Sacrae Genesi vim infert, sed et futuram nostram resurrectionem, pluraque miracula adoptatae praeexistentium germinum evolutioni attribuit. Hisce diebus P. Anfossi O. P. hoc irreligiosum et anti-physicum somnium evertit in opere: *la Palingenesi filosofica di Carlo Bonnet convinta di errore.* Venezia 1802.

Ast vel ipsa harum, aliarumque plurium hypotheseon varietas, ac mutua auctorum digladatio satis evincunt a sana philosophandi norma longe abscedere quotquot ad humanae investigationis lancem res divinitus manifestatas expendere praesumunt. De his omnibus apprime verificatur quod Eccl. 3. 11. legitur, *cuncta fecit bona in tempore suo et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Absit tamen ut praefatas cosmogonias aequaliter Bibliis sacris adversas traducamus, earumque auctores paris criminis postulemus, cum plerique etiam Catholici, phisicae

tantum indagini studuerint, nullo dogmatizandi aestu abrepti; ast, quod aequi bonique ferant, hoc ipsum haud satis eos exculpare dixerim, cum, ut mox indicavimus, agatur de re superna revelatione nobis brevi calamo a Moyse adumbrata, et circa quam nullus non sensit perperam in ea explicanda humanum torqueri ingenium; multoque magis pseudo-philosophi, ac male feriati Christiani notam incurreret, qui theorias, vel hypotheses Scripturis Sacris non congruas se impune venditare posse arbitraretur, ea frigida fultus excusatione se phylosophice non theologice loqui, quasi veritas veritati contraria esse possit, quod philosopho non minus quam theologo asserere piaculum. Mosaica ergo Genesis religiose tenenda, non temere adulteranda, nec humanae imbecillitas mentis ea, quae a libera Dei voluntate pendent, ad suum jus pertrahere praesumat. Legatur Job. c. 38. Caeterum si et phylosophi personam agere velimus, praesto nobis est eadem Mosaica Genesis, sive quia nullam aliam hac praestantiorem repereris, ut Pluche *in Histoire du Ciel*, de Luc *Lettres* etc. Baruel *Lettres Helviennes* t. 1. aliique monstrarunt, sive quia impactae in eam exceptiones, et cavillationes penitus a strenuis apologistis, et theologis expunguntur. Jamjam Celsus, Julianus, ac Manichaei recentioribus nostris pseudo-criticis praeivere, eospue solide protrivit Origenes *Contra Celsum*, S. Cyrillus Alex. *Explanat in Genesim*, S. Aug. *de Genesi contra Manichaeos*. Quia vero non infrequenter ab iis, qui mundum longe antiquiorem volunt, in suarum hypotheseon patrocinium vocari solet explicatio mystica seu allegorica sex dierum creationis ab Augustino prolata, quam Angelicus indicat q. 74. a. 2. ubi vespere et mane eorum sex dierum ad diversam Angelorum cognitionem referuntur, quasi hoc pacto non sex vero creationis dies, sed eam in momento factam, ac idcirco indefinitum tempus admiserit Augustinus, ideo operae pretium est S. Doctorem clarius loquentem audire, ut quam male ejus suffragio nonnulli glorientur eluceat. Ait itaque in l. 8. de Gen. ad litt. c. 1. n. 4. de iis, qui litteraliter interpretantur: *solidius divini eloquii narrationem intelligere, et secundum regulam fidei exponere, quibus refragari non nisi infideliter pertinax possit.* Capite autem 2. n. 5. aperte ait binos priores libros de Gen. ad litt. *recenti tempore conversionis* se exarasse, *quando*, ut ait, *non mihi occurrebant omnia quemadmodum proprie possent accipi, magisque non proprie accipi videbantur . . . ne retardarer quid figurate significarent ea, quanta valui brevitate, ac*

perspicuitate explicui. Nunc autem quia voluit Dominus ut ea diligentius intuens intelligerem, existimavi etiam pro me posse secundum propriam, et non secundum allegoricam locutionem haec scripta monstrari. Et reapse solus contextus, et regula fundamentalis, quod sensus litteralis tenendus sit ni absurdum includat, sat ostendunt haud licere sex creationis dies alio sensu apprehendere. Adde quod Exod. 20. 8. 9. 11. expresse ordo hebdomadae pro operibus servilibus repetitur in memoriam sex dierum creationis, qui ritus apud omnes populos universalis et sacer aperte indicat tum primitivam divinam institutionem, cum etiam ipsiusmet institutionis causam seu recordationem sex dierum operum Dei, et requei die septimo, utut de La Laud in sua Astron. l. 1. hunc septenarium dierum numerum a variis lunae phasibus, quae singulo circiter septiduo variantur forsan prodiisse conjiciat. Nihilominus simultanea et ab indeterminato aevo rerum creatio Augustiniana etiam a quibusdam aliis fuit asserta e. g. Philone, Origene. Sed ut ait ipse Berti l. 11. c. 21. Augustiuianae allegoricae explicationis caeteroquin propugnator: *Sex dies naturales esse et spatio 24. hor. percurrentes sentit major numerus et Patrum, et theologorum, et interpretum.*

Neminem latet juxta Chronologiam S. Scripturae 6000 annos circiter fluxisse a mundi creatione ad nos ex haebraico textu, vel additus 1760. an. ex textu septuaginta Interpretum; ac ingens novatorum cohors tam arctam periodum haud sufficere apertis buccis conclamitat, ut vetus, ac praesens naturalium rerum status rite explicetur, physicam, astronomiam, historiam in medium proferunt. Vetustissimorum vulcanorum vestigia, petrificationes conchiliorum, piscium, aliorumque corporum congeries ad magnam profunditatem in montibus, ac vallibus; montium formationes, maris recessus, ac transitus ad alia loca; varietas in obliquitate Eclipticae Zodiaci recens in Aegypto reperti, duo nempe Dindarae, et alius Hennei, remotissimae annorum astronomicae periodi, ac observationes, Sinensium Aegyptiorum, Indorum, aliorumque populorum Chronologiae etc., velut achillea argumenta omni eruditionis, ac lenocinii apparatu premuntur, urgenturque. Verum reliquis et quidem sublimioris subsellii viris facilis negotii fuit objecta omnia convellere, physicasque immutationes praesertim ab universali repetunt diluvio, cujus veluti numismata dici queunt, ut optime ait Jacquier, cujus veritatem, et effectus videsis contra neotericos cavillatores apud Bergier *Traité historiq.*

et dogmat. et Encyclop. met. Theod. art. *deluge. Monde.* Nonnotte dict. philos. art. *deluge,* ac hisce diebus Filiasi in dissertatione italica hac super re edita, in qua juxta recentiorem theoriam chimicam quantitate compositionis aquae, antiqua de aquarum diluvialium oppositio evanescit. At quoad astronomicas historicasque observationes, ceu omnino labiles, ac fabulis immixtae omni carent vi, prout apud indicatos Bergier, Nonnotte, de Luc, ac Para in Addit. ad physicam, P. Anfossi contra Bonnet, Gerdil *in Saggio d' istruzione teologica,* ubi de Deo creatore, auctor *de l' Antiquité devoilée par les usages,* etc. Singulari autem animadversione notandum est circa famigeratissimos Zodiacos a Galfis in Aegypto nuperrime detectos quod eorum epocha perperam ad 4000, ad 6000 an. ante nos extendatur, immo et remotior mundi antiquitas deducatur, e. g. 15000 annorum quando Zodiacus confictus ab Astronomis fuit dum nempe solstitium aestivum in Aegypto respondebat constellationi sagittarii; ut contendunt Zach, et Burkard an. MDCCC. namque hoc anno MDCCCII. prodiit assertae hujus antiquitatis confutatio in opere Francisci Gusman *sugli antichi Zodiaci dell' Egitto;* et Romae in nova *Accademia di Religione Cattolica* a Dominico Testa dissertatio habita fuit die 5 Julii hoc ipso anno, qua praedictorum Zodiacorum epocha haud pervetusta demonstratur, summa eruditionis, ac soliditatis laude, adeo ut eam typis vulgari desiderent omnes. Heu! quam turpiter sibi contradicunt adversarii, dum severioris criticae canones in nos continuo urgent, et ipsi interim veritates inconcussas SS. Bibliornm levibus conjecturis respuunt.

Solet quoque carpi ab adversariis lucis ac dierum existentia ante solem, qui nonnisi quarta die factus legitur, immo et ista solis efformatio post terram ceu contraria Copernicano, ac Newtoniano systemati traducitur, in quo sol est centrum revolutionis terrae, aliorumque errantium siderum, unde cum Burnetto, ac Wisthono ea verba *fiant luminaria* accipienda volunt *appareant luminaria*, quae nempe antea extiterint; nec in nos debacchari desistunt, quod Scriptura tellurem immotam supponat. Insuper quoad Adam, eum ceu omnium hominum protoparentem, post alios quosdam, inficiatur Peyrerius Calvinista in libro *Praeadamitae,* an. MDCLV. in quo hebraeos, utique ab Adamo, sed Gentiles ab alia longe anteriori stirpe gnatos comminiscitur, unde praeadamitarum secta prodiit. Adsunt et qui varias hominum species e vario etiam colore nigro et albo,

ex varia statura gigantea, mediocri, pumilari, aliisque inter eos diversitatibus cum Voltaire obtrudunt, nec non plura alia intorquent objecta contra Mosaicam sex dierum creationem.

At ut vel perfunctorie aliquid tangamus, non veterum plerique solum, sed et novissime hac ipsa aetate incomparabilis Herschel de astronomia optime meritus confecta peculiari dissertatione sibi probandum proposuit, lucem haud in sole esse collectam, sed ab eo sejunctam, adeo ut et ipse opacus sit et ex ea splendescat. Lux ergo sine sole intelligi potest. Qnod vero attinet ad solis aliorumque siderum formationem quarta die, improbanda est Burneti, ac Wisthoni interpretatio, cum statim legatur *fecitque Deus duo luminaria magna.* Nec quidquam facessit Copernicanum, ac Newtonianum systema, siquidem istius auctores nostris adversariis multo sapientiores, prudentioresque, praesentem tantummodo mundi statum, quantum humana mens patitur, sunt contemplati, non vero sunt ausi pronuntiare quid ab exordio Deus facere debuerit. Nec tacenda hoc loco impudens quorumdam in S. Inquisitionem calumnia, quasi Galilaeus ob Copernicanam theoriam assertam fuerit carceri mancipatus: duplex namque falsitas in hoc subest, tum quia haud carcere detentus fuit, sed in liberiori, nobilique diversorio est commoratus Romae dum a S. Inquisitione fuit accersitus, tum quia non ob rotationem terrae admissam, sed ob pervicaciam interpretandi S. Scripturae loca, ut eam rotationem ceu dogma traduceret, contra expressam S. Inquisitionis antecedentem proibitionem, fuit ad palinodiam damnatus, nempe ut imprudens theologus, non ut celebris astronomus, nec non ejus *Dialoghi delli sistemi del mondo* censorio stigmate pari ratione percussi fuere, ut observat Bergier in Encyclop. method. Theol. art. *Monde* ex authenticis monumentis historicis relatis in *Mercure de France*, MDCCXVIC. n. 29; jamque in omnibus etiam ecclesiasticis academiis libere praefatum astronomicum systema viget, nec obstat Inquisitio, quae solum vetat quominus assumatur ut thesis, ne vel ipse verborum litteralis cortex de immobilitate terrae laedatur, quamvis hodiarna luce hic idem scrupulus evanescere videatur dum objecta Scripturae loca juxta vulgarem loquendi morem accipi solent, ut et ipsimet Copernicani, ac Newtoniani communiter ajunt sol oritur, occidit, ad meridiem pergit etc. prout sensibus apparet; non enim Moyses Astronomos docebat, sed ad populum verba faciebat. Demum quoad errores circa unius protoparentis Adami creationem, jam ipsemet sectae praeadamitarum

dux Peyrerius coram Alex. VII. hujusmodi errorem simul cum Calvinismo ejuravit; et Theologi passim, ac Physici praestantissimi unam eademque omnium hominum originem fuisse evincunt ut Natalis Alex. Zaccaria, *Ephemerid. Trevolt.* MDCCXXXVIII. du Manet *in nova historia Africae*, MDCCLXVII. Buffon *in hist. natur. de l'homme;* Auctor *des Recherches philos. sur les Americains.*

Qui plura e Patribus aliisque scriptoribus in hac parte desiderat, adeat praeter laudatos Origenem, Cyrillum, Augustinum, Lactantium *de Opifico Dei*, Basilium in homiliis circa idem argumentum, S. Ambrosium, ac S. Gregorium Nyssenum *in Examerон.* S. Jo. Chrys. in expositione Genes.. omnesque veteres, recentioresque SS. Bibliorum interpretes, ut novissime du Contant. Becchetti egregie scripsit *Teoria generale della terra* an. MDCCXXXII. et Pini *Rivoluzioni del globo terrestre in Mem. Società Italiana t.* 5. et 6. Veronae 1796.

Quoad paradisum terrestrem eum mystice tantum acceperunt Phylo Judaeus, ac Origenes, contra quos stat Patrum auctoritas; plura scitu jucunda et erudita apud Malvenda, de *paradiso voluptatis.*

Jam ubi de Deo, errores indigitavimus eorum, qui bona, ac mala a diverso repetebant principio. Nunc quoad mundi creationem attinet, notandi sunt plures Concilii Bracharensis an. DLXIII. canones, quibus Priscillianistae, et alii hoc luto faedati pulsantur, e. g. c. 13: *si quis dicit creationem universae carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

Post Leibnitium celebris agitatur quaestio de *mundi optimismo*, utrum nempe praesens mundus sit omnium perfectissimus, et optimus, quem Deus creare sua sapientia, bonitateque potuerit. Affirmat paaefatus Leibnitius in sua *Laodicea* cum Wolfio, quibus praeludere visi sunt Abaelardus saec. XII. ac Wicleffus saec. XIV. hoc ceu anti-philosophicum, et anti-theologicum exploditur vel ab ipso D. Thoma in Q. *de potentia Dei*, a. 5. *contra Gentes* l. 2. c. 23.

§ IV.

De Homine.

Si vel intimum sensum, artium, scientiarumque progressum, civiles, morales, religiosasque institutiones consulamus, multoque magis si revelationis oracula audiamus nil in adspectabili hoc mundo homine dignius, quem ad imaginem et similitudinem suam creavit Deus, voluitque praeesse piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, Gen. 1. Verum quod maxime dolendum, quasi haud satis nobis sit per peccatum primi parentis humanae sublimitatem naturae in deterius fuisse actam, eorundem quoque hominum turpis rebellio in seipsos accedit, qua tantam a se dignitatem dispellere ambiunt, seque brutis aequiparare intendunt, enormi sane contradictione dum se exclusive philosophos venditant, simulque omnis philosophiae fontem, qui ex humana praestantissima ratione scaturit, praecludentes. Primo ignorantiam, passiones, infirmitates, mortem, animalium quorumdam indomabilem ab hominibus naturam ut Manichaei Augustino objiciebant humanae dignitati derogantes, velut demonstrativa argumenta proferunt quod nequaquam praelaudatis privilegiis homo prae caeteris animantibus ditatus a Satore fuerit; secundo brutorum instar homines in species dividunt, nec ab eodem protoparente genitos volunt, ut in praeced. §; tertio animam humanam cum Lucretio totaque materialistarum turba *ex subtilibus per quam minutis, atque agitatissimis particulis*, repetunt, vel cum Hobbesio ipsius animae operationes ex sola cerebri actione, ac reactione, aut cum Helvetio ex *phisica sensibilitate* derivant; et mitiores cum Lockio etsi animae materialitatem non asserant, eam Omnipotentiae Dei possibilem effutiuut; quarto quidni dicendum de ipsius animae corruptibilitate, ac mortalitate si eos audiamus. Quinto, immo ex ipsamet S. Scriptura tam enormes errores confirmare sibi blandiuntur, materialitatem quidem ex iis verbis Gen. 1. quibus animae infusio indicatur in Adam, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*, quasi materialis aeris flatus ibi denotetur, dein ex Lev. 17. ubi Moyses ait: *anima omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israel:*

sanguinem universae carnis non comedetis, quasi Hagiographus hoc loco nedum aperte animam generice materialem dixerit, sed insuper cum risu excipiunt quod eam in sanguine posuerit. Sexto. Ipsos quoque Ecclesiae Patres in invidiam pertrahunt velut nullum spiritum agnoverint, sed Deum, Angelos, anima subtili, levique materia instar aeris aut ignis constare docuerint. Septimo. Quoad interitum animae, verba ex *Eccl.* 3. et *Sap.* 11. quae parem bestiis hominibusque finem videntur innuere, acriter urgent, doctrinamque de immortalitate Judaeos nonnisi post Babilonicam captivitatem a Chaldaeis, aut Persis hausisse etc.

Verum enim vero debuissent potius, si philosophi esse ex animo velint, relate ad primam errorum partem originalis peccati poenam, de quo infra, et 2. 2. q. 85. 86. 87. humili religiosaque confessione inde concludere; hac tamen manente quoad jus, et ut plurimum etiam in praxi, intrinseca homini praerogativa, adeo ut ubi ejus vires desint, sagacitas, et prudentia suppleant; vide *Etudes de la nature,* t. 2. Diversam vero hominum originem in § 3. propulsavimus. Objectiones contra animae spiritualitatem illico evanescunt iisdem prope argumentis quibus Dei, et Angelorum simplicitas arguitur; addendum est autem quod essentiales materiae proprietates etiam si quae investigandae supersunt, cum non excludant soliditatem, figuram, compositionem etc., ne quidem Dei omnipotentia fieri possit ut cogitatio quae est actus simplex, multoque magis ratiocinatio quae ex activa collatione duarum ad minus idearum exurgit, inde obtineatur semper enim pugnat cum notis materiae attributis, nec quisquam vel fingere potest suas cogitationes esse aliqua figura donatas, divisibiles, solidas, extensas etc. Dein fas esset dicere quod cogitatio vel ad singulis corporis particulas pertineat, quod absurdum profecto; esset enim plures immo infinitae in nobis cogitantes substantiae, quae nostro resoluto corpore, cogitarent in aliis corporum speciebus, in quae trasmutarentur; vel non omnes cogitant et novum profluit absurdum cum ex partibus non cogitantibus oriri nequeat cogitatio, multoque minus duarum aut plurium comparatio idearum, unde judicium et ratiocininm emergunt, quae ad simplicissimum, ac perspicacem mentis actum spectant, a quo iners, ac stupida materia longissime abest. Adde agilitatem, ac sagacitatem humanae mentis, adde voluntatis imperium in corpus, rerum generalium, et non materialium ideam, utpote virtutis, numerarum, ac figurarum relationumque purae metheseos, nec non metaphysi-

carum, theologicarumque investigationum. Immortalitas autem animae tum ab intrinseco, sive ex incompositae ejus naturae incorruptibilitate ex se, tum ab extrinseco, seu ex Dei voluntate rerumque ordine, dilucide comprobatur, non enim virtuti debita laus et praemium, nec vitio digna rependeretur poena, ni in alteram reservaretur vitam justum animae perpetuo mansurae judicium. Nulla alioqui legibus sanctio, nulla radicalis vitii virtutisque distinctio, si omnia simul cum corpore finirent, immo longe felicior impiorum status, qui vaferrime humanas eludunt poenas, et affluenter pacateque vivunt. Adest et beatitudinis ingenitum desiderium, ac insatiabilis completae fruitionis cupiditas, in sola aeternitate exsaturanda. Adest et omium gentium cura et honor pro mortuis, Dei remuneratoris, ultorisque cultus, etc.

Quoad S. Scripturam, in cap. 1. Gen. eo ipso quo post formatum Adae corpus dicitur inspiratum ei fuisse spiraculum vitae a Deo, jam elucet hoc ipsum spiraculum diversae omnino esse substantiae a corpore jam effecto, videlicet substantiam spiritualem fuisse, ut hac praecise homo fieret ad imaginem et similitudinem Dei, non enim secundum corpus Deo similis est, ut ex D. Thoma q. 93. Circa verba Levitici, vel Moyses indicare voluit dumtaxat brutorum vitam, non vero animam, nec ideo carpendus videretur quod sensitivam vitam in sanguine posuerit cum et praestantes physici id senserint, vel potius hoc ad mysterium sanguinis referebat, quatenus per sanguinem animantium expiabatur a peccato in praefigurationem Sanguinis J. C., cujus virtute remissio conceditur. Aliunde pluribus in locis S. Scripturae anima a corpore distinguitur, et peccatorum sordes, vel virtutum merita, nec non aeterna retributio, et punitio aperte animae naturam a mortali hoc corpore diversam innuunt

Quoad Patres, utique scholarum, communisque eloqu' usui indulgentes verbis minus praecisis aliquando anima. naturam expressere, cujusmodi voce corporis pro indicanda ejus substantia, et diffusionis, motus, quantitatis etc. pro ejus praesentia in qualibet corporis parte: at tantum abest ut ideo materialismo faverint, ut potius animae intelligentiam immortalitatem libertatem strenue asseruerint, quae omnia certe spiritualitatem supponunt. Hanc autem saec. III solide demonstrarunt Plotinus e Platonica schola, in 4 Enneade, dein S. Athanasius, S. Jo. Chrysost. S. Greg. Nazianz., S. Augustinus praesertim in l. *de quantitate animae*, ac l. 10 *de Trin.* etsi eum materialismi insimulent neoterici quidam calumniatores; ac aliis deinceps. Demum allata Eccle-

siastici et Sapientiae loca, patet vel insanarum, Epicureorum more, objectionum instar, esse accipienda, vel quantum ad mortem corporis tantum, ut q. 75, a. 6 D. Thomae habetur, jamque in eodem Eccli. c. 8. 7. 8. et alibi dilucide immortalitas animae enuntiatur. Insuper Deus dixit ad Cain, Gen. 4. 7. *nonne si bene egeris, recipies: sin autem male statim in foribus peccatum aderit?* at Abel justus haud in hac vita mercedem recepit, sed a Cain occisus interiit, ergo eam recipere debuit in alia vita. Patriarchae volebant apponi ad patres suos in sui corporis humatione expectantes salutem Christi venturi. Ipse Job alienigena pluries immortalitatem animae et futuram resurrectionem profitetur; idipsum in Psalmis et aliis Sacrorum Bibliorum paginis; ecquid ergo hebraeos hanc fidem a Chaldaeis et Persis mutuatos fuisse comminiscuntur nostri pseudocritici?

Neque cordatiores adversarios repereris ubi agitur de animae libertate praeter fatalistas et eos quorum deliramenta innuimus ubi de scientia Dei. Leibnitius in scenam prodit e philosophis, omnes humanos actus ex praestabilita animae corporisque harmonia in suis separatis functionibus ulla absque reali mutua dependentia derivans. Et revera motus corporis necessarii sunt independenter a voluntate animae; cujus idcirco dominium in externos actus tollitur, et insuper in perpetuo versaremur errore, dum liberos nos in corporeis humanis actibus arbitramur; frustraque leges, praemia, ac poenae statuerentur, si actus sint necessarii. Eccur animadverti posset in corpus, si horologii instar suos actus intima, ac necessaria praeordinatione exerceret? Jansenius vero e theologis humanae libertatis radicem convellit, sentiens *quod ad merendum demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione,* quae propositio est ordine tertia e quinque damnatis ex ejus libro Augustinus inscripto, ab Innocentio X. an. MDCLIII. aliisque Pontificibus, et ceu *haeretica* proscribitur. Idipsum antea haereticus Bucerus, et Bajus asseruerant, quod a ratione, ac fide abhorret. Germanam arbitrii libertatem, nedum a coactione, sed et a necessitate astruit S. Scriptura, Gen. 4. 7. Eccl. c. 15. et 31. I Cor. 7. 37. D. Thomas q. 82, a. 2. et q. 83. a. 1. et alibi, mox notatos errores praedamnat.

Etiam quoad salebrosam animae originem, permulti philosophorum, in varias abjerunt sententias. Platonici arbitrati sunt animas esse divinae substantiae particulas seu emanationes, atque hujusce absurdissimi erroris non veretur Beau-

sobre ipsos quoque Patres insimulare in sua coenosa *Hist. du Manich.* l. 6. c. 81. quod rationi aeque, ac revelationi repugnat, et Concilium Toletanum I an. CD. nec non Bracharense II an. DLXIII. hoc ipsum in Manichaeis, ac Priscillianistis damnarunt. Origenes autem animas extra corpora creatas fuisse ait, in haec autem detrusas ob flagitia antea perpetrata, ut videre est apud D. Thomam q. 47. a. 2. et q. 90. a. 4, et apud August. l. 11. *de Civ. Dei*, c. 23, et *ad Orosium* c. 8. contra praefatos Priscillianistas, qui hac etiam labe origeniana inficiebantur, contra quos extat canon in eodem Bracharensi Concilio. Concilium autem Viennense Oecum. XV, sub Clemente V, an. MCCCXI. absolute definiit: *quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva, non sit forma corporis humani per se, et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus.* Quidam insuper extimarunt solam Adae animam ex nihilo fuisse creatam, reliquas vero simul cum semine per *traducem* a parentibus in filios transmitti, quod a spiritualis animae natura abhorret, quodque rejicitur a D. Thoma q. 118. a. 2. l. 2. *Contra Gent.* c. 86. *de Potentia* q. 3. a. 9. *Quodl.* 12. 11; Aug. l. 10. *de Pen. ad litt.* c. 21. Utrum autem animae de nihilo fiant, cum Bellarmino dicendum *ut S. Augustinus disputat in Epist.* 28. (nunc 166.) *ad Hieronymum, nullus fortasse Scripturae locus invenietur, in quo perspicue doceatur animas non fieri ex propagine, sed creari.* Anceps idcirco haeret hac super re Augustinus, nec alii unius sunt labii. Penitus autem eliminanda commentitia Aegyptiorum, Pythagoreorum, Stoicorum, Platonicorum, et Manichaeorum opinio de transmigratione animae ab uno in aliud corpus, quod metemphycosis a Graecis nuncupatur.

Circa vero haec aliaque omnia ad animas spectantia, metaphysicos et apologistas consule, quorum fertiles seges ibi praesto esse potest: e. g. inspicito Gardini *anima umana*. Spaeciatim quoad liberum animae arbitrium adisis e Patribus praeter S. Methodium in tract. *de lib. arb.* Paulum Orosium *Apolog. de lib. arb. adversus Pelag.*, S. Aug. pluribus in libris, ubi de gratia, ac libero arbitrio, nec non S. Anselmum, S. Bernardum, D. Thomam q. 82. a. 2. q. 83. a. 1. in l. 2. q. 10. 13. *de verit.* q. 22. 23. *de malo* q. 6. *Contra gentes* l. 2. c. 47. 48.

Nec hodierna luce theologum praeterire debet disquisitio de brutorum anima, cum huc praecipue adversariorum

insania vergat ut iis parem nobis animam adjudicent, plerosque veterum Philosophorum secuti, Democritum, Anaxagoram, Pythagoram, Platonem, Galenum, etc., immo non defuere qui eorum animam meriti, ac demeriti capacem asseruerint, ut speciatim Rorariusqui insuper eam humana prestantiorem dixit cum Celso. Et adverso Aristotelici, quos inter S. Thomas q. 75. a. 7. et l. 2. *contra Gentes* c. 80. et 82. et l. 4. c. 39. distinguentes animam sensitivam a rationali, illam tantum animantibus tribuebant, jamque juxta hos brutorum anima non ex materia constat, est tamen materialis quantum ad sensitiva objecta, in quae se exercet, non enim ulla eorum invenire operatio est, quae ad praesentis, ac sensibilis ejus conditionis statum non referatur juxta ineffabiles divinii consilii leges, qui omnia in suos fines opportunis mediis direxit. Cartesius imperio philosophiae peripateticae bellum indicens hanc quoque insectatus est sententiam, et hujusmodi animas pura mechanica authomata judicavit, quod post longum scholarum aestum rejectum fuit. Locke differentiam praecipuam, inter animas hominum, ac brutorum statuit in eo speciatim, quod illae ideas generales et abstractas habent, hae non item. Bougeant vero in sua dissert. *Amusement* sive *Trattenimento filosofico sulle bestie* has a daemonibus animari suspicatur, et quidem per successivam horumce daemonum metempsycosim usque ad judicii diem, quo plene punietur, et ingenti studio id evincere satagit, fortasse joci ergo, ut fertur; palinodiam tamen illico cecinit dolens de plurium Scripturae textuum explanatione detorta. Recens Gebelim animalium idioma investigavit. Quod in hac intricatissima indagine certum est: sola hominum anima meriti, ac demeriti capax est, utpote in finem supernaturalem, Deique fruitionem destinata per liberi arbitrii exercitium. Legatur *Anima Brutorum* Neapoli MDCCXLII. Montanari *Trattenimento Metafisico,* Reduschi nostras *il sistema delle insensibili gradazioni* in l. 11. *Nuova Raccolta Calogeriana d' Opusc. Scient*, ubi recentiorum insania continua rerum serie, ac ligamine humanam cum belluina anima confundentium refellitur.

Nunc nonnihil de homine qualis o Deo primitus creatus fuit, et qualis dein propria effectus est culpa. Ex his quae D. Thomas ponit q. 95. a. 1. et q. 97. a. 1. elucet justitiam, ac gratiam primo homini collatam, et immunitatem a miseriis et morte haud exigentiam ipsius naturae fuisse, sed Dei donum; hac autem occasione recensenda venit

famosa illa quaestio de status naturae purae possibilitàte, nempe absque hisce donis, et in solis naturalibus; de possibilitate autem solum agitur, nam reapse non extitit, ut ex Ephes. 4. 25. ac q. 95. a. 1. Angelici pater. Pelagiani originale peccatum, et gratiae necessitatem inficiantes, nedum possibilem in prima creatione statum naturae purae, sed et realem in nostra ipsamet conditione haeretice docuerunt; adeoque infelicitatem, ac mortalitatem praesentis vitae, non peccati originalis poenam, sed naturae consectaria crediderint. Ex adverso incessit Lutherus in Comment. ad c. 3. Genes. quem secutus fuit Bajus saec. XVI. hanc naturae possibilitatem ablegans eo pacto, quod et integritas, ac exaltatio primi hominis ad finem supernaturalem ejusque immortalitas juxta ipsum fuerit naturalis conditio humanae naturae, non vero gratiae beneficium; et huc tendunt ejus propositiones 22. 27. 34. 36. 55, 78. 79. inter 79. a S. Pio V. damnatas an. MDLXVII. et MDLXX. et a Gregorio XIII. an. MDLXXIX. quas anno sequenti MDLXXX. Bajus verbis, et scripto revocavit. Jansenius dein in suo *Augustino* ab Urbano VIII. an. MDCXLII. damnato, praefatam Baji sententiam restituere studuit, nec non Quesnellus in prop. 35. 101. a Clemente XI. an. MDCCXIII. in costitutione *Unigenitus* confixis asseruit: *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae;* ac nuper idipsum recoxit synodus Pistoriensis, ut liquet in prop. 16. et 17. ex 85. in ea proscriptis a Pio VI. anno MDCCXCIV. in bulla *Auctorem Fidei.* Porro inter utrumque e praefatis damnatis erroribus, binae Catholicis in scholis vigent sententiae: Thomistae pro possibilitate purae naturae decertant, quatenus ut ex D. Thoma superius indicavimus, justitia originalis in qua creatus fuit Adam, multoque magis gratia sanctificans ad donum Dei pertinet, adeoque juxta Lemosium in Tract. I. *de Laesione lib. art.* c. 13, potuisset Deus *absolute* creare hominem *in puris naturalibus ipsi naturae debitis, absque ordine aliquo ad supernaturalem finem, cum solo ordine ad finem naturalem, qui posset cum generali Dei cuncursu illi statui proportionato per aliquod breve tempus Deum auctorem naturae super omnia diligere, et totam naturalem legem implere. In hoc omnes sine controversia conveniunt.* Dicit autem *per aliquod breve tempus,* ut plenam, ac diuturnam mandatorum observatiam absque peculiari gratiae auxilio in eo statu haud possibilem innuat; siquidem et tunc tentationes extitissent ex quadam naturali concupiscentia, longa diversa ab illa post peccatum;

utriusque discrimen patet ex D. Thoma q. 85. a. 3: *concupiscentia in tantum est naturalis homini, in quantum subditur rationi; quod autem excedat limites rationis, hoc est homini contra naturam;* porro idem S. Doctor hoc rationis imperium in primo Adae statu non ex natura, sed ex gratiae dono repetit, in cit. q, 95. a. 1. et praelaudatus Lemosius inquirens in peculiare hoc auxilium in statu possibilis naturae purae, ait *non esse debitum illi statui, sed Deum ipsum debere sibi, et providentiae suae (supposito quod talem hominem condere vellet) illi dare speciale auxilium, quo posset diu totam naturae legem servare, et in illa perseverare, si vellet; sicut et modo gratia infallibiliter contrito homini datur, nec tamen contrito homini debetur; sed sibi ipsi Deus debet, et legi, quam statuit, talem gratiam dare.* Absit autem ut Thomistae existiment hominem in statu naturae corruptae a statu possibili naturae purae differre tantummodo ut nudatum a nudo, sed potius ut sauciatum a sano, ac idcirco minus eis arrident Theologi illi, qui adhuc purae naturae statum in homine ponere videntur, dum ajunt illum sine gratia omnia agere naturaliter posse in praesenti infesta conditione, quae in pura agere potuisset; sicut etiam beatitudinem illam naturalis ordinis, quam assequi potuisset homo in pura natura ordinatus ad Deum amandum ut naturae auctorem, omnino denegant parvulis sine baptismo decedentibus; at vide 3. part. D. Thomae q. 68. et in Supplem. ac Append. c. III. Naturae purae possibilitatem admittunt et Moliniani, sed plerumque iis cum consectariis quae mox vidimus a Thomistis expungi. Augustinani vero passim hujusmodi statum ceu impossibilem dicunt, non quidem in se ipso, vel in divina Omnipotentia, sed in ordine ad providentiam Dei, quem non deceret iis mediis destituere humanam naturam ad supernaturalem finem ordinatam; longe autem sunt a Bajanismi erroribus in hac re, dum et ipsi hos damnant, et auxilia divina ceu vera dona agnoscunt, etsi aliquo pacto debita humanae naturae, non quidem ex exigentia creaturae, sed ex decentia creatoris. Vide Berti *in Augustiniano systemate vindicato, dissert.* 2. c. 1.

Ut supra innuimus hic purae naturae status dumtaxat ut possibilis disquiritur, non enim unquam extitit, ut falso Pelagiani ubtrudebant; ac decretorium prorsus est quod legitur Ephes. 4. 23. *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deus creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Consonat. Trid. sess.

5. can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, ac justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*... Nec quodquam facessit si loco *conditus* legatur *constitutus.*

Dissident quoque praecitatae Scholae quoad actualis gratiae qualitatem qua primus homo ad perseverandum indiguisset; Moliniani cum Augustinensibus eam tantummodo sufficentem, seu qua possunt perseverare in bono si voluissent in homine et angelis admittunt, non vero efficacem, ac praedeterminantem, qua reapse perseverarent prout volunt Thomistae. Hac etiam de re legere juvat citatum Berti de *Theol. discipl.* l. 12. c. 8. Gazzaniga *de Gratia*, p. 1. *dissert.* 5.

At non diu stetit homo in accepta justitia, abususque gratiae actualis munere, se suosque posteros lacrymabili labe pollit, quae originalis peccati nomine venit. Istiusmodi peccatum Theodorus Mopsuestiae Episcopus soli Adae et Evae nocuisse dixit; hic Ruffinum in errores accivit, Ruffinus vero Pelagium, a quo haeresis contra originale peccatum nomen est nacta; mortemque, ac reliquas animi corporisque miserias a naturae humanae conditione repetebant, ac idcirco sauciatam a peccato naturam inficiabantur, nec necessarium gratiae auxilium arbitrabantur ad bene agendum, sed tantum utile ad facilius agendum. Si Augustinus, et Hieron. variis libris Pelagianos sunt insectati; concilia pariter duo Carthag. an. CDXII. et CDXVI. Milevitanum, quae Innocentius I. R. P. sua auctoritate communivit, unde S. August. Serm. 131. *de verbis Evang. S. Jo.*, inquit: *causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Zosimus Papa, aliique Patres et Concilia Pelagianum virus exterminare repetitis damnationibus insudarunt. At illud ab orco revocavit saeculo XVI. Zuinglius, unde Trid. Concil. in Sess. 5. iterato, ac fuse Pelagianos errores de originali peccato confixit; Sociniani, et proxime Arminiani dein novas blasphemias reiterarunt. Luculentissima ex utroque Testamento oracula pro existentia, ac trasfusione universali originalis peccati demonstranda a Theologis obvie apponuntur, et ab hostium cavillationibus solide eximuntur, nec non Patrum, Pontificum, ac Conciliorum auctoritas adjungitur, quae pariter suae vi restituitur praesertim quoad Patres S. Jo. Chrysost. Clem. Alex., Tertullianum etc. ex innoxiis quibusdam minus praecisis axpressionibus impie Pellagianismi accusatos; sicut etiam quoad Zosimum Pp. qui dece-

ptus a fictis dispositionibus Caelestii Pelagii asseclae, aliquibus visus fuit praefatis erroribus indulsisse, de quo etiam legi potest S. Aug. l. 2. *ad Bonifacium*, c. 3. et seq. Circa naturam vero originalis peccati, Massaliani saeculo V. quos Ephesina Synodus oecumenica damnavit, ajebant per peccatum originale Satanam personaliter iu omnibus hominibus dominari. Mathias Flaccus Illyricus tale peccatum haud aliquod accidens animam foedans dixit, sed ipsius animae essentialem mutationem e bona in malam naturam; Lutherani vero et Calvinistae hoc ponunt in effraeni concupiscentia, cumque per Baptismum haec minime auferatur, opus eis fuit desipere per baptismum haud peccatum originale deleri, sed tantum ex Dei misericordia non imputari. Horum autem omnium haereticorum errores a Concilio Trid. sess. 5 in decreto de originali peccato perstringuntur. Legatur ex integro Albertus Pighius qui Saeculo XVI. originale peccatum in Adae inobedientia nobis imputata effinxit, prout veteres quidam docuerunt, quos memorat, ac refellit S. Anselmus *de conceptu Virg. et orig. peccato.* Ambrosius Catharinus Pighii vestigia premens, actuale peccatum Adami esse proprie nostrum originale, non vero unicuique suum peculiare inesse dixit, quod pariter a dicto Anselmo extunditur, contrariaturque decreto Conc. Trid. Alias de originalis peccati natura opiniones videsis apud Pallavicini in Hist. Conc. Trid., et Gotti. D. Thomas in 1. 2. q. 82. a. 3. peracute rem investigans, ait peccatum originale esse formaliter in defectu originalis justitiae, materialiter vero in concupiscentia deordinata, et per baptismum quidem originalis justitia restituitur, quatenus anima Deo subditur, ac unitur, non vero praedicta concupiscentia tollitur, quae ad agonem ad virtutum exercitium nobis relinquitur ex Concil. Trid. sess. 5. Atque hic notandum quod Concil. Trid. declarat in eadem sess. 4. non esse suae intentionis ubi agitur de peccato originali, comprehendere B. V. Mariam, sed servandas jubet Constitutiones Xysti IV. sub poenis in eis contentis; praefatus autem Pontifex in prima constit. *Cum praeexcelsa*, an. MCDLXXVI. satuit ut omnes qui Missam et officium a se approbatum dixerint, aut audierint in die Conceptionis B. M. V. et per ejus Octavam, eas lucrari valeant indulgentias, quas Urbanus IV. et Martinus V. iis impertiuntur qui Missam et horas Canonicas celebrant, aut eis intersunt in die et Octava corporis Christi. In altera vero *Grave nimis*, an. MCDXLCCCIII. censuris perstringit eos qui alterutri de B. Virginis Conceptio.

ne sententiae nondum ab Ecclesia definitae addictos haereseos aut mortalis culpae reos assererent. Idipsum S. Pius V. an. MDLXXIX. jubet, et Paulus V. MDCXVI. confirmat, ac MDCXVII. vetat, ne publice negativa teneatur sententia, aliique dein Pontifices fortius piae sententiae de immaculata Conceptione favent; et licet Gregorius XV. ac Clemens XI. noluerint ut in festo, ac liturgia Conceptionis haec diceretur immaculata, tamen peculiare Officium Ordini D. Francisci concessum fuit, quo vere ut immaculata istiusmodi Conceptio colitur: celebre est quoque votum sanguinarium, quo equites ordinis militaris S. Georgii sese obstringunt ad defendendum proprio sanguine immaculatam Conceptionem, quod votum aut juramentum simul cum ipso ordine adprobavit Ecclesia, et idcirco perperam et audacter improbatur a Muratori velut a pervicacia profluens, *de ingenior. moder. in Religionis negotio*, l. 2. c. 6. Attamen eo ipso quo non de dogmatis defensione agitur, haud vere martyr efficeretur, qui pro tali pia sententia vitam exponeret, ut Benedictus XIV. in opere *de Canoniz. SS.* ostendit. Si penitus rem noscere cupias, praesto tibi sunt S. Anselmus, Catharinus, Natalis Alex., Salazar, Sardagna, Albertini, Schram, ac praeprimis vide adnot. Georgii in vitam P. Lagomarsini, Trombelli *in Vita Mariae V.* et Federici Mazzarelli *esame della Festa di Maria:* Generatim vero quoad originale peccatum, plura habet Angelicus in l. 2. q. 81. usque ad 87. in 2. 2. q. 163. ad 165. in l 4. Sentent. dist. 30. *de Malo* q. 4. *contra Gentes*, l. 4. c. 52. etc. Adest. S. Aug. in libris contra Pelagianos, et *de Civ. Dei*, l. 13. et 14; S. Anselmus *de peccato Originis*, Odo Cameracensis, Natalis Alex, Bartoloccius, Bern. de Rubeis etc., qui singulares in hanc rem tractatus concinnarunt. Atque ita esto finis adnotationum in primam Summam Theologicae partem.

Finis Tomi Primi.

ENCHIRIDION

DOGMATUM ET MORUM

TUTISSIMO AC UNIFORMI SCHOLARUM OMNIUMQUE
ECCLESIASTICORUM USUI ACCOMODATUM

EX SUMMA THEOLOGIAE

D. THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

AD VERBUM DEPROMPTUM

NOTISQUE AUCTUM

[illegible] AC

PIO VII. P. M.

DICATUM

A D. PLACIDO ZURLA

MONACHO BENEDICTINO CAMALDULENSI
AD S. MICHAELIS DE MURIANO VENET. S. TH. L.

TOMUS SECUNDUS

VERONAE
Typis Vicentini et Franchini
MDCCCLXI.

SYLLABUS

QUAESTIONUM

D. THOMAE AQUINATIS

IN TITULIS HUJUS SECUNDI TOMI EXPOSITARUM

EX PRIMA SECUNDAE

DE VIRTUTIBUS, ET PECCATIS

Q. 90. DE LEGIBUS.

DE GRATIA.

EX SECUNDA SECUNDAE

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

DE SPECIALIBUS HOMINUM STATIBUS.

SYLLABUS

APPENDICIS

C. I. DE LEGIBUS.

C. II. DE GRATIA DEI.

C. III. DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

C. IV. DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

DIVI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

SUMMAE THEOLOGIAE

PRIMA SECUNDAE

Prologus.

Quia, sicut Damascenus dicit, l. 2 orth. fidei, c. 12, homo factus ad imaginem Dei dicitur, secundum quod per imaginem significatur *intellectuale, et arbitrio liberum, et per se potestativum;* postquam praedictum est de exemplari, scilicet Deo, et de his, quae processerunt ex divina potestate secundum ejus voluntatem, restat ut consideremus de ejus imagine, idest homine; secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem.

DE ULTIMO FINE HOMINIS

(Q. 1.) DE ULTIMO FINE HOMINIS IN COMMUNI.

Ubi primo considerandum occurrit de ultimo fine humanae vitae: et deinde de his, per quae homo ad hunc finem pervenire potest, vel ab eo deviare. Ex fine enim oportet accipere rationes eorum, quae ordinantur ad finem. Et quia ultimus finis humanae vitae ponitur esse beatitudo, oportet primum considerare de ultimo fine in communi, deinde de beatitudine.

(a. 1.) *Homo agit propter finem.* Actionum *vero,* quae ab homine aguntur, illae solae propriae dicuntur *humanae,* quae sunt propriae hominis in quantum est homo, *nempe* quae ex voluntate deliberata procedunt. Si quae autem aliae actiones homini conveniant, possunt dici quidem *hominis actiones,* sed non proprie *humanae,* cum non sint hominis in quantum est homo. Manifestum est autem, quod omnes actiones quae procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Objectum autem voluntatis est finis, et bonum. Unde oportet quod omnes actiones humanae propter finem sint.

(a. 7.) Unus *autem* est ultimus finis omnium hominum . . . Aug. dicit l. 13 de Trin. c. 4 quod *omnes homines conveniunt in appetendo ultimum finem, qui est beatitudo.* De ultimo *autem* fine possumus loqui dupliciter: uno modo secundum rationem ultimi finis, uno modo secundum id, in quo

finis ultimi ratio invenitur. Quantum igitur ad rationem ultimi finis, omnes conveniunt in appetitu finis ultimi: quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quae est ratio ultimi finis. Sed quantum ad id, in quo ista ratio invenitur, non omnes homines conveniunt in ultimo fine. Nam quidam appetunt divitias tamquam consummatum bonum; quidam vero voluptatem; quidam vero quodcumque aliud: sicut et omni gustui delectabile est dulce; sed quibusdam maxime delectabilis est dulcedo vini, quibusdam dulcedo mellis, aut alicujus talium. Illud tamen dulce oportet simpliciter esse melius delectabile, in quo maxime delectatur qui habet optimum gustum, et similiter illud bonum oportet esse completissimum, quod tamquam ultimum finem appetit habens affectum bene dispositum.

(Q. 2.) DE HIS, IN QUIBUS HOMINIS BEATITUDO CONSISTIT.

(a. 8.) *Hoc autem bonum est beatitudo*, quae non est in aliquo bono creato . . . Beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum: alioquin non esset ultimus finis, si adhuc restaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum, ex quo patet, quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale: quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo: quia omnis creatura habet bonitatem participatam.

(Q. 3.) QUID SIT BEATITUDO.

(a. 8.) Haec *autem* beatitudo hominis est in visione divinae essentiae, homo *enim* non est perfecte beatus quamdiu restat sibi aliquid desiderandum, et quaerendum, *ut in hac vita.*

(Q. 4.) DE HIS, QUAE AD BEATITUDINEM EXIGUNTUR.

(a. 3.) Necesse est *autem* ad beatitudinem ista tria concurrere; scilicet visionem, quae est cognitio perfecta intelligibilis finis; comprehensionem, quae importat praesentiam finis; delectationem vel fruitionem, quae importat quietationem rei amantis in amato.

(a. 5.) Circa beatitudinem perfectam, quae in Dei visione consistit, aliqui posuerunt quod non potest animae advenire sine corpore existenti, dicentes, quod animae Sanctorum a corporibus separatae ad illam beatitudinem non perveniunt usque ad diem judicii, quando corpora resument. Quod quidem apparet esse falsum, et auctoritate et ratione. Auctoritate quidem, quia Apostolus dicit II Cor. c. 5, v. 6: *quamdiu sumus in corpore peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus et non per speciem, audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Deum.* Unde manifestum est, quod animae Sanctorum separatae a corporibus *ambulant per speciem,* Dei essentiam videntes, in quo est vera beatitudo. Hoc etiam per rationem apparet. Nam intellectus ad suam operationem non indiget corpore nisi propter phantasmata, in quibus veri-

talem intelligibilem contuetur. Manifestum est autem, quod divina essentia per phantasmata videri non potest. *Attamen* corpus aliquo modo ad perfectionem beatitudinis humanae pertinet . . . Cum enim operatio dependeat ex natura rei, quanto anima perfectior erit in sua natura, tanto perfectius habebit suam propriam operationem, in qua felicitas consistit.

(a. 6.) Et ideo dicendum, quod ad beatitudinem omnibus modis perfectam requiritur perfecta dispositio corporis, et antecedenter, et consequenter. Antecedenter quidem, ut Aug. dicit lib. 12 super Gen. c. 35: *cum hoc corpus jam non erit animale, sed spirituale, tunc Angelis adaequabitur, et erit ei ad gloriam, quod sarcinae fuit.* Consequenter vero, quia . . . ut Aug. dicit in Epist. ad Dioscorum: *tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor.*

(a. 7.) *Nulla* ad beatitudinem requiruntur exteriora bona; (a. 8.) unde Aug. l. 8 super Gen. c. 25 dicit quod *creatura spiritualis ad hoc quod sit beata, nonnisi intrinsecus adjuvatur aeternitate, veritate, charitate Creatoris. Extrinsecus vero si adjuvari dicenda est, fortasse hoc solo adjuvatur, quod se invicem vident, et de sua societate gaudent.*

(Q. 5.) DE ADEPTIONE BEATITUDINIS.

(a. 1.) *Omnis* homo potest consequi beatitudinem quia est capax summi boni, *idque* apparet *quia* ejus intellectus potest comprehendere universale, et perfectum bonum, et ejus voluntas appetere illud.

(a. 2.) Unum autem potest esse beatior altero... juxta quod dicitur Jo. 14, 2: *in domo Patris mei mansiones multae sunt,* per quas, ut Aug. dicit l.

de Virg. c. 26, et tract. 67 in Jo. *diversae meritorum dignitates intelliguntur in vita aeterna.*

(a. 4.) Beatitudo *autem* habita nequit amitti, Math. dicitur de justis *ibunt in vitam aeternam.*

(a. 5.) *Quoniam* videre Deum per essentiam, est supra naturam non solum hominis, sed etiam omnis creaturae, ut in primo ostensum est, q. 12, a. 4, *ideo* nec homo, nec aliqua creatura potest consequi beatitudinem ultimam per sua naturalia.

(a. 6.) *Unde* homo beatus fit solo Deo agente, *ut in* Psal. 83, 12: *gratiam, et gloriam dabit Dominus.*

(a. 7.) Cum beatitudo excedat omnem naturam creatam, nulla pura creatura convenienter beatitudinem consequitur absque motu operationis, per quam tendit in ipsam. Sed Angelus, qui est superior ordine naturae, quam homo, consecutus est eam ex ordine divinae sapientiae uno motu operationis meritoriae, ut in primo expositum est, q. 62, a. 5; homines autem consequuntur ipsam multis motibus operationum, qui merita dicuntur... Quia *vero* per Christum, qui est Deus et homo, beatitudo erat ad alios derivanda, secundum illud Apostoli ad Hebr. 11, 10: *qui multos filios in gloriam adduxerat:* statim a principio suae conceptionis absque alia operatione meritoria praecedente, anima ejus fuit beata. Sed hoc est singulare in ipso. Nam pueris baptizatis subvenit meritum Christi ad beatitudinem consequendam, licet desint in eis opera propria, eo quod per baptismum sunt Christi membra effecti.

DE ACTIBUS HUMANIS

(Q. 6.) DE VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.

Quia igitur ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter de humanis actibus considerare; ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via.

Cum autem actus humani proprie dicantur, qui sunt voluntarii, eo quod voluntas est rationalis appetitus qui est proprius hominis; oportet *primo* considerare de actibus, in quantum sunt voluntarii.

(a. 1.) Cum homo maxime cognoscat finem sui operis, et moveat seipsum, in ejus actibus maxime voluntarium invenitur.

(a. 2.) Sed secundum rationem imperfectam, voluntarium . . . competit etiam brutis, . . . nempe per sensum, et aestimationem naturalem.

(a. 3.) Voluntarium potest esse sine actu, *quia* voluntas agendo potest impedire hoc, quod est non velle, et non agere, et aliquando debet; hoc quod est non velle, et non agere imputatur ei quasi ab ipsa existens: et sic voluntarium potest esse absque actu; quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cum vult non agere; aliquando autem etiam absque actu interiori, sicut cum non vult.

(a. 4.) Voluntas *autem* non potest cogi ad agendum. *Notandum*, quod duplex est actus voluntatis: unus quidem qui est ejus immediate, velut ab ipsa elicitus, scilicet velle; alius qui est actus voluntatis a voluntate imperatus, et mediante aliqua potentia exercitus, ut ambulare et loqui, qui a voluntate

imperatur, exercetur autem mediante potentia motiva. Quantum igitur ad actus a voluntate imperatos, voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt ne imperium voluntatis exequantur. Sed quantum ad ipsum proprium actum voluntatis, non potest ei violentia inferri. Et hujus ratio est, quia actus voluntatis nihil est aliud quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente, sicut appetitus naturalis est quaedam inclinatio ab interiori principio, et sine cognitione: quod autem est coactum vel violentum, est ab exteriori principio.

(a. 5.) Patet quod violentia directe opponitur voluntario, sicut etiam et naturali. Commune est enim voluntario, et naturali quod utrumque sit a principio intrinseco. Violentum autem est a principio extrinseco.

(a. 6.) Metus *non* causat involuntarium simpliciter, *sed secundum quid.* Quod *enim* fit per metum, est voluntarium, in quantum scilicet est hic et nunc, prout scilicet in hoc casu est impedimentum majoris mali, quod timebatur; sicut projectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempestatis, propter timorem periculi: unde manifestum est, quod simpliciter voluntarium est: unde et competit ei ratio voluntarii, quia principium ejus est intra. Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc non est nisi secundum rationem tantum: et ideo est involuntarium secundum quid, idest prout consideratur extra hunc casum existens.

(a. 7.) *Neque* concupiscentia causat involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium. Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo, quod voluntas in id fertur: per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit: et ideo

concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium. *Nec officit, quod* ad voluntarium requiritur cognitio, sed concupiscentia corrumpit cognitionem; *non enim* totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi.

(a. 8.) Ignorantia *aliquando* causat involuntarium . . . ea ratione, qua privat cognitionem, quae praeexigitur ad voluntarium; non tamen quaelibet ignorantia hujusmodi cognitionem privat. Et ideo sciendum, quod ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis: uno modo concomitanter, alio modo consequenter, tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem, quando ignorantia est de eo quod agitur; tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum ut hoc fiat; sed accidit simul esse aliquid factum, et ignoratum; sicut cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati; sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est.

Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria: et hoc contingit dupliciter, secundum duos modos voluntarii supra positos. a. 3. Uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, secundum illud Job. 21, 14: *scientiam viarum tuarum nolumus*: et haec dicitur *ignorantia affectata.* Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest scire, et debet: sic enim non agere, et non velle voluntarium dicitur, ut supra dictum est. a. 3. Hoc

igitur modo dicitur ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat quod considerare potest, et debet, quae est *ignorantia malae electionis*, vel ex passione, vel ex habitu proveniens; sive cum aliquis notitiam quam debet habere, non curat acquirere: et secundum hoc *ignorantia universalium juris*, quae quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens. Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum, non potest causare simpliciter involuntarium; causat tamen secundum quid involuntarium, in quantum praecedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia praesente.

Antecedenter autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, et tamen est causa volendi, quod alias non vellet; sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret; puta cum aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam, qua interficit transeuntem: et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter.

(Q. 7.) DE CIRCUMSTANTIIS HUMANORUM ACTUUM.

(a. 1.) Quaecumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, *circumstantiae* dicuntur.

(a. 2.) *Hae autem* pertinent ad considerationem Theologi, . . quia Theologus considerat actus humanos secundum quod in eis invenitur bonum, et malum, melius, et pejus; et hoc diversificatur secundum circumstantias. *Deinde* actus humanus judicatur voluntarius, vel involuntarius secundum co-

gnitionem, vel ignorantiam circumstantiarum, ut Damascenus l. 2. Orth. Fidei, c. 28, et Nyssenus vel Nemesius l.. de nat. hom c. 31 dicunt. Et ideo consideratio circumstantiarum pertinet ad Theologum.

(a. 3.) Tullius in sua Rhetorica, I. de Invent. assignat septem circumstantias, quae hoc versu continentur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Considerandum est enim in actibus *quis* fecit, *quibus auxiliis,* vel instrumentis fecerit, *quid* fecerit, *ubi* fecerit, *cur* fecerit, *quomodo* fecerit, et *quando* fecerit.

(Q. 9.) DE MOTIVO VOLUNTATIS.

(a. 1.) Voluntas movetur ab intellectu. Nec dicatur, quod etiam voluntas movet intellectum, intelligimus enim quando volumus. *Nam* voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus: quia et ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare; *attamen* quantum ad determinationem actus, quae est ex parte objecti, intellectus movet voluntatem: quia et ipsum bonum apprehenditur secundum quamdam specialem rationem comprehensam sub universali ratione veri. Et sic patet, quod non est idem movens, ac motum secundum idem.

(a. 2.) Voluntas movetur *etiam* ab appetitu sensitivo, Jac. 1, 14: *unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus, et illectus.*

(a. 3.) *Tamen* voluntas movet seipsam, . . . et est domina sui actus, et in ipsa est velle, et non velle.

(a. 4.) *Nihilominus non solum* movetur ab objecto, sed quantum ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere, voluntatem ab aliquo principio

exteriori moveri . . . *Dum* reducit se ipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem, hoc non potest facere sine consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit . . . Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate praesupposita. Non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis, *qui est Deus.*

(a. 6.) Et hoc patet dupliciter. Primo quidem ex hoc, quod voluntas est potentia animae rationalis, quae a solo Deo causatur per creationem. Secundo vero ex hoc, quod voluntas habet ordinem ad universale bonum: unde nihil aliud potest esse voluntatis causa, nisi ipse Deus, qui est universale bonum.

(Q. 10.) DE MODO, QUO VOLUNTAS MOVETUR

(a. 2.) Voluntas non movetur de necessitate a suo objecto, *nisi sit* illud solum bonum, quod est perfectum, et cui nihil deficit, *quod* est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quaelibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona; et secundum hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari a voluntate, quae potest in idem ferri secundum diversas considerationes. *Neque* movetur de necessitate ab inferiori appetitu. Gen. 4, 7: *subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.*

(a. 4.) Neque de necessitate movetur a Deo, qui omnia movet secundum suam conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam

sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes.

(Q. 13.) DE ELECTIONE EORUM, QUAE SUNT AD FINEM.

(a. 2.) Proprie voluntatis est eligere, non autem appetitus sensitivi, qui solus est in brutis animalibus: et propter hoc brutis' animalibus electio non convenit . . . *Sane*, cum electio sit praeacceptio unius, respectu alterius, necesse est quod electio sit respectu plurium, quae eligi possunt: et ideo in his, quae sunt penitus ordinata ad unum, electio locum non habet . . . Et ex hoc contingit, quod in operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates, in quantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, utpote a summa arte ordinatos. Et propter hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia, non quod in eis sit aliqua ratio, vel electio: quod ex hoc apparet, quod omnia, quae sunt unius naturae, similiter operantur.

(Q. 18.) DE BONITATE, ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM IN GENERALI.

Post hoc, considerandum est de bonitate, et malitia humanorum actuum: et primo, quomodo actio sit bona, vel mala; secundo de his, quae consequuntur ad bonitatem, vel malitiam humanorum actuum, puta meritum, peccatum, et culpa.

(a. 1.) Omnis actio in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet aliquid de bonitate; in quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quae debetur actioni humanae, in tantum deficit a bonitate, et sic dicitur mala.

(a. 2.) Actio hominis habet bonitatem, vel malitiam ex objecto... Dicitur Oseae 9, 10: *facti sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt.* Fit autem homo Deo abominabilis propter malitiam suae operationis. Ergo malitia operationis est secundum objecta mala quae homo diligit, et eadem ratio est de bonitate actionis.

(a. 3.) *Pariter* actio est bona, vel mala, ex circumstantia: (a. 4.) et ex fine.

(a. 5.) In actibus, *bonum* et *malum* dicuntur per comparationem ad rationem ... scilicet secundum quod objectum est ei conveniens, vel non conveniens. Dicuntur autem aliqui actus humani, vel morales, secundum quod sunt a ratione.

(a. 8.) Aliqui actus sunt indifferentes secundum suam speciem, *ut* Aug. dicit l. 2 de Serm. Dom. in monte, c. 18, quod *sunt quaedam facta media, quae possunt bono, vel malo animo fieri, de quibus est temerarium judicare* ... Contingit autem *hoc, quando* objectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terra, ire ad campum, et hujusmodi: et tales actus secundum speciem suam sunt indifferentes.

(a. 9.) Nullus *tamen* actus est indifferens secundum individuum ... Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni ... Si autem non procedit a ratione deliberativa, sed ex quadam imaginatione (sicut cum quis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem) talis actus non est proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione; et sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens.

(a. 10) Circumstantia constituit actum moralem in specie boni, vel mali. *Ex. gr.* locus est circumstantia quaedam; sed locus constituit actum moralem in quadam specie mali, furari enim de loco sacro est sacrilegium.

(a. 11.) Circumstantia *autem* augens *solum* bonitatem, vel malitiam, non constituit actum moralem in specie boni, vel mali, *nam* magis et minus non diversificant speciem . . . Unde tollere alienum in magna, vel parva quantitate, non diversificat speciem peccati, tamen potest aggravare, vel diminuere peccatum; et similiter est in aliis malis, vel bonis.

(Q. 19) DE BONITATE, ET MALITIA ACTUS INTERIORIS VOLUNTATIS.

(a. 3.) Bonitas voluntatis proprie ex objecto dependet. Objectum autem voluntatis, proponitur ei per rationem: nam bonum intellectum est objectum voluntatis proportionatum ei.

(a. 4.) Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina: unde in Ps. 4, 6 dicitur: *multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* quasi diceret: lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, idest a vultu tuo derivatum.

(a. 5.) *Quaeritur;* utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala, *nempe* utrum conscientia errans obliget . . . dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta, sive errante, semper est mala.

(a. 6.) Utrum *autem* conscientia erronea excuset, haec quaestio dependet ab eo, quod supra de

ignorantia dictum est. Dictum est enim supra, q. 6, a. 8, quod ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non. *Idipsum applicetur conscientiae erranti.*

(Q. 20.) DE BONITATE, ET MALITIA EXTERIORUM ACTUUM HUMANORUM.

(a. 3.) Quando actus exterior est bonus, vel malus solum ex ordine ad finem, tunc est omnino eadem bonitas, et malitia actus voluntatis, quae per se respicit finem, et actus exterioris, qui respicit finem mediante actu voluntatis. Cum autem actus exterior habet bonitatem, vel malitiam secundum se, scilicet secundum materiam, vel circumstantiam, tunc bonitas exterioris ectus est una, et bonitas voluntatis, quae est ex fine, est alia. Ita tamen, quod bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, et bonitas materiae, et circumstantiarum, redundat in actum voluntatis.

(a. 4.) Actus exterior *aliquid* addit de bonitate, vel malitia supra actum interiorem . . . *nam* omne agens intendit consequi bonum, et vitare malum. Si ergo per actum exteriorem nihil additur de bonitate, vel malitia, frustra qui habet bonam voluntatem, vel malam, facit bonum, aut desistit a malo opere: quod est inconveniens.

(a. 5.) Eventus *autem* sequens, *nil* addit de bonitate, vel malitia ad exteriorem actum, *nisi fuerit* praecogitatus, *vel* per se sequatur ex tali actu, et ut in pluribus; *tunc enim* eventus sequens addit ad bonitatem, vel malitiam actus.

(a. 6.) Idem actus exterior nequit esse bonus, et malus, *quia* contraria non possunt esse in eodem. *Quod si dicatur, quod* unus motus continuus

potest esse bonus, et malus: puta si aliquis continue ad Ecclesiam vadens primo quidem intendat inanem gloriam, postea intendat Deo servire,... dicendum quod ille motus continuus qui procedit ex diversa intentione, licet sit unus unitate naturae, non est tamen unus unitate moris.

(Q. 21.) DE HIS QUAE CONSEQUUNTUR ACTUS HUMANOS RATIONE BONITATIS VEL MALITIAE.

(a. 1.) Actus humanus in quantum est bonus vel malus, habet rationem rectitudinis vel peccati . . . *Nam* bonitas actus humani, ut supra ostensum est, q. 19, a. 4, principaliter dependet a lege aeterna; et per consequens malitia ejus in hoc consistit quod discordat a lege aeterna. Sed hoc facit rationem peccati: dicit enim Aug. 22 contra Faustum, c. 27, quod *peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam.* Ergo actus humanus ex hoc quod est malus habet rationem peccati.

(a. 3.) *Pariter* actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habet rationem meriti vel demeriti. *Hinc* dicitur Isa. 3, 10: *dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Vae impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.* (a. 4.) *Et* Eccle. ult. 14: *cuncta quae fiunt adducet Deus in judicium, sive bonum, sive malum.* Sed judicium importat retributionem, respectu cujus meritum, vel demeritum dicitur.

DE PASSIONIBUS ANIMAE

(Q. 22.) DE PASSIONIBUS ANIMAE IN GENERALI.

Post hoc considerandum est de passionibus animae.

(Q. 23.) DE DIFFERENTIA PASSIONUM AB INVICEM.

(a. 1.) *Cum* irascibilis et concupiscibilis sint duae potentiae dividentes appetitum sensitivum, et passiones sint motus appetitus sensitivi, passiones quae sunt in irascibili erunt aliae secundum speciem a passionibus quae sunt in concupiscibili.

(Q. 24.) DE BONO ET MALO IN ANIMI PASSIONIBUS.

(a. 1.) *Passiones animae* si secundum se considerentur, prout scilicet sunt motus quidam irrationalis appetitus; sic non est in eis bonum vel malum morale, quod dependet a ratione. Si autem considerentur secundum quod subjacent imperio rationis, et voluntatis, sic est in eis bonum vel malum morale... Dicuntur autem voluntariae vel ex eo quod a voluntate imperantur, vel ex eo quod a voluntate non prohibentur... Aug. dicit in l. 14 de Civ. Dei, c. 7 et 9 de passionibus animae loquens: *mala sunt ista si malus est amor, bona si bonus.*

(a. 4.) Aliqua passio est bona vel mala ex sua specie, *sic* Aug. dicit l. 11 de Civ. Dei c. 5 quod *misericordia pertinet ad virtutem.*

(Q. 25.) DE ORDINE PASSIONUM AD INVICEM.

(1.2) Amor est prima passionum concupiscibilis... Aug. dicit in l. 14 de Civ. Dei c. 7 et 9 quod *omnes passiones ex amore causantur: amor enim inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens, laetitia est.*

(a. 3.) Spes est prima inter passiones irascibilis . . . In via *enim* generationis seu consecutionis proportio vel aptitudo ad finem praecedit consecutionem finis, et inde est quod ira inter passiones irascibilis est ultima ordine generationis. Inter alias autem passiones irascibilis quae important motum consequentem amorem, vel odium boni, vel mali, oportet quod passiones quarum objectum est bonum, scilicet *spes et desperatio,* sint naturaliter priores passionibus quarum objectum est malum, scilicet *audacia et timore;* ita tamen quod spes est prior desperatione.

(a. 4.) Quatuor principales passiones sunt gaudium, tristitia, spes, et timor . . . Gaudium et tristitia principales dicuntur, quia sunt completivae et finales simpliciter respectu omnium passionum: unde ad omnes passiones consequuntur. Timor autem et spes sunt principales, non quidem quasi completivae simpliciter, sed quia sunt completivae in genere motus appetitivi in aliquid. Nam respectu boni incipit motus in amore, et procedit in desiderium, et terminatur in spe; respectu vero mali incipit in odio, et procedit ad fugam, et terminatur in timore . . . De bono praesenti est gaudium: de malo praesenti est tristitia; de bono futuro est spes, de malo futuro est timor.

(Q. 26.) DE PASSIONIBUS ANIMAE IN SPECIALI.

(a. 3.) Amor non est idem quod dilectio, *immo* quatuor nomina inveniuntur ad idem quodammodo pertinentia, scilicet amor, dilectio, charitas, et amicitia. Differunt tamen in hoc quod amicitia secundum Philosophum, est quasi habitus; amor autem et dilectio significantur per modum actus vel passionis; charitas autem utroque modo accipi potest. Differenter tamen significatur actus per ista tria. Nam amor communior inter ea est: omnis enim dilectio vel charitas est amor, sed non e converso: addit enim dilectio supra amorem electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat: unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum, et est in sola rationali creatura: charitas autem addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur, magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat.

(a. 4.) Amor dividitur in amorem amicitiae et amorem concupiscentiae . . . id quod amatur amore amicitiae, simpliciter et per se amatur; quod autem amatur amore concupiscentiae, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri, *vel sibi vel alii.*

(Q. 27.) DE CAUSA AMORIS.

(a. 1.) Bonum, et similitudo sunt causa amoris... Aug. dicit l. 8 de Trin. c. 3 *non amatur certe nisi solum bonum.* (a. 3.) *Et* Eccli. 13, 18: *omne animal diligit sibi simile.*

(Q 29.) DE ODIO.

(a. 1.) Odium contrariatur amori. *Et sicut* objectum amoris est bonum, ut supra dictum est, *ideo* objectum odii est malum.

(a. 2.) Odium causatur ex amore, Aug. l. 14 de Civ. Dei c. 7, et 9 dicit quod *omnes affectiones causantur ex amore* . . . Necesse est *autem* quod amor sit prior odio, et quod nihil odio habeatur nisi per hoc quod contrariatur convenienti quod amatur.

(Q. 31.) DE DELECTATIONE SECUNDUM SE.

(a. 1.) S. Aug. in 10 et 14 de Civ. Dei, c. 6, et 8, ponit delectationem, sive gaudium, vel laetitiam, inter alias passiones animae. (a. 3.) Delectatio *tamen* differt a gaudio, *nam* nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione quae consequitur rationem. Unde gaudium non attribuimus brutis animalibus, sed solum nomen delectationis. *Differt quoque a laetitia quae est effectus* delectationis, nam laetitia imponitur a dilatatione cordis, ac si diceretur latitia.

(Q. 35.) DE DOLORE SEU TRISTITIA SECUNDUM SE.

(a. 3.) Tristitia est contraria delectationi, *nam* objecta delectationis et tristitiae seu doloris sunt contraria, scilicet bonum praesens, et malum praesens.

(a. 8.) Quatuor sunt species tristitiae: accidia, achos vel anxietas, misericordia, et invidia.

(Q. 39.) DE BONITATE TRISTITIAE.

(a. 2.) Tristitia potest esse bonum honestum, et mereri praemium vitae aeternae Matth. c. 5: *beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur, nempe* tristitia est bonum secundum cognitionem, et recusationem mali.

(Q. 40.) DE PASSIONIBUS IRASCIBILIS, ET PRIMO DE SPE ET DESPERATIONE.

Consequenter considerandum est de passionibus irascibilis, et primo de spe, et desperatione; secundo de timore et audacia; tertio de ira.

(a. 1.) Spes non est idem quod desiderium vel cupiditas, *nam* spes est in irascibili, desiderium autem et cupiditas in concupiscibili.

(a. 4.) Spei contrariatur desperatio, *unde etiam* desperatio nominatur per contrarium spei.

(Q. 41.) DE TIMORE SECUNDUM SE.

(a. 2.) Timor est specialis passio, ... habet *enim* speciale objectum sicut et spes: sicut enim objectum spei est bonum futurum arduum, possibile adipisci; ita objectum timoris est malum futurum difficile, cui resisti non potest.

(a. 4.) Damascenus l. 12 Orth. fid. c. 15 assignat sex species timoris, scilicet segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniam.

(Q. 45.) DE AUDACIA.

(a. 1.) Audacia est contraria timori:... Timor enim refugit nocumentum futurum propter ejus victoriam super ipsum timentem; sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoriam sui supra ipsum periculum.

(Q. 46.) DE IRA.

(a. 1.) Potest ira dici passio generalis in quantum ex concursu multarum passionum causatur; non enim insurgit motus irae, nisi propter aliquam tristitiam illatam, et nisi adsit desiderium et spes ulciscendi: quia ut Philosophus dicit in 2 Rhet. *iratus habet spem puniendi*: appetit enim vindictam ut sibi possibilem. Unde si fuerit multum excellens persona quae nocumentum intulit, non sequitur ira sed solum tristitia.

(a. 2.) *Sic* objectum irae est bonum, *nam ut* Aug. dicit in 2 Conf. c. 6, *ira appetit vindictam*. Sed appetitus vindictae est appetitus boni, cum vindicta ad justitiam pertineat. Ergo objectum irae est bonum. Praeterea ira semper est cum spe: unde et delectationem causat. Sed spei et delectationis est objectum bonum. Ergo et irae.

DE VIRTUTIBUS ET PECCATIS

(Q. 55.) DE VIRTUTIBUS.

Consequenter considerandum est de habitibus. Et quia habitus distinguuntur per bonum et malum; primo dicendum est de habitibus bonis, qui sunt virtutes et alia eis adjuncta, scilicet dona, beatitudines, et fructus; secundo de habitibus malis, scilicet de vitiis et peccatis.

(a. 1.) Virtus humana est habitus, . . . et nominat quamdam potentiae perfectionem . . . Sunt autem quaedam potentiae, quae secundum seipsas sunt determinatae ad suos actus, sicut potentiae naturales activae: et ideo hujusmodi potentiae naturales secundum seipsas dicuntur *virtutes*. Potentiae autem rationales, quae sunt propriae hominis, non sunt determinatae ad unum, sed se habent indeterminate ad multa; determinantur autem ad actus per habitus, et ideo virtutes humanae habitus sunt.

(a. 4.) Definitio virtutis *haec* solet assignari, ex Aug. l. 2 de lib. arb. l. 4 contra Jul. et sup. Ps. 118 scilicet: *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur, nempe* virtus infusa causatur in nobis a Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus: et sic est intelligendum quod dicitur: *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quae vero per nos aguntur, Deus in nobis causat non sine nobis agentibus: ipse enim operatur in omni voluntate et natura.

(Q. 58.) DE DISTINCTIONE VIRTUTUM MORALIUM AB INTELLECTUALIBUS.

(a. 3.) Virtus dividitur per moralem et intellectualem. *Nam* principium humanorum actuum in homine non est nisi duplex, scilicet intellectus, sive ratio, et appetitus. Haec enim sunt duo moventia in homine. Unde omnis virtus humana oportet quod sit perfectiva alicujus istorum principiorum. Si quidem igitur sit perfectiva intellectus speculativi, vel practici ad bonum hominis actum, erit virtus intellectualis; si autem sit perfectiva appetitivae partis, erit virtus moralis,... intellectuales *autem* virtutes sunt quinque, scilicet *scientia, et sapientia, intellectus, prudentia, et ars.*

(Q. 60.) DE DISTINCTIONE VIRTUTUM MORALIUM AB INVICEM.

(a. 5.) Virtutes morales distinguuntur secundum diversa objecta passionum... Secundum Aristotelem sunt decem virtutes morales circa passiones, scilicet fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia, (idest amor honoris) mansuetudo, amicitia, veritas, et eutrapelia (quae est circa delectationes ludorum): et distinguuntur secundum diversas materias, vel secundum diversas passiones, vel secundum diversa objecta. Si igitur addatur *justitia,* quae est circa operationes, erunt omnes undecim.

(Q. 61.) DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

(a. 1.) Virtus humana secundum perfectam rationem virtutis dicitur, quae requirit rectitudinem

appetitus: hujusmodi enim virtus non solum facit facultatem bene agendi, sed ipsum etiam usum boni operis causat. Sed secundum imperfectam rationem virtutis dicitur virtus quae non requirit rectitudinem appetitus: quia solum facit facultatem bene agendi, non autem causat boni operis usum; constat autem quod perfectum est principalius imperfecto. Et ideo virtutes quae continent rectitudinem appetitus dicuntur *principales seu cardinales.* Hujusmodi autem sunt virtutes morales, et inter intellectuales sola prudentia, quae etiam quodammodo moralis est secundum materiam.

(a. 2.) Quatuor sunt virtutes Cardinales, ut Gregorius dicit 2. Mor. c. 49 quod *in quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit, nempe prudentia, justitia, temperantia, fortitudo.*

(Q. 62.) DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

(a. 1.) Quia *supernaturalis* beatitudo proportionem humanae naturae excedit, . . . oportet quod superaddantur homini divinitus aliqua principia, per quae ita ordinetur ad beatitudinem supernaturalem; sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen absque adjutorio divino: et hujusmodi principia virtutes dicuntur theologicae; tum quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia sola divina revelatione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur.

(a. 2.) Virtutes theologicae distinguuntur ab intellectualibus et moralibus, *quia* theologicae sunt super naturam hominis.

(a. 3.) *Tres sunt* virtutes theologicae: fides, spes, et charitas . . . Apost. dicit I. Cor. 15, 13. *Nunc*

autem manent fides, spes, charitas, tria haec. Et sane virtutes theologicae hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem. Hoc autem contingit secundum duo: primo quidem secundum rationem vel intellectum, in quantum continet prima principia universalia cognita nobis per naturale lumen intellectus, ex quibus procedit ratio tam in speculandis, quam in agendis. Secundo per rectitudinem voluntatis naturaliter tendentis in bonum rationis. Sed haec duo deficiunt ab ordine beatitudinis supernaturalis, secundum illud I. Cor. 2, 9: *oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Unde oportuit quod quantum ad utrumque aliquid boni supernaturaliter adderetur ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem. Et primò quidem quantum ad intellectum adduntur homini quaedam principia supernaturalia, quae divino lumine capiuntur: et haec sunt credibilia, de quibus est *fides.* Secundo vero est voluntas, quae ordinatur in illum finem, et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad *spem;* et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per *charitatem.*

(Q. 63.) DE CAUSA VIRTUTUM.

(a. 1.) Virtus non inest nobis a natura, (a. 2.) *sed* causatur in nobis ex assuetudine operum.

(a. 3.) Praeter virtutes theologicas sunt aliae virtutes nobis infusae a Deo... Oportet enim quod his virtutibus theologicis proportionaliter respon-

deant alii habitus divinitus causati in nobis, qui sic se habeant ad virtutes theologicas, sicut se habent virtutes morales et intellectuales ad principia naturalia virtutum.

(Q. 64.) DE MEDIO VIRTUTUM.

(a. 1, et 3.) Virtutes morales et intellectuales consistunt in medio, (a. 4.) *non autem* virtutes theologicae. *Nam* in omnibus in quibus consistit virtus in medio, contingit peccare per excessum, sicut etiam per defectum. Sed circa Deum, qui est objectum virtutis theologicae non contingit peccare per excessum: dicitur enim Eccli. 43, 33 *Benedicentes Deum exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude.*

(Q. 65. DE CONNEXIONE VIRTUTUM.

(a. 1.) Virtutes morales sunt ad invicem connexae . . . Ambrosius dicit super Lucam c. 6: *connexae sibi sunt, concatenataeque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur*: Aug. etiam dicit in l. 6 de Trin. c. 4 quod *virtutes quae sunt in animo humano nullo modo separantur ab invicem*: et Greg. dicit 22 Mor. c. 1 quod *una virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta:* et Tullius dicit in II. de Tuscul. *si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.*

(a. 2.) Virtutes morales nequeunt esse sine charitate. Dicitur I. Joan. 3, 14 *qui non diligit manet in morte. Clarius*: virtutes morales prout sunt operativae boni in ordine ad finem, qui non exce-

dit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri: et sic acquisita sine charitate esse possunt; sicut fuerunt in multis gentilibus. Secundum autem quod sunt operativae boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem, sic perfecte et vere habent rationem virtutis; et non possunt humanis actibus acquiri, sed infunduntur a Deo: et hujusmodi virtutes morales sine charitate esse non possunt. (a. 3.) *Vicissim* charitas esse nequit sine aliis virtutibus moralibus.

(a. 4.) Fides et spes possunt esse sine charitate, (a. 5.) non autem charitas sine fide et spe.

(Q. 66.) DE AEQUALITATE VIRTUTUM.

(a. 1.) Virtus potest esse major vel minor. (a. 2.) Sed sunt aequales quadam aequalitate proportionis; in quantum aequaliter crescunt in homine.

(a. 3.) Ratio virtutis magis competit virtutibus moralibus, quam virtutibus intellectualibus, quamvis virtutes intellectuales sint nobiliores habitus simpliciter.

(a. 4.) Justitia est praecipua inter virtutes morales. *Postea recensetur* fortitudo, . . . post fortitudinem autem ordinatur temperantia et prudentia.

(a. 5.) Sapientia est maxima inter virtutes intellectuales, (a. 6.) et charitas est maxima inter virtutes theologicas.

(Q. 67.) DE DURATIONE VIRTUTUM POST HANC VITAM.

(a. 1.) Virtutes morales manent post hanc vitam: *justitia perpetua est, et immortalis*, Sap. 1, 15.

(a. 2.) Intellectuales *etiam* virtutes manent . . . Nam in homine remanet post hanc vitam cognitio particularium et contingentium, puta eorum quae quis fecit, vel passus est, secundum illud Lucae 16, 25. *Recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Ergo multo magis remanet cognitio universalium et necessariorum, quae pertinet ad scientiam, et ad alias virtutes intellectuales; *seclusis tamen phantasmatibus, quae* destruuntur destructo corpore.

(a. 3.) Non manet fides, nam ut dicit Apostolus II. Cor. 5, 6. *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem,* et ad Hebr. 11, 1 *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,* et Aug. dicit tract. 40 in Joan. *Quid est fides? Credere quod non vides.*

(a. 4.) *Neque* spes manet, Rom. 8, 24 *quod videt quis, quid sperat?* (a. 5.) *Sed* remanet charitas post hanc vitam in gloria, I. Cor. 13, 8 *charitas numquam excidit.*

(Q. 68.) DE DONIS.

(a. 1.) Dona differunt a virtutibus, . . . dona *enim* perficiunt hominem ad altiores actus quam sint actus virtutum, . . . et si hujusmodi dona nominantur quandoque *virtutes* secundum communem rationem virtutis; habent tamen aliquid superveniens rationi communi virtutis, in quantum sunt quaedam divinae virtutes perficientes hominem, in quantum est a Deo motus.

(a. 2.) *Et quia* in ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem ratio movet, secundum quod est aliqualiter et imperfecte informata per

virtutes theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus Sancti, . . . ideo ad illum finem consequendum necessarium est homini habere donum Spiritus Sancti.

(a. 3.) Dona Spiritus Sancti sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto . . . Greg. l. 2 Mor. c. 28 *in illis donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus Sanctus in electis omnibus semper manet, sed in aliis non semper manet.*

(a. 4.) Septem dona Spiritus S. enumerantur: sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Domini, Isa. 11.

(a. 5.) Dona Spiritus S. sunt connexa, et sicut virtutes morales connectuntur sibi in prudentia, ita dona Spiritus S. connectuntur sibi invicem in charitate; ita scilicet quod qui charitatem habet, omnia dona Spiritus S. habet, quorum nullum sine charitate haberi potest.

(a. 6.) Dona Spiritus S. remanent in patria,... dona *enim* perficiunt mentem humanam ad sequendam motionem Spiritus S. quod praecipue erit in patria, quando *Deus erit omnia omnibus,* ut dicitur I. Cor. 15, 28, et quando homo erit totaliter subditus Deo.

(Q. 69.) DE BEATITUDINIBUS.

(a. 1.) Beatitudines distinguuntur a virtutibus et donis,... *nam* quaedam enumerantur inter beatitudines, quae nec sunt virtutes, nec dona, sicut paupertas, et luctus, et pax.

(a. 2.) Praemia quae attribuuntur beatitudinibus ad hanc vitam pertinent, *ut* Aug. dicit in l. 1 de Serm. Domini in monte, c. 4: *ista quidem in hac*

vita compleri possunt, sicut completa in Apostolis esse credimus: nam illa omnimoda, et in angelicam formam mutatio, quae post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest.

(a. 3.) *Octo* enumerantur beatitudines Matth. c. 5. quarum tres, Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent, *sunt contra* voluptuosam vitam, *aliae duae*, Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, et beati misericordes, *ad vitam activam spectant; ad contemplativam vero aliae duae*, Beati mundo corde, et beati pacifici. Octava *demum* beatitudo, Beati qui persecutionem patiuntur, est quaedam confirmatio et manifestatio omnium praecedentium. Ex hoc enim quod aliquis est confirmatus in paupertate spiritus, et mititate, et aliis sequentibus, provenit quod ab his bonis propter aliquam persecutionem non recedit. Unde octava beatitudo quodammodo ad septem praecedentes pertinet . . . Lucae *autem* 6 ponuntur quatuor tantum beatitudines... *At* Lucas narrat sermonem Domini factum esse ad turbas. Unde beatitudines enumerantur ab eo secundum capacitatem turbarum, quae solam voluptuosam et temporalem et terrenam beatitudinem noverunt... *Beati pauperes, beati qui esuritis, beati qui nunc fletis, beati eritis cum vos oderint homines.*

(Q. 70.) DE FRUCTIBUS SPIRITUS SANCTI.

(a. 2.) Omnes beatitudines possunt dici fructus, sed non convertitur. Sunt enim fructus quaecumque virtuosa opera in quibus homo delectatur; sed beatitudines dicuntur solum perfecta opera, quae etiam ratione suae perfectionis magis attribuuntur donis quam virtutibus.

(a. 3.) Apostolus enumerat, ad Gal., 5, duodecim fructus: *sunt autem* charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

(Q. 71.) DE VITIIS ET PECCATIS.

(a. 1.) *Vitium est qualitas secundum quam malus est animus.* Aug. in lib. de perfect. just. *et sic* vitium contrariatur virtuti.

(a. 3.) Actus vitiosus est pejor quam habitus vitiosus . . . quod etiam ex hoc apparet quod habitus non dicitur bonus vel malus nisi ex hoc quod inclinat ad actum bonum vel malum . . . Quod autem habitus sit diuturnior quam actus, accidit ex eo quod utrumque invenitur in tali natura quae non potest semper agere, et cujus actio est in motu transeunte. Unde simpliciter actus est potior tam in bonitate quam in malitia; sed habitus est potior secundum quid.

(a. 4.) Peccatum simul potest esse cum virtute... *Nempe* actus peccati si comparetur ad ipsam virtutem, prout est habitus quidam, non potest ipsam corrumpere, si sit unus tantum. Sicut enim non generatur habitus per unum actum; ita nec per unum actum corrumpitur. Sed si comparetur actus peccati ad causam virtutum, sic possibile est quod per unum actum peccati aliquae virtutes corrumpantur. Quodlibet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quae est radix omnium virtutum infusarum, in quantum sunt virtutes: et ideo per unum actum peccati mortalis exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusae, in quantum sunt virtutes. Et hoc dico propter fidem et spem, quarum habitus remanent informes post peccatum mortale, et sic non sunt virtutes.

Sed peccatum veniale, quod non contrariatur charitati, nec excludit ipsam, per consequens etiam non excludit alias virtutes. Virtutes vero acquisitae non tolluntur per unum actum cujuscumque peccati. Sic igitur peccatum mortale non potest esse simul cum virtutibus infusis, potest tamen esse simul cum virtutibus acquisitis; peccatum vero veniale potest simul esse et cum virtutibus infusis, et cum acquisitis.

(a. 6.) Definitur peccatum ab *Aug.* l. 21 *contra Faustum*, c. 27: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.*

Nec obest contra hanc definitionem: ex hoc dicitur aliquid esse prohibitum quia legi contrariatur. Sed non omnia peccata sunt mala quia prohibita; sed quaedam sunt prohibita quia mala. Non ergo in communi definitione peccati debuit poni quod sit *contra legem Dei*.

Resp. Cum dicitur quod omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitnr de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege aeterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanae, tunc omne peccatum est malum quia prohibitum: ex hoc enim ipso quod est inordinatum, juri naturali repugnat.

(Q. 72.) DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

(a. 1.) Peccata differunt specie secundum objecta . . . *quia* actus voluntarii distinguuntur specie secundum objecta, ut in superioribus ostensum est q. 18, a. 2.

(a. 2.) Illa peccata quae perficiuntur in delectatione spirituali, vocantur spiritualia; illa vero

quae perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia; sicut gula quae perficitur in delectatione ciborum, et luxuria quae perficitur in delectatione venereorum. Unde et Apostolus dicit II. ad Cor. 7, 1: *emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Et* Greg. 31 Mor. c. 17, dicit quod *septem capitalium vitiorum quinque sunt spiritualia, et duo carnalia.*

(a. 4.) Peccatum distinguitur in peccatum in Deum, in se ipsum, et in proximum, . . . nam et virtutes quibus peccata opponuntur secundum hanc differentiam specie distinguuntur. Manifestum est enim ex dictis, q. 62, art. 1, 2, et 3, quod virtutibus theologicis homo ordinatur ad Deum, temperantia vero et fortitudine ad seipsum, justitia autem ad proximum.

(a. 5.) Divisio peccatorum quae est secundum reatum non diversificat speciem . . . Differentia enim peccati *venialis et mortalis* consequitur diversitatem inordinationis, quae complet rationem peccati . . . Unde nil prohibet in eadem specie inveniri aliquod peccatum mortale, et veniale; sicut primus motus in genere adulterii est peccatum veniale; et verbum otiosum, quod plerumque est veniale, potest etiam esse mortale.

(a. 6.) Peccatum commissionis et omissionis non differunt specie. *Nam* in eadem specie peccati invenitur omissio, et commissio. Avarus enim et aliena rapit, quod peccatum est commissionis; et sua non dat quibus dare debet, quod est peccatum omissionis.

(a. 8.) Superabundantia et defectus diversificant species peccatorum, *nam* contraria differunt secundum speciem . . . vitia *autem* quae differunt secundum superabundantiam et defectum, sunt contraria, sicut liberalitas prodigalitati.

(a. 9.) Peccata non diversificantur specie secundum diversas circumstantias, *nam* circumstantia nunquam transfert actum in aliam speciem, nisi quando est aliud motivum. q. 18, a. 10, et 11.

(Q. 73.) DE COMPARATIONE PECCATORUM AD INVICEM.

Deinde considerandum est de comparatione peccatorum ad invicem.

(a. 3.) Gravitas peccatorum variatur secundum objecta. *Nam* peccata recipiunt speciem ab objectis, ut ex supra dictis patet, q. 72, a. 1, sed aliquorum peccatorum unum est gravius altero secundum suam speciem, sicut homicidium furto. Ergo gravitas peccatorum differt secundum objecta.

(a 4.) Differt *etiam* secundum dignitatem virtutum quibus opponuntur, *nam* pessimum optimo contrarium est.

(a. 5.) Peccata carnalia sunt minoris culpae et majoris infamiae quam spiritualia; *ut dicit* Greg. 33 Mor. c. 11 . . . Quod non est sic intelligendum quasi quodlibet peccatum spirituale sit majoris culpae quolibet peccato carnali; sed quia considerata hac sola differentia spiritualitatis et carnalitatis, graviora sunt quam caetera peccata, caeteris paribus.

(a. 6.) Gravitas peccatorum attenditur *quoque* secundum causam peccati . . . et quanto voluntas fuerit major ad peccandum, tanto homo gravius peccat.

(a. 7.) Circumstantia aggravat peccatum et hoc quidem contingit tripliciter. Uno quidem modo in quantum circumstantia transfert in aliud genus peccati, . . , sicut peccatum fornicationis consistit in hoc quod homo accedit ad non suam. Si autem addatur haec circumstantia, ut illa ad quam accedit sit alterius uxor, transfertur jam in aliud genus

peccati, scilicet in injustitiam, in quantum homo usurpat rem alterius; et secundum hoc adulterium est gravius peccatum quam fornicatio. Aliquando vero circumstantia non aggravat peccatum, quasi trahens in aliud genus peccati, sed solum quia multiplicat rationem peccati; sicut si prodigus det quando non debet, et cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quam si solum det cui non debet, et ex hoc ipso peccatum fit gravius... Tertio modo circumstantia aggravat peccatum ex eo quod auget deformitatem provenientem ex alia circumstantia, sicut accipere alienum constituit peccatum furti; si autem addatur haec circumstantia, ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius, quamvis accipere multum vel parum de se non dicat rationem boni vel mali.

(a. 8.) Gravitas peccati augetur secundum majus nocumentum. *Hoc autem* tripliciter se habere potest ad peccatum. Quandoque enim nocumentum quod provenit ex peccato est praevisum, et intentum; sicut cum aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida vel fur: et tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum est per se objectum peccati. Quandoque autem nocumentum est praevisum, sed non intentum; sicut cum aliquis transiens per agrum, ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his quae sunt seminata in agro scienter, licet animo non nocendi: et sic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, sed indirecte; in quantum scilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quod aliquis non praetermittat facere damnum sibi vel alii, quod simpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec est praevisum, nec intentum; et tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum dire-

cte; sed propter negligentiam considerandi nocumenta quae consequi possent, imputantur homini ad poenam mala quae eveniunt praeter ejus intentionem, si dabat operam rei illicitae. Si vero nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licet non sit intentum, nec praevisum, directe peccatum aggravat: quia quaecumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem; puta si aliquis publice fornicetur, sequitur scandalum plurimorum; quod quamvis ipse non intendat, nec forte praevideat, directe per hoc aggravatur peccatum.

(a. 9.) Peccatum aggravatur *quoque* secundum conditionem personae in quam peccatur. Primo quidem ex parte Dei, cui tanto magis aliquis homo conjungitur, quanto est virtuosior vel Deo sacratior . . . Ex parte etiam sui ipsius manifestum est quod aliquis gravius peccat, quanto aliquis magis in conjunctam personam seu naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacumque conjunctione peccaverit... Ex parte vero proximi tanto gravius peccatur, quanto peccatum plures tangit: et ideo peccatum quod fit in personam publicam, puta Regem vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius quam peccatum quod committitur contra unam personam privatam: unde specialiter dicitur Exodi 22, 28. *Principi populi tui non maledices;* et similiter injuria quae fit alicui famosae personae videtur esse gravior ex hoc quod in scandalum, et in turbationem plurimorum redundat.

(a. 10.) Magnitudo *etiam* personae peccantis aggravat peccatum. *Si tamen peccatum* est ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanae naturae, tale peccatum minus imputatur ei qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere, quae tamen omnino subterfugere

infirmitas humana non sinit. Alia vero peccata ex deliberatione procedentia tanto magis alicui imputantur, quanto major est. Et hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem, quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientia et virtute . . . Secundo propter ingratitudinem *erga Dei beneficia.* Tertio propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personae: sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiae custos; et si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit. Quarto propter exemplum sive scandalum.

(Q. 74.) DE SUBJECTO PECCATORUM.

(a. 3.) *Non in sola voluntate* peccatum potest inveniri, *sed* in qualibet *etiam* potentia, cujus actus potest esse voluntarius et inordinatus, in quo consistit ratio peccati. Manifestum est autem quod actus sensualitatis potest esse voluntarius, in quantum sensualitas, idest appetitus sensitivus, nata est a voluntate moveri. Unde relinquitur quod *etiam* in sensualitate possit esse peccatum; (a. 4.) *non tamen mortale, nam sola* inordinatio corrumpens principium spiritualis vitae, quod est finis ultimus, causat mortem spiritualem peccati mortalis. Ordinare autem aliquid in finem non est sensualitatis, sed solum rationis. Inordinatio autem a fine non est nisi ejus, cujus est ordinare in finem. Unde peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione. *Hinc* Aug. dicit l. 1. Retract. c. 23, *inordinatus concupiscentiae motus, qui est peccatum sensualitatis, potest esse etiam in his qui sunt in gratia. Tamen* veniale peccatum, quod est in sensualitate, potest esse dispositio ad peccatum mortale, quod est in ratione.

(a. 8.) Consensus in delectationem *esse potest* peccatum mortale .... Sic aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari: uno modo de ipsa cogitatione; alio modo de ipsa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam: cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, immo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea praedicare vel disputare . . . Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc quod affectio ejus est inclinata in hunc actum, . . . nullus enim delectatur nisi in eo quod est conforme appetitui ejus . . . Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale.

(Q. 75.) DE CAUSIS PECCATORUM IN GENERALI.

(a. 2.) Duplex causa peccati interior potest assignari; una proxima ex parte rationis et voluntatis; alia vero remota ex parte imaginationis vel appetitus sensitivi.

(a. 3.) Aliquid *etiam* exterius potest esse aliqua causa movens ad peccandum, non tamen sufficienter ad peccandum inducens; sed causa sufficienter complens peccatum est sola voluntas.

(a. 4.) Contingit *quoque* unum peccatum esse causam alterius, *reddendo nempe faciliores sequentes lapsus; vel eos directe intendendo.*

(Q. 76.) DE CAUSIS INTERIORIBUS PECCATI.

Inter causas interiores peccati sunt ignorantia, quae est causa peccati ex parte rationis, infirmitas seu passio, quae est causa peccati ex parte appetitus sensitivi, et malitia, quae est causa peccati ex parte voluntatis. *De his vide ubi de voluntario et involuntario.*

(Q. 79.) DE CAUSIS EXTERIORIBUS PECCATI.

Deinde considerandum est de causis exterioribus peccati: et primo ex parte Dei; secundo ex parte diaboli; tertio ex parte hominis.

(a. 1.) Omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum sicut in finem; Deus autem omnia inclinat et convertit in se ipsum sicut in ultimum finem, . . unde *Deus* non potest directe esse causa peccati. Similiter etiam neque indirecte. Contingit enim quod Deus aliquibus non praebet auxilium ad evitanda peccata, quod si praeberet non peccarent. Sed hoc totum facit secundum ordinem suae sapientiae et justitiae, cum ipse sit sapientia et justitia; unde non imputatur ei quod alius peccet, sicut causae peccati; sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem potens et debens gubernare.

(a. 2.) *Quatenus vero* actus peccati et est ens, et est actus, ex utroque habet quod sit a Deo. Omne enim ens quocumque modo sit, oportet quod derivetur a primo ente, . . et omne ens actu reducitur in primum actum scilicet Deum, sicut in

causam ... Sed peccatum nominat ens et actionem cum quodam defectu. Defectus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liberum arbitrium; sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundum hoc Deus est causa actus peccati; non tamen est causa peccati, quia non est causa hujus quod actus sit cum defectu.

(a. 3.) *Quoad* excaecationem et indurationem, *quatenus sunt* motus animi humani inhaerentis malo, et aversi a divino lumine, in quantum ad hoc Deus non est causa excaecationis et obdurationis, sicut non est causa peccati. *Quatenus autem* est subtractio gratiae ex qua sequitur quod mens divinitus non illuminetur ad recte vivendum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum; quantum ad hoc Deus est causa excaecationis et obdurationis, ut Isaiae 6, 10, Rom. 9, 18. (a. 4.) Quae ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excaecatur: propter quod ponitur etiam reprobationis effectus. Sed ex divina misericordia excaecatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excaecantur. Sed haec misericordia non omnibus impenditur excaecatis, sed praedestinatis solum, quibus *omnia cooperantur in bonum,* sicut dicitur Rom. 8.

(Q. 80.) DE CAUSA PECCATI EX PARTE DIABOLI.

(a. 1.) *Quoad* causam peccati ex parte diaboli, sola voluntas hominis est directe causa peccati ejus, et *iste* non est causa peccati directe vel sufficienter, sed solum per modum persuadentis, vel proponentis appetibile. (a. 2.) Diabolus potest inducere ad peccandum interius instigando, . . *alioquin* nunquam tentaret hominem nisi visibiliter apparendo: quod patet esse falsum . . . Tota *autem* interior operatio diaboli esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum: quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum . . . (a. 3.) *minime tamen* necessitatem inferre, (a. 4.) *sicut nec* omnia peccata hominum sunt ex suggestione diaboli, *nisi* occasionaliter et indirecte . . . in quantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato in tantum est vitiata humana natura, ut omnes ad peccandum proclives simus.

(Q. 81.) DE CAUSA PECCATI EX PARTE HOMINIS.

Deinde considerandum est de causa peccati ex parte hominis. Cum autem homo sit causa peccati alteri homini exterius suggerendo, sicut et diabolus, habet quemdam specialem modum causandi peccatum in alterum per originem. Unde de peccato originali dicendum est.

(a. 1.) Ad investigandum qualiter peccatum primi parentis originaliter possit transire in posteros, diversi diversis viis processerunt. Quidam enim considerantes quod peccati subjectum est anima

rationalis, posuerunt quod cum semine rationalis anima traducatur, ut sic ex infecta anima infectae animae derivari videantur.

Alii vero hoc repudiantes tamquam erroneum, conati sunt ostendere quomodo culpa animae parentis traducitur in prolem etiamsi anima non traducatur, per hoc quod corporis defectus traducuntur a parente in prolem, sicut leprosus generat leprosum, et podagricus podagricum, propter aliquam corruptionem seminis, licet talis corruptio non dicatur lepra vel podagra. Cum autem corpus sit proportionatum animae, et defectus animae redundet in corpus, et e converso, simili modo dicunt quod culpabilis defectus animae per traductionem seminis in prolem derivatur, quamvis semen actualiter non sit culpae subjectum.

Sed omnes hujusmodi viae insufficientes sunt: quia dato quod aliqui defectus corporales a parente transeant in prolem per originem, et etiam aliqui defectus animae ex consequenti propter corporis indispositionem (sicut interdum ex fatuis fatui generantur); tamen hoc ipsum quod est ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpae, de cujus ratione est quod sit voluntaria. Unde etiam posito quod anima rationalis traduceretur, ex hoc ipso quod infectio animae prolis non esset in ejus voluntate, amitteret rationem culpae obligantis ad poenam: quia, ut Philosophus dicit III. Ethic. c. 5, nullus improperabit caeco nato, sed magis miserebitur.

Et ideo alia via procedendum est, dicendo quod omnes homines qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo homine accipiunt; secundum quod in civilibus omnes homines qui sunt unius communitatis reputantur quasi unum corpus,

et tota communitas quasi unus homo; sicut etiam Porphyrius dicit quod *participatione speciei plures homines sunt unus homo.* Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tamquam multa membra unius corporis . . . Unde peccatum quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur *originale,* sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis dicitur *actuale*: et sicut peccatum actuale quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur *peccatum humanum;* ita peccatum originale non est peccatum hujus personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam ab ipso parente; unde et vocatur *peccatum naturae* secundum illud Ephes. 2. 3, *Eramus natura filii irae* . . . Per virtutem *autem* seminis traducitur humana natura, et simul cum natura naturae infectio.

(a. 2.) Utrum *vero* etiam alia peccata primi parentis vel proximorum parentum traducantur in posteros, Augustinus hanc quaestionem movet in Enchir. c. 46 et 47, et insolutam relinquit. Sed si aliquis diligenter attendat, impossibile est quod aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis, praeter primum, per originem traducantur. Cujus ratio est quia homo generat sibi idem in specie, non autem secundum individuum: et ideo ea quae directe pertinent ad individuum, sicut personales actus, et quae ad eos pertinent, non traducuntur a parentibus in filios.

Nec opponas quod aliqui puniuntur judicio pro peccato proximorum parentum, secundum illud Exod. 20. 5, *Ego sum Deus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Judicio etiam humano in crimine laesae majestatis filii exhaeredantur pro peccato parentum.

Dicendum *enim* quod poena spirituali, sicut Augustinus dicit in Epist. ad Auxilium, nunquam puniuntur filii pro parentibus, nisi communicent in culpa vel per originem vel per imitationem: quia omnes animae immediate sunt Dei, ut dicitur Ezech. 18. Sed poena corporali interdum judicio divino vel humano puniuntur filii pro parentibus, in quantum filius est aliquid patris secundum corpus.

(a. 3.) Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt: (*at quoad B. V. Mariam Conc. Trid. Sess. V. in Decreto de peccato originali ait*: Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat. *Vide Append. Tomi I, C. IV*, §. 4.) alioquin non omnes indigerent redemptione, quae est per Christum: quod est erroneum.

Objicies 1. Videtur, quod peccatum primi parentis non transeat per originem in omnes homines. Mors enim est poena consequens originale peccatum: Sed non omnes qui procedunt seminaliter ex Adam morientur. Illi enim, qui vivi reperientur in adventu Domini, numquam morientur, ut videtur per hoc quod dicit, 1. Thess. 4, *Nos, qui vivimus, non praeveniemus in adventu Domini eos, qui dormierunt.* Ergo illi non contrahunt originale peccatum.

2. Praeterea. Nullus dat alteri, quod ipse non habet: sed homo baptizatus non habet peccatum originalem. Ergo non traducit ipsum in prolem.

3. Praeterea. Donum Christi est majus, quam

peccatum Adae, ut Apostolus dicit Rom. 5. Sed donum Christi non transit in omnes homines. Ergo nec peccatum Adae.

Resp. Ad primum dicendum, quod probabilius et convenientius tenetur, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperientur, morientur et post modicum resurgent, ut in 8 lib. plenius dicetur.

Si tamen hoc verum sit, quod alii dicunt, quod illi nunquam morientur, sicut Hieron. narrat diversorum opiniones in quadam epistola ad Minerium de resurrectione carnis, dicendum est ad argumentum, quod illi, etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis: sed poena aufertur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poenas condonare potest.

Ad secundum dicendum, quod peccatum originale per baptismum aufertur reatu, inquantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem: remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animae et ipsius corporis, secundum quod homo generat; et non secundum mentem, et ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant, inquantum sunt renovati per baptismum, sed inquantum retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati.

Ad tertium dicendum, quod, sicut peccatum Adae traducitur in omnes, qui ab Adam corporaliter generantur: ita gratia Christi traducitur in omnes, qui ab eo spiritualiter generantur per fidem, et baptismum; et non solum ad removendum culpam primi parentis, sed etiam ad removendum peccata actualia, et ad introducendum in gloriam.

(a. 4.) Si autem aliquis ex humana carne formaretur miraculose, non contraheret originale peccatum . . . quia non fuisset in Adam secundum

seminalem rationem, quod solum causat traductionem peccati originalis, ut Aug. dicit l. 10. super Gen. ad litt. c. 18, 19, et 20.

(a. 5.) *Et* si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum non contraherent;. . . Apostolus *enim* dicit Rom. 5. 12: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Magis autem fuisset dicendum, quod per duos intrasset, cum ambo peccaverint, vel potius per mulierem, quae primo peccavit, si femina peccatum originale in prolem transmitteret . . . Manifestum est *etiam*, secundum doctrinam philosophorum, quod principium activum in generatione est a patre, materiam autem mater ministrat. Unde peccatum originale non contrahitur a matre, sed a patre. Et secundum hoc, si, Adam non peccante, Eva peccasset, filii originale peccatum non contraherent: e converso autem esset, si Adam peccasset, et Eva non.

(Q. 82.) DE PECCATO ORIGINALI QUANTUM AD EJUS ESSENTIAM.

(a. 1.) Peccatum originale est habitus, *ut* Aug. dicit l. de peccat. meritis et remiss. c. 39, quod *secundum peccatum originale parvuli sunt concupiscibiles, etsi non sint actu concupiscentes,* (a. 3.) *et hinc sequitur, quod* originale peccatum sit concupiscentia, *ut idem* Aug. dicit in l. 1. Retract. c. 15: *concupiscentia est reatus originalis peccati. Nempe* privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali, sicut quoddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animae praecipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad

bonum commutabile: quae quidem inordinatio communi nomine potest dici *concupiscentia*. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiae.

Nec obstat, quod multae aliae sint passiones praeter concupiscentiam, *nam* passiones irascibilis ad passiones concupiscibilis reducuntur, sicut ad principaliores; inter quas concupiscentia vehementius movet, et magis sentitur.

(a. 4.) *Nec, ex quo* non omnes aequaliter sint proni ad concupiscendum, *sequitur, quod* peccatum originale non sit aequaliter in omnibus; *nam*, quod unus homo sit pronior ad concupiscendum, quam alter, non est ratione peccati originalis, cum in omnibus aequaliter solvatur vinculum originalis justitiae, sub quo quodam ordine omnes vires animae continebantur, et aequaliter in omnibus partes inferiores animae sibi relinquantur; sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum.

(Q. 83.) DE SUBJECTO ORIGINALIS PECCATI.

(a. 2.) Anima est subjectum originalis peccati principaliter secundum suam essentiam. (a. 3.) Peccatum *autem* originale habet duplicem processum: unum quidem a carne ad animam; alium vero ab essentia animae ad potentias; primus quidem processus est secundum ordinem generationis; secundus autem secundum ordinem perfectionis; et ideo, quamvis aliae potentiae, scilicet sensitivae, propinquiores sint carni; quia tamen voluntas est propinquior essentiae animae, tamquam superior potentia, primo pervenit ad ipsam infectio originalis peccati.

(a. 4.) Praefatae *autem* potentiae *sensitivae* sunt magis infectae, quam aliae, *nempe* infectio originalis

peccati maxime pertinet ad ista tria, scilicet potentiam generativam, vim concupiscibilem, et sensum tactus . . . *Et sane*, corruptio originalis peccati traducitur per actum generationis, ut supra dictum est, q. 81, a. 1. Unde potentiae, quae ad hujusmodi actum concurrunt, maxime dicuntur esse infectae.

(Q. 84.) DE CAUSA PECCATI, SECUNDUM QUOD UNUM PECCATUM EST CAUSA ALTERIUS.

(a. 1.) Dicit Apostolus I. ad Timoth. c. ult. v. 10: *radix omnium malorum est cupiditas* . . . Manifestum est autem, quod loquitur de cupiditate, secundum quod est appetitus inordinatus divitiarum. Et secundum hoc dicendum est, quod cupiditas, secundum quod est speciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quae alimentum praestat toti arbori. Videmus enim, quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum, et adhibendi desiderium cujuscumque peccati; eo quod ad habenda quaecumque temporalia bona potest homo per pecuniam juvari, secundum quod dicitur, Eccle. 10. 19: *pecuniae obediunt omnia*. Et secundum hoc patet, quod cupiditas divitiarum est radix omnium peccatorum.

(a. 2.) *Initium autem omnis peccati superbia*, dicitur Eccli. 10. 11: . . . finis *enim* in omnibus bonis temporalibus acquirendis est, ut homo per illa quamdam perfectionem singularem et excellentiam habeat. Et ideo ex hac parte superbia, quae est appetitus excellentiae, ponitur initium *omnis* peccati. Sed, *cum* ex parte executionis *peccati* sit primum id, quod praebet oportunitatem adimplendi omnia desideria peccati, quod habet rationem ra-

dicis, sicut divitiae, ideo ex hac parte avaritia ponitur esse radix omnium malorum, ut dictum est.

(a. 3.) Praeter superbiam et avaritiam, sunt alia peccata specialia, quae dici debent capitalia, *nempe productiva aliorum vitiorum*. (a. 4.) *Septem nnmerantur* vitia capitalia *a Gregorio* l. 31. Mor. c. 17: *inanis gloria, invidia, ira, avaritia, tristitia, gula, luxuria*.

(Q. 85.) DE EFFECTIBUS PECCATI.

Deinde considerandum est de effectibus peccati: et primo quidem de corruptione boni naturae; secundo de macula animae; tertio de reatu poenae.

(a. 1.) Bonum naturae humanae potest tripliciter dici. Primo ipsa principia naturae, ex quibus ipsa natura constituitur, et proprietates ex his causatae, sicut potentiae animae et alia hujusmodi. Secundo, quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem, ipsa autem inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturae. Tertio modo potest dici bonum naturae donum originalis justitiae, quod fuit in primo homine collatum toti humanae naturae. Primum igitur bonum naturae nec tollitur, nec diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum naturae totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturae, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum... Cum *enim* peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonum naturae, quod est inclinatio ad virtutem.

(a. 4.) *Quatuor* ponuntur a *Beda* vulnera naturae ex peccato consequentia, infirmitas, ignorantia, malitia, et concupiscentia. *Sane*, in quantum ratio destituitur suo ordine ad verum, est *vulnus*

ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est *vulnus malitiae;* in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est *vulnus infirmitatis*; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est *vulnus concupiscentiae.*

(a. 5.) Mors *etiam* et alii corporales defectus sunt effectus peccati... *Scilicet* hoc modo peccatum primi parentis est causa mortis, et omnium hujusmodi defectuum in natura humana, in quantum per peccatum primi parentis sublata est originalis justitia, per quam non solum inferiores animae vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu.

Nec obstat, quod, remoto omni peccato per baptismum, vel poenitentiam, non removeantur hujusmodi defectus; *nam* culpa originalis et actualis removentur ab eodem, a quo *utique* etiam removentur et hujusmodi defectus, secundum illud Apostoli, Rom. 8. 2: *vivificabit mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Sed utrumque fit secundum ordinem divinae sapientiae congruo tempore. Oportet enim, quod ad immortalitatem, et impassibilitatem gloriae, quae in Christo inchoata est et per Christum nobis acquisita, perveniamus conformati prius passionibus ejus: unde oportet, quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriae promerendam conformiter Christo.

(a. 6.) *Nec pariter obstat, quod* mors, et alii defectus sint naturales homini: nam utique homo est naturaliter corruptibilis secundum naturam materiae sibi relictae, sed non secundum naturam formae . . . Sed Deus, cui subjacet omnis natura, in ipsa institutione hominis supplevit defectum na-

turae; et dono justitiae originalis dedit corpori incorruptibilitatem quamdam. Et secundum hoc dicitur, quod *Deus mortem non fecit*, et, quod mors est poena peccati. *Vid. Append. Tom. I, C. IV*, § 4.

(Q. 86.) DE MACULA PECCATI.

(a. 1.) Est quasi quidam animae tactus quando inhaeret aliquibus rebus per amorem. Cum autem peccat, adhaeret aliquibus rebus contra lumen rationis et divinae legis, unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens macula animae metaphorice vocatur. *De hac* dicitur Eccli. 47. 22. Salomoni: *dedisti maculam in gloria tua*, et Eph. 27; *ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam*: et utrobique loquitur de macula peccati; (a. 2.) *et haec* remanet in anima, etiam transeunte actu peccati, *unde* dicitur Josue 22. 17: *An parum est vobis quia peccastis in Beelphegor, et usque in praesentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?*

(Q. 87.) DE REATU POENAE.

(a. 1.) Cum peccatum sit actus inordinatus, manifestum est, quod quicumque peccat. contra aliquem ordinem agit: et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur: quae quidem depressio poena est. Unde secundum tres ordines, quibus subditur humana voluntas, triplici poena potest homo puniri; . . . unam quidem incurrit a se ipso, quae est conscientiae remorsus; aliam vero ab homine, tertiam vero a Deo.

(a. 2.) Per accidens peccatum potest esse poena peccati . . . tripliciter. Primo, . . . cum ipsa subtractio gratiae sit quaedam poena et a Deo, sequitur quod per accidens etiam peccatum, quod ex hoc sequitur, poena dicatur . . . Alio modo, . . . ut patet, cum aliqui gravi labore opprimuntur et damno, ut expleant actum peccati, secundum illud Sap. 5. 7: *lassati sumus in via iniquitatis*. Tertio modo ex parte effectus, ut scilicet aliquod peccatum dicatur poena respectu effectus consequentis. Sed his duobus ultimis modis unum peccatum non solum est poena praecedentis peccati, sed etiam sui.

(a. 3.) Si per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis subditur Deo, erit inordinatio, quantum est de se, irreparabilis, etsi reparari possit virtute divina. Principium autem hujus ordinis est ultimus finis, cui homo inhaeret per charitatem. Et ideo quaecumque peccata avertunt a Deo, charitatem auferentia, quantum est de se, inducunt reatum aeternae poenae.

Si dicatur quod poena justa adaequatur culpae, . . . peccatum *autem* est temporale, ergo non inducit reatum poenae aeternae; . . . dicendum, quod poena peccato proportionatur secundum acerbitatem tam in judicio divino, quam in humano. Sed, sicut Aug. dicit l. 21. de Civ. Dei, c. 11, in nullo judicio requiritur ut poena adaequetur culpae secundum durationem. Non enim, quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur; sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte; in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium; et sic repraesentat suo modo aeternitatem poenae inflictae divinitus. Justum tamen est, secundum Gregorium l. 4. Dialog. c. 44, quod, qui

in suo aeterno peccavit contra Deum, in aeterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in *suo aeterno* peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durante, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in aeternum peccandi. Unde dicit Greg. loc. cit. quod, *iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere.*

(a. 4.) Peccato non debetur poena infinita secundum quantitatem,... *alioquin* omnium mortalium poenae essent aequales: non enim est infinitum infinito majus. *Deinde,* poena proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt: quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum, unde ex hac parte peccatum est infinitum; aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum, et ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum, tum etiam quia ipsa conversio est finita: non enim possunt esse actus creaturae infiniti. Ex parte igitur aversionis, respondet peccato poena damni, quae etiam est infinita: est enim amissio infiniti boni, scilicet Dei. Ex parte autem inordinatae conversionis respondet ei poena sensus, quae etiam est finita.

(a. 5.) *Cum autem* in quibusdam peccatis sit quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem, sed solum circa ea, quae sunt ad finem, in quantum plus, vel minus debite eis intenditur, salvato tamen ordine ad ultimum finem; puta cum homo, etsi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra praeceptum ejus faciendo. Unde hujusmodi peccatis non debetur aeterna poena, sed temporalis.

(a. 8.) *Nemo* punitur pro peccato alterius, *nisi*

loquamur de poena quae rationem habet medicinae, *ut sunt* detrimenta corporalium rerum vel etiam ipsius corporis ... *Sic puniuntur* filii pro patribus, et subditi pro dominis, in quantum sunt quaedam res eorum ... *Cum autem* poenae spirituales non sint medicinales, quia bonum animae non ordinatur ad aliud melius bonum, *sic* in bonis animae nullus patitur detrimentum sine sua culpa propria.

(Q. 88.) DE PECCATO VENIALI ET MORTALI.

Deinde quia peccatum veniale et mortale distinguuntur secundum reatum, considerandum est de eis.

(a. 1.) Veniale peccatum dividitur contra mortale *his verbis ab Aug.* tract. 41. in Jo. et Enchir. c. 44: *crimen est quod damnationem meretur; veniale autem est quod non meretur damnationem.*

(a. 2.) Peccatum veniale a venia dicitur,... quia non habet in se unde veniam non consequatur, vel in parte, vel in toto.

(a. 3.) Peccatum veniale est dispositio ad mortale, *ut* dicitur Eccli. 19. 1: *qui spernit modica, paulatim decidet.*

(a. 4.) *Non tamen* peccatum veniale potest fieri mortale, *nisi intelligatur, quod* id quod est veniale ex genere, fiat mortale: et hoc quidem possibile est, in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum sicut ad finem,.. puta cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum ... *Sed si intelligatur,* quod idem actus numero, primo sit peccatum veniale, et postea mortale, *vel* quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur unum peccatum mortale, falsum est.

(a. 5.) *Nec* circumstantia potest de veniali peccato facere mortale, manens circumstantia; sed solum tunc quando transfert in aliam speciem, et fit quodammodo differentia specifica moralis actus; *ut alibi dictum est.*

(a. 6.) *Nec* peccatum mortale potest fieri veniale... Potest tamen id quod est ex genere mortale, esse veniale propter imperfectionem actus: quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus.

(Q. 89.) DE PECCATO VENIALI SECUNDUM SE.

(a. 1.) *Quoniam* peccatum veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem: quia non excludit neque diminuit habitum caritatis, et aliarum virtutum; ut infra patebit, 2. 2, q. 24, a. 10, sed solum impedit earum actum, . . . *ideo* proprie loquendo, peccatum veniale non causat maculam in anima.

(a. 2.) Peccata venialia per lignum, foenum, et stipulam designantur ab Apostolo, I. ad Cor. 3. 12, *dum* dicit de eo qui super aedificat *lignum, foenum et stipulam,* quod *salvus erit quasi per ignem;* et sic patietur poenam, sed non aeternam.

(a. 3.) *Quaeritur,* utrum homo in statu innocentiae potuerit peccare venialiter. *At* in statu innocentiae erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, ut etiam Aug. dicit l. 14, de Civ. Dei, c. 13, et ideo oportebat quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc quod summum hominis non subderetur Deo; quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet,

quod homo in statu innocentiae non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter.

(a. 4.) *Pariter,* nec Angelus bonus vel malus potest peccare venialiter. *Nam,* ex natura sua habent quod non possit in eis esse deordinatio circa ea, quae sunt ad finem, nisi simul sit deordinatio circa finem ipsum; quod est per peccatum mortale.

(Q. 90.) DE LEGIBUS.

Vid. Append. C. I.

Consequenter considerandum est de principiis exterioribus actuum. Principium autem exterius ad malum inclinans est diabolus, de cujus tentatione in primo dictum est, q. 114, art. 2, et 3; principium autem exterius movens ad bonum est Deus, qui et nos instruit per legem, et juvat per gratiam. Unde primo de lege, secundo de gratia dicendum est. Circa legem autem: primo oportet considerare de ipsa lege in communi; secundo de partibus ejus.

(a. 1.) Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum. *Quia autem* regula et mensura humanorum actuum est ratio, quae est principium primum actuum humanorum,... rationis enim est ordinare ad finem, qui est primum principium in agendis, . . . hinc relinquitur, quod lex sit aliquid pertinens ad rationem.

(a. 2.) *Porro* primum principium in operativis, quorum est ratio practica, est finis ultimus; est autem ultimus finis humanae vitae felicitas, vel beatitudo, ut supra habitum est, q. 1: unde oportet quod lex maxime respiciat ordinem, qui est in beatitudine.

Rursus, cum omnis pars ordinetur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum; unus autem homo est pars communitatis perfectae; necesse est quod lex proprie respiciat ordinem ad felicitatem communem.

(a. 3.) *Et quia* ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis, ideo condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quae totius multitudinis curam habet ... Unde ille qui gubernat aliquam familiam, potest quidem facere aliqua praecepta, vel statuta, non tamen quae proprie habent rationem legis, ... quia bonum unius domus ordinatur ad bonum unius civitatis, quae est communitas perfecta.

(a. 4.) Promulgatio necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem; ... *unde* dicitur in decretis 4. distinct. in append. Grat. ad caput *in istis:* quod *leges instituuntur cum promulgantur*... Et sic ex praedictis potest colligi definitio legis, quae nihil est aliud, quam *quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

(Q. 91.) DE LEGUM DIVERSITATE.

(a. 1.) Est aliqua lex aeterna, *sic* Aug. dicit in I. de lib. arb. c. 6: *lex, quae summa ratio nominatur, non potest cuipiam intelligenti non incommutabilis, aeternaque videri* ... Manifestum est *enim*, supposito quod mundus divina providentia regatur, ut in I. habitum est, q. 22, quod tota communitas universi gubernatur ratione divina. Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe universitatis, existens, legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet aeternum conceptum, ut dicitur Proverb. 8; inde est quod hujusmodi legem oportet dicere aeternam.

(a. 2.) *Quia autem* inter caetera, rationalis creatura excellentiori quodam modo divinae providentiae

subjacet, in quantum et ipsa fit providentiae particeps, sibi ipsi et aliis providens, *ideo* et in ipsa participatur ratio aeterna, per quam habet inclinationem ad debitum actum et finem: et talis participatio legis aeternae in rationali creatura *lex naturalis* dicitur, de qua Rom. 2, Psal. 4. 6.

(a. 3.) Ex praeceptis *autem* legis naturalis, quasi ex quibusdam principiis communibus et indemonstrabilibus, necesse est quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda: et istae particulares dispositiones adinventae secundum rationem humanam dicuntur *leges humanae*, observatis aliis conditionibus, quae pertinent ad rationem legis, ut supra dictum est.

(a. 4.) Praeter *autem* legem naturalem, et legem humanam, necessarium fuit ad directionem humanae vitae habere legem divinam. Et hoc propter quatuor rationes. Primo: . . . quia homo ordinatur ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae . . . Secundo: . . . propter incertitudinem humani judicii, . . . ut homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum, et quid vitandum . . . Tertio: quia . . . judicium hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, . . . et ideo lex humana non potuit cohibere et ordinare sufficienter interiores actus . . . Quarto: quia, sicut Aug. dicit in l. de lib. arb. c. 5 et 6, lex humana non potest omnia que malefiunt punire, vel prohibere: quia dum auferre vellet omnia mala, sequeretur quod etiam multa bona tollerentur, et impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conservationem humanam.

(a. 5.) Lex divina distinguitur in legem veterem, et legem novam: Apostolus ad Gal. 3, comparat statum veteris legis statui pueri existentis sub paedagogo; statum autem novae legis comparat statui

viri perfecti, qui jam non est sub paedagogo. Attenditur autem perfectio et imperfectio legis secundum tria, quae ad legem pertinent . . . Primo: . . . ad bonum sensibile et terrenum ordinabat directe lex vetus, . . . et ad bonum intelligibile et coeleste ordinat lex nova . . . Secundo: . . . superabundat lex nova legi veteri, interiores actus animi ordinando, . . . et ideo dicitur, quod lex vetus cohibet manum, lex nova animum. Tertio: ad legem pertinet inducere homines ad observantias mandatorum: et hoc quidem lex vetus faciebat timore poenarum, lex autem nova facit hoc per amorem.

(Q. 92.) DE EFFECTIBUS LEGIS.

(a. 1. et 2.) Effectus legis est facere homines bonos, *et ejus* actus sunt imperare, vetare, permittere, et punire.

(Q. 93.) DE LEGE AETERNA.

Deinde considerandum est de singulis, et primo de lege aeterna, secundo de lege naturali, tertio de lege humana, quarto de lege veteri, quinto de lege nova, quae est lex Evangelii.

(a. 1.) Lex aeterna est summa ratio in Deo existens, *ut diximus,* (a. 2.) estque omnibus nota, *nempe* omnis creatura rationalis ipsam cognoscit secundum aliquam ejus irradiationem, vel majorem, vel minorem. Omnis enim cognitio veritatis est quaedam irradiatio et participatio legis aeternae, quae est veritas incommutabilis, ut Aug. dicit in lib. de vera rel. c. 31. Veritatem autem omnes aliqualiter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis; in aliis vero, quidam

plus, et quidam minus participant de cognitione veritatis: et secundum hoc etiam plus, vel minus cognoscunt legem aeternam.

(a. 3.) Omnes leges in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege aeterna: et propter hoc Aug. dicit in I. de lib. arb. c. 6, quod, *in temporali lege nihil est justum ac legitimum, quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint.*

(a. 4.) Legi aeternae subduntur omnia quae sunt in rebus a Deo creatis, sive sint contingentia, sive sint necessaria; ea vero quae pertinent ad naturam, vel essentiam divinam, legi aeternae non subduntur, sed sunt realiter ipsa lex aeterna.

(Q. 94.) DE LEGE NATURALI.

(a. 1.) Lex naturalis est habitus, *hoc tamen* modo, quod praecepta legis naturalis quandoque considerantur in actu a ratione, quandoque autem sunt in ea habitualiter tantum.

(a. 2.) Sic se habent praecepta legis naturalis in homine quantum ad operabilia, sicut se habent prima principia in demonstrativis; sed prima principia indemonstrabilia sunt plura, ergo etiam praecepta legis naturae sunt plura . . . Hoc est primum praeceptum legis, quod bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum; et super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae . . . Secundum *autem* ordinem inclinationum naturalium est ordo praeceptorum legis naturae. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam; et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem

naturalem ea, per quae vita hominis conservatur, et contrarium impeditur. Secundo, inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum caeteris animalibus: et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quae natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et feminae, et educatio liberorum, et similia. Tertio modo, inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria; sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat: et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quae ad hujusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat cum quibus debet conversari, et caetera hujusmodi quae ad hoc spectant.

(a. 3.) Si loquamur de actibus virtutum, in quantum sunt virtuosi, sic omnes actus virtuosi pertinent ad legem naturae, *nam* naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem: et hoc est agere secundum virtutem .... Sed si loquamur de actibus virtuosis secundum seipsos, prout scilicet in propriis speciebus considerantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturae. Multa enim secundum virtutem fiunt ad quae natura non primo inclinat; sed per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt quasi utilia ad bene vivendum.

(a. 4.) Lex naturae, quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, et secundum rectitudinem, et secundum notitiam. Sed quantum ad quaedam propria, quae sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes ut in pluribus, et secundum rectitudinem, et secundum notitiam; sed ut in paucioribus potest deficere et quantum ad rectitudinem, propter aliqua

particularia impedimenta, (sicut etiam naturae generabiles et corruptibiles deficiunt ut in paucioribus propter impedimenta), et etiam quantum ad notitiam: et hoc, propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturae.

(a. 5.) Quantum ad prima principia, lex naturae est omnino immutabilis; quantum autem ad secunda praecepta, quae diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, sic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus sit rectum semper quod lex naturalis habet; potest tamen mutari et in aliquo particulari, et in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium praeceptorum.

Quod si dicatur: contra legem naturalem est occisio innocentis, et etiam adulterium, et furtum. Sed ista inveniuntur esse mutata a Deo; puta cum Deus praecepit Abrahae quod occideret filium innocentem, ut habetur Gen. 23; et cum praecepit Judaeis ut mutuata Ægyptiorum vasa surriperent, ut habetur Exod. 12: et cum praecepit Oseae ut uxorem fornicariam acciperet, ut habetur Oseae 1. Ergo lex naturalis potest mutari.

Resp. Dicendum, quod naturali morte moriuntur omnes communiter tam nocentes, quam innocentes: quae quidem naturalis mors divina potestate inducitur propter peccatum originale, secundum illud I. Reg. 2. 6, *Dominus mortificat et vivificat.* Et ideo absque aliqua injustitia potest infligi mors cuicumque homini vel nocenti, vel innocenti. Similiter etiam adulterium est concubitus cum uxore aliena, quae quidem est Oseae deputata secundum legem Dei divinitus traditam: unde ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandato divino, non est adulterium nec fornicatio. Et eadem ratio est de furto,

quod est acceptio rei alienae: quidquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui est Dominus universorum, non accipit absque voluntate Domini; quod est furari.

(a. 6.) Quantum ad principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia praecepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones, (eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias), vel etiam propter pravas consuetudines, et habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit Rom. 1.

(Q. 95.) DE LEGE HUMANA.

(a. 1.) Necessarium fuit ad pacem hominum et virtutem, quod leges ponerentur: quia, sicut philosophus dicit in I. polit. c. 11: *sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum animalium; sic, si sit separatus a lege et justitia, est pessimum omnium*: quia homo habet arma rationis ad expellendas concupiscentias et saevitias, quae non habent alia animalia.

(a. 2.) Omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturae derivatur. Si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio.

(a. 3.) Isidorus qualitatem legis positivae describit dicens, l. 5. Etymol. c. 21: *Erit lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum*

consuetudinem patriae, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta.

(a. 4.) Sunt multa de ratione legis humanae, secundum quorum quodlibet lex humana proprie et per se dividi potest. Est enim primo de ratione legis humanae quod sit derivata a lege naturae, ut ex dictis patet, et secundum hoc dividitur jus positivum in jus gentium, et jus civile. Ad jus gentium pertinent ea quae derivantur ex lege naturae sicut conclusiones ex principiis, ut justae emptiones, venditiones et alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt: quod est de lege naturae, quia homo est naturaliter animal sociabile. Quae vero derivantur a lege naturae per modum particularis determinationis, pertinent ad jus civile, secundum quod quaelibet civitas aliquid sibi accomode determinat.

Secundo, est de ratione legis humanae quod ordinetur ad bonum commune civitatis: et secundum hoc lex humana dividi potest secundum diversitatem eorum, qui specialiter dant operam ad bonum commune; sicut *Sacerdotes* pro populo Deum orantes, *Principes* populum gubernantes, et *milites* pro salute populi pugnantes: et ideo istis hominibus specialia quaedam jura aptantur.

Tertio, est de ratione legis humanae ut instituatur a gubernante communitatem civitatis, sicut supra dictum est, q. 90, a. 3, et secundum hoc distinguuntur leges humanae secundum diversa regimina civitatum. Quorum unum, secundum Philosophum, II. Polit., est *Regnum,* quando scilicet civitas gubernatur ab uno: et secundum hoc accipiuntur *Constitutiones Principum.* Aliud vero regimen est *Aristocratia,* idest principatus optimorum, vel

optimatum: et secundum hoc sumuntur *responsa prudentum*, et etiam *Senatusconsulta*. Aliud regimen est *Oligarchia*, idest principatus paucorum divitum, et potentum: et secundum hoc sumitur *jus praetorium*, quod etiam *honorarium* dicitur. Aliud autem regimen est populi, quod nominatur *Democratia*: et secundum hoc sumuntur *plebiscita*. Aliud autem est *tyrannicum*, quod est omnino corruptum: unde ex hoc non sumitur aliqua lex. Est etiam aliquod regimen ex istis commixtum.

Quarto vero, de ratione legis humanae est quod sit directiva humanorum actuum: et secundum hoc, secundum diversa de quibus leges feruntur, distinguuntur leges, quae interdum ab auctoribus nominantur; sicut distinguitur lex *Julia de adulteris*, lex *Cornelia de sicariis*, et sic de aliis, non propter auctores, sed propter res de quibus sunt.

(Q. 96.) DE POTESTATE LEGIS HUMANAE.

(a. 1.) *Jura*, dicit Jurisperitus, seu Pomponius et Celsus, *constitui oportet in his quae saepius accidunt; ex his autem quae forte uno casu accidere possunt, jura non constituuntur. Et* Isidorus l. 5: etymol. c. 21: *nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium lex debet esse conscripta.*

(a. 2.) Lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; sicut prohibentur lege humana homicidia, furta, et hujusmodi.

(a. 3.) *Pariter*, non de omnibus actibus omnium virtutum lex humana praecipit, sed solum de illis, qui ordinabiles sunt ad bonum commune.

(a. 4.) Lex humana imponit homini necessitatem in foro conscientiae, *nisi sit injusta.* Injustae autem sunt leges dupliciter. Uno modo, per contrarietatem ad bonum humanum, *nempe:* vel ex fine, sicut cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam; vel etiam ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem; vel etiam ex forma, puta, cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi magis sunt violentiae quam leges: quia, sicut Aug. dicit in l. 1, de lib. arb. c. 5: *lex esse non videtur, quae justa non fuerit.* Unde tales leges non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum scandalum, vel turbationem: propter quod etiam homo juri suo debet cedere, secundum illud Matth. 5. 41: *qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, et qui abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium.* Alio modo leges possunt esse injustae per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod sit contra legem divinam: et tales leges nullo modo licet observare, quia, sicut dicitur Act. 4, obedire oportet Deo magis quam hominibus.

(a. 5.) Omnes subjiciuntur legi, *ut* Apostolus dicit Rom. 13. 1: *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Etiam Princeps,* quantum ad vim directivam legis; *et est solutus solum* quantum ad vim coactivam legis.

(a. 6.) Licet *aliquando* praeter verba legis agere, *nempe* si emergat casus in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, *et dummodo* sit subitum periculum, non patiens tantam moram ut ad Superiorem recurri possit *pro novo hoc casu.*

(Q. 97.) DE MUTATIONE LEGUM.

(a. 1.) *Lex temporalis, quamvis justa sit, commutari tamen per tempora juste potest, ait* Aug. in l. de lib. arb. c. 6, ... (a. 2.) in quantum *scilicet* per ejus mutationem communi utilitati providetur.

(a. 3.) Consuetudo potest obtinere vim legis. Aug. dicit in Epist. ad Casulanum: *Mos populi Dei et instituta majorum pro lege sunt tenenda: et sicut praevaricatores legum divinarum, ita et contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt...* Per actus *vero,* maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex, et exponi, et etiam aliquid causari quod legis virtutem obtineat... Consuetudo *autem* in multitudine praevalens, obtinet vim legis inquantum per eos toleratur ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit.

(a. 4.) Ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus in quibus lex deficit, (seu non est conveniens huic personae, vel in hoc casu), licentiam tribuat ut praeceptum legis non servetur. Si autem pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens.

(Q. 98.) DE LEGE VETERI.

Consequenter considerandum est de lege veteri.

(a. 1.) Absque omni dubio lex vetus bona fuit... nam rationi consonabat quia concupiscentiam reprimebat, quae rationi adversatur, ut patet in illo mandato: *non concupisces rem proximi tui*, quod ponitur Exod. 20, 17. Ipsa etiam omnia peccata prohibebat, quae sunt contra rationem... *Sed quia* gratiam conferre non potuit, reservabatur enim Christo, quia ut dicitur Joan. 1, 17: *lex per Moysen data est; gratia et veritas per J. C. facta est;* inde est quod lex vetus bona quidem est; sed imperfecta, secundum illud Hebr. 7, 19: *nihil ad perfectum adduxit lex.*

(a. 2.) Ab eodem *autem* Deo, a quo facta est salus hominum per gratiam Christi, lex vetus data est,... *quippe quae* homines ordinabat ad Christum dupliciter. Uno quidem modo testimonium Christo perhibendo: unde ipse dicit Luc. ult. 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege et in Psalmis et in Prophetis de me:* et Joan. 5, 46: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* Alio modo per modum cujusdam dispositionis, dum retrahens homines a cultu idololatriae, concludebat eos sub cultu unius Dei, a quo salvandum erat humanum genus per Christum.

(a. 3.) Lex vetus data fuit per Angelos... et per hunc modum Apostolus ad Hebr. 1, 2, probat eminentiam novae legis ad veterem, quia in novo testamento *locutus est nobis Deus in Filio suo;* in veteri autem testamento *est sermo factus per Angelos.*

(a. 4.) Lex vetus data fuit soli populo Judaeorum... Decebat enim ut ille populus ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione

polleret, secundum illud Lev. 19, 2: *Sancti eritis quia ego sanctus sum*... Si autem quaeratur quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, et non alium, convenit responsio Augustini, quam dicit super Joan. tract. 26. *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare si non vis errare*... *Nec est* personarum acceptor qui ex liberalitate de suo dat uni, et non alteri.

(a. 5.) Proinde in his solum quae lex vetus continebat de lege naturae omnes tenebantur ad observantiam veteris legis, non quia erant de veteri lege, sed quia erant de lege naturae; sed quantum ad illa quae lex vetus superaddebat, non tenebantur aliqui ad observantiam veteris legis, nisi solus populus Judaeorum.

(a. 6.) Convenientissime autem lex vetus data fuit tempore Moysis... in remedium humanae ignorantiae, quia per legem est cognitio peccati, ut dicitur Rom. 7,... *et* ex parte bonorum lex data est in auxilium: quod quidem tunc maxime populo necessarium fuit, quando lex naturalis obscurari incipiebat propter exuperantiam peccatorum.

(Q. 99.) DE PRAECEPTIS VETERIS LEGIS.

(a. 1.) Omnia praecepta legis veteris sunt unum secundum ordinem ad unum finem; sunt tamen multa secundum diversitatem eorum, quae ordinantur ad illum finem.

(a. 2, 3, 4.) Lex vero continet praecepta moralia, caeremonialia, et judicialia, *ut* dicitur Deut. 6, 1: *haec sunt praecepta, caeremoniae, atque judicia, quae mandavit Dominus Deus vobis.*

(a. 5.) *Sicut* autem imperfectorum est quod temporalia bona desiderent, in ordine tamen ad Deum;

perversorum autem est quod in temporalibus bonis finem constituant, ideo legi veteri conveniebat, ut per temporalia quae erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum. *Idcirco* lex vetus inducebat ad observantiam praeceptorum per temporales promissiones et comminationes.

(Q. 100.) DE PRAECEPTIS MORALIBUS VETERIS LEGIS.

(a. 3.) Omnia praecepta moralia veteris legis reducuntur ad decem praecepta decalogi ... (a. 8.) Praecepta *autem* decalogi non sunt dispensabilia, continent *enim* ipsam intentionem Legislatoris, scilicet Dei. Nam praecepta primae tabulae, quae ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune et finale quod Deus est. Praecepta autem secundae tabulae continent ordinem justitiae inter homines observandae, ut scilicet nulli fiat indebitum, et cuilibet reddatur debitum; secundum hanc enim rationem sunt intelligenda praecepta decalogi, et ideo praecepta decalogi sunt omnino indispensabilia.

(a. 11.) *Sunt et* alia praecepta moralia superaddita decalogo, *quae tamen* reducuntur ad praecepta decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa, *vel clarioris explicationis in Levit. et Deut.*

(a. 12.) *Quoniam justitia* acquisita causatur quidem ex operibus, sed infusa causatur ab ipso Deo per ejus gratiam, . . . haec justitia causari non poterat per praecepta moralia, quae sunt de actibus humanis, *sicut nec per praecepta judicialia et caeremonialia* . . . Si vero accipiatur *justitia seu* justificatio pro executione justitiae, *seu pro modo* quo homo fit justus adipiscens habitum justitiae, . . . sic omnia praecepta legis justificabant, in quantum continebant illud, quod est secundum se justum.

(Q. 101.) DE PRAECEPTIS CAEREMONIALIBUS SECUNDUM SE.

(a. 1.) Ratio praeceptorum caeremonialium in hoc consistit quod pertinent ad cultum Dei.

(a. 2.) *Haec* praecepta sunt figuralia, *et sane* est duplex cultus Dei, interior, et exterior; cum enim homo sit compositus ex anima et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum, ut scilicet anima colat interiori cultu, et corpus exteriori. Unde dicitur in Ps. 83, 3: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum. Consistit autem interior cultus in hoc quod anima conjungatur Deo per intellectum, et affectum. Et ideo secundum quod diversimode intellectus, et affectus colentis Deum, Deo recte conjungitur, secundum hoc diversimode exteriores actus hominis ad cultum Dei applicantur.

In statu enim futurae beatitudinis intellectus humanus ipsam divinam veritatem in se ipsa intuebitur: et ideo exterior cultus non consistet in aliqua figura, sed solum in laude Dei, quae procedit ex interiori cognitione, et affectione, secundum illud Isa. 51, 3: *gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.*

In statu autem praesentis vitae non possumus divinam veritatem in se ipsa intueri, sed oportet quod, *radius divinae veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris,* sicut Dionys. dicit c. 1. Coel. Hier. diversimode tamen secundum diversum statum cognitionis humanae. In veteri enim lege neque ipsa divina veritas in se ipsa manifesta erat, neque etiam adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi, sicut Apostolus dicit ad Hebr. 9. Et

ideo oportebat exteriorem cultum veteris legis non solum esse figurativum futurae veritatis manifestandae in patria; sed etiam figurativum Christi, qui est *via* ducens ad illam patriae veritatem.

Sed in statu novae legis haec via jam est revelata. Unde hanc praefigurari non oportet sicut futuram, sed commemorari oportet per modum praeteriti, vel praesentis. Sed solum oportet praefigurari futuram veritatem gloriae nondum revelatam.

(a. 3.) Expediebat *autem* praecepta caeremonialia in veteri lege multiplicari. Erant enim in illo populo aliqui ad idololatriam proni: et ideo necesse erat, ut ab idololatriae cultu per praecepta caeremonialia revocarentur ad cultum Dei: et quia multipliciter homines idololatriae deserviebant, oportebat e contrario multa institui ad singula reprimenda; et iterum multa talibus imponi, ut quasi oneratis ex his, quae ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriae deservire. Ex parte vero eorum, qui erant proni ad bonum, etiam necessaria fuit multiplicatio caeremonialium praeceptorum: tum quia per hoc diversimode mens eorum referebatur in Deum, et magis assidue: tum quia mysterium Christi, quod per hujusmodi caeremonialia figurabatur, multiplices utilitates attulit mundo: et multa circa ipsum consideranda erant, quae oportuit per diversa caeremonialia figurari.

(a. 4.) Caeremoniae veteris legis dividuntur in sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias . . . In cultu *enim*, considerari possunt et ipse cultus, et colentes, et instrumenta colendi. Ipse autem cultus specialiter consistit in *sacrificiis*, quae in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta autem colendi pertinent ad *sacra*, sicut est tabernaculum et vasa, et alia hujusmodi. Ex parte autem colentium, duo possunt considerari: scilicet eorum institutio ad

cultum divinum, quod fit per quamdam consecrationem vel populi, vel ministrorum; et ad hoc pertinent *sacramenta*: et iterum eorum singularis conversatio, per quam distinguuntur ab his qui Deum non colunt, et ad hoc pertinent *observantiae*, puta in cibis, et vestimentis, et aliis hujusmodi.

(Q. 103.) DE DURATIONE PRAECEPTORUM CAEREMONIALIUM.

(a. 1.) Fuerunt etiam ante legem quaedam caeremoniae, non quidem ex auctoritate alicujus legis determinatae, sed solum secundum voluntatem, et devotionem hominum Deum colentium. Quia *enim* etiam ante legem fuerunt quidam viri praecipui prophetico spiritu pollentes, credendum est quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, et qui conveniens esset interiori cultui, et etiam congrueret ad significandum Christi mysteria, quae figurabantur etiam per alia eorum gesta, sicut illud I. Cor. 10, 2: *Omnia in figura contingebant illis.*

(a. 2.) Veteris legis caeremoniae *solum* a corporalibus immunditiis expiabant, erant *autem* in figura expiationis a peccatis, quae fit per Christum... Poterat autem mens fidelium tempore legis, per fidem conjungi Christo incarnato et passo; et ita ex fide Christi justificabantur: cujus fidei quaedam protestatio erat hujusmodi caeremoniarum observatio, in quantum erant figura Christi.

(a. 3.) Caeremoniae veteris legis cessaverunt in adventu Christi, *unde* ad Hebr. 8, 13, dicitur quod *dicendo novum testamentum, veteravit prius: quod autem antiquatur et senescit, propter interitum est.*

(a. 4.) Post Passionem Christi legalia non possunt servari sine peccato mortali... Omnes *enim*

caeremoniae sunt quaedam protestationes fidei, in qua consistit interior Dei cultus . . . Caeremoniae autem veteris legis significabant Christum ut nasciturum et passurum; nostra autem sacramenta significant ipsum ut natum et passum. Sicut igitur peccaret mortaliter qui nunc suam fidem protestando diceret Christum nasciturum, quod antiqui pie et veraciter dicebant; ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc caeremonias observaret quas antiqui pie et fideliter observabant.

Dices, quod Apostoli post adventum Spiritus S. legalia observaverint: sic Act. 16, Paulus circumcidit Timotheum, et Act. 21, 16, et ad Gal. 2, 12, *dicitur de legalibus, a Paulo et Petro observatis.*

Resp. Quod circa hoc diversimode sensisse videntur Hieronymus et Augustinus, . . . Hieron. enim Epist. 75, olim 11, inter ep. Aug. et super illud Gal. 2. *Sed cum vidissem*, distinxit duo tempora; unum tempus ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiativam pro suo modo; nec etiam mortifera quia non peccabant ea observantes; statim autem post passionem Christi inceperunt esse non solum mortua, idest non habentia virtutem et obligationem, sed etiam mortifera, ita scilicet, quod peccabant mortaliter quicumque ea observabant. Unde dicebat, quod Apostoli nunquam legalia observaverunt post passionem secundum veritatem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent Judaeos, et eorum conversionem impedirent. Quae quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem ita, quod illos actus secundum rei veritatem non facerent, sed quia non faciebant, tamquam legis caeremonias observantes.

Sed quia indecens videtur, quod Apostoli ea occultarent propter scandalum, quae pertinent ad

veritatem vitae et doctrinae, et quod simulatione uterentur in his, quae pertinent ad salutem fidelium; ideo convenientius Aug. Epist. 40, olim 11, ... tertium *distinxit* tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui conversi erant ad Christum ex Judaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem; quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. His autem qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre judaea genitus erat; Titum autem, qui ex gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus S. ut statim inhiberetur his, qui ex Judaeis convertebantur, observatio legalium, sicut inhibebatur his qui ex gentilibus convertebantur, gentilitatis ritus, ut quaedam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur tamquam omnino illicitus, et a Deo semper prohibitus; ritus autem legis cessabat, tamquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus.

Pariter secundum Hieron. loc. cit. Petrus simulatorie se a gentilibus subtrahebat, ut evitaret Judaeorum scandalum, quorum erat Apostolus: unde in hoc nullo modo peccavit. Sed Paulus eum similiter simulatorie reprehendit, ut vitaret scandalum gentium, quorum erat Apostolus.

Sed Aug. loc. supra cit. hoc improbat: quia Paulus in Canonica Scriptura; scilicet Gal. 2, in qua nefas est credere aliquid falsum esse, dicit, quod *Petrus reprehensibilis erat.* Unde verum est

quod Petrus peccavit, et Paulus vere eum, non simulatorie reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licebat tamquam ex Judaeis converso; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judaeos, ita quod ex hoc sequeretur gentium scandalum.

(Q. 106.) DE LEGE EVANGELICA.

Consequenter considerandum est de lege Evangelii, quae dicitur lex nova.

(a. 2.) Ad legem Evangelii duo pertinent. Unum quidem principaliter, scilicet ipsa gratia Spiritus Sancti interius data: et quantum ad hoc lex nova justificat.

Aliud pertinet ad legem Evangelii secundario, scilicet documenta fidei, et praecepta ordinantia affectum humanum, et humanos actus: et quantum ad hoc nova lex non justificat. Unde Apostolus dicit II. Cor. 3, 6: *littera occidit, spiritus autem vivificat.*

(a. 3.) Triplex ratio potest assignari quare lex nova non debuit dari a principio mundi. Quarum prima est: quia lex nova, sicut dictum est, principaliter est gratia Spiritus Sancti, quae abundanter dari non debuit antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum. Unde dicitur Jo, 7, 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Secunda ratio potest assignari ex perfectione legis novae. Non enim aliquid ad perfectum adducitur statim a principio, sed quodam temporali successionis ordine, sicut aliquis prius fit puer, et postmodum vir; et hanc rationem assignat Apostolus

ad Gal. 3, 24: *lex paedagogus fuit noster in Christo, ut ex fide justificemur; at ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo.*

Tertia ratio sumitur ex hoc quod lex nova est lex gratiae. Et primo oportuit quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere. Et hanc rationem assignat Apostolus ad Rom. 5, 20, dicens: *lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Nec dicatur; non est acceptio personarum apud Deum, Rom. 2, *sed omnes homines peccaverunt, et egent gloria Dei, ut dicitur* ad Rom. 3, 23, ergo a principio mundi lex Evangelii dari debuit, ut omnibus per eam subveniretur.

Resp. Humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiae, et ideo *quibuscumque non datur, hoc est ex justitia; quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia,* ut Aug. dicit in l. de perfect. just. c. 4, et epist. 127, olim 107. Unde non est acceptio personarum apud Deum ex hoc, quod non omnibus a principio mundi legem gratiae proposuit, quae erat debito ordine proponenda, ut dictum est.

(a. 4.) Lex nova est duratura usque ad finem mundi ... Non est *enim* expectandum quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur, quam hactenus habita fuerit.

(Q. 107.) DE COMPARATIONE LEGIS NOVAE AD VETEREM.

(a. 2.) Lex nova comparatur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum. Omne autem perfectum adimplet id, quod imperfecto deest: et secundum hoc lex nova adimplet veterem legem, in quantum supplet illud, quod veteri legi deerat.

(a. 4.) *Nec* est gravior quam vetus, . . . quin immo ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus caeremoniis, quam lex nova, quae praeter praecepta legis naturae, paucissima superaddidit in doctrina Christi et Apostolorum; licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione Sanctorum Patrum, in quibus etiam Aug. dicit esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur: epist. 55, olim 119, c. 19. *Deinde* dicitur I. Joan. 5, 3, quod *mandata ejus gravia non sunt*: quod exponens Augustinus, lib. de nat. et gr. c. 69, dicit quod *non sunt gravia amanti, sed non amanti sunt gravia.*

(Q. 108.) DE HIS QUAE CONTINENTUR IN LEGE NOVA.

(a. 2.) Lex nulla alia exteriora opera *determinavit* praecipiendo et prohibendo, nisi Sacramenta et moralia praecepta, quae de se pertinent ad rationem virtutis; puta, non esse occidendum, non esse furandum, et alia hujusmodi.

(a. 3.) Pariter lex nova hominem circa interiores actus sufficienter ordinavit, *nam* sicut ex auctoritate Augustini apparet, l. 1 de Serm, Dom. in monte c, 1, sermo quem Dominus in monte proposuit,

totam informationem humanae vitae continet, in quo perfecte interiores motus hominis ordinantur.

(a. 4.) *Insuper* in lege nova, quae est lex libertatis, supra praecepta sunt addita consilia: non autem in veteri lege, quae erat lex servitutis.

Oportet igitur quod praecepta novae legis intelligantur esse data de his, quae sunt necessaria ad consequendum finem aeternae beatitudinis, in quem lex nova immediate introducit; consilia vero, oportet esse de illis, per quae melius et expeditius potest homo consequi finem praedictum . . . Sic quod homo totaliter ea quae sunt mundi abijciat, non est necessarium ad perveniendum in finem praedictum: quia potest homo utens rebus mundi, dummodo in eis finem non constituat, ad beatitudinem aeternam pervenire; sed expeditius perveniet, totaliter bona hujus mundi abdicando; et ideo de hoc dantur Consilia Evangelii.

Bona autem hujus mundi, quae pertinent ad usum humanae vitae, in tribus consistunt, scilicet in divitiis exteriorum bonorum, quae pertinent ad *concupiscentiam oculorum*, et in deliciis carnis, quae pertinent ad *concupiscentiam carnis*, et in honoribus, quae pertinent ad *superbiam vitae*, sicut patet I. Joan. 2. Haec autem tria totaliter derelinquere, secundum quod possibile est, pertinet ad consilia Evangelica. In quibus etiam tribus fundatur omnis religio, quae statum perfectionis profitetur: nam divitiae abdicantur per *paupertatem*, deliciae carnis per *perpetuam castitatem*, superbia vitae per *obedientiae servitutem*.

DE GRATIA

(Q. 109.) DE EXTERIORI PRINCIPIO HUMANORUM ACTUUM, SCILICET DE GRATIA DEI.

Vide Append. C. II, §. 1.

Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adiuvamur ad recte agendum: et primo considerandum est de gratia Dei: secundo de causis ejus; tertio de ejus effectibus.

(a. 1.) *Quia* quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo, *ut a primo movente*, quae quidem motio est secundum suae providentiae rationem, . . . ideo ad cognitionem cujuscumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus a Deo moveatur ad suum actum. Non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus nova illustratione supperaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam quae excedunt naturalem cognitionem: et tamen quandoque Deus miraculose per suam gratiam aliquos instruit de his quae per naturalem rationem cognosci possunt, sicut et quandoque miraculose facit quaedam, quae natura facere potest.

(a. 2.) Homo *autem* nequit velle et facere bonum absque gratia. *Sane*, natura hominis potest dupliciter considerari: Uno modo, in sui integritate, sicut fuit in primo parente ante peccatum: alio modo, secundum quod est corrupta in nobis post peccatum primi parentis. Secundum autem utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad

faciendum, vel volendum quodcumqne bonum, sicut primo movente, ut dictum est. Sed in statu naturae integrae, quantum ad sufficientiam operativae virtutis, poterat homo per sua naturalia velle, et operari bonum suae naturae proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitae; non autem bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusae. Sed in statu naturae corruptae etiam deficit homo ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem etiam in statu naturae corruptae, per virtutem suae naturae, aliquod bonum particulare agere, sicut aedificare domos, plantare vineas et alia hujusmodi, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae. Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturae indiget homo in statu naturae integrae, quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale; sed in statu naturae corruptae, quantum ad duo, scilicet ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo divino auxilio ut ab ipso moveatur ad bene agendum . . . Apostolus dicit Rom. 9, 16. *Non est volentis,* scilicet velle, *neque currentis,* scilicet currere, *sed miserentis Dei.* Et Aug. dicit l. de corrept. et gr. c. 2, quod *sine gratia nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo, et amando, sive agendo faciunt homines bonum* . . . magis *quippe* est humana natura corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.

(a. 3.) *Quoniam* diligere Deum super omnia est quiddam connaturale homini, et etiam cuilibet creaturae, non solum rationali, sed irrationali et etiam inanimatae, secundum modum amoris qui unicuique creaturae competere potest, . . . ideo dicendum est, quod homo in statu naturae integrae, non indigebat dono gratiae superadditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturae corruptae, indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis . . . *nam* in statu naturae corruptae, homo deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quae propter corruptionem naturae sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei.

(a. 4.) *Nequit autem* homo sine gratia, per sua naturalia legis praecepta implere . . . Aug. dicit in l. de haeres. 88: *hoc pertinere ad haeresim Pelagianorum, ut credant, sine gratia hominem posse facere omnia divina mandata. Et sane* implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa et fortia et alia virtutis opera: et hoc modo homo in statu naturae integrae potuit omnia mandata legis implere; alioquin homo non potuisset in statu illo non peccare; cum nihil aliud sit peccare quam transgredi divina mandata; sed in statu naturae corruptae, non potest homo implere omnia mandata divina, sine gratia sanante.

Alio modo, possunt impleri mandata legis, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant: et sic neque in statu naturae integrae potest homo implere absque gratia legis mandata. Unde Aug. l. de cor. et gr. c. 2. cum dixisset quod sine gratia nullum prorsus bonum homines faciunt, sub-

dit: *non solum, ut monstrante ipsa quid faciendum sit, sciant, verum etiam ut praestante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.*

Indigent insuper in utroque statu auxilio Dei moventis ad mandata implenda; ut dictum est a. 3.

Oppones, quod Ap. Rom. 2, 14, dicit *gentes quae, legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt* . . . praeterea: Deus praecepisset homini aliquid impossibile.

Ad primum dicendum, quod sicut Aug. dicit in l. de spiritu et littera, c. 26, *non moveat quod naturaliter dixit eos quae legis sunt facere: hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Ad secundum dicendum quod illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile.

(a. 5.) *Quoniam* vita aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc exigitur altior virtus, quae est virtus gratiae.

(a. 6.) Homo nequit seipsum ad gratiam praeparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiae, *ut* dicitur Joan. 6, 44 *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.*

Objic. Videtur quod homo possit seipsum ad gratiam praeparare per seipsum, absque exteriori auxilio gratiae. Nihil enim imponitur homini, quod sit ei impossibile, ut supra dictum est: Sed Zach. 1, 3. dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos:* Nihil autem est aliud se ad gratiam praeparare, quam ad Deum converti. Ergo videtur, quod homo per seipsum possit se ad gratiam praeparare absque auxilio gratiae.

2. Praeterea. Homo se ad gratiam praeparat, faciendo quod in se est: quia, si homo facit quod

in se est, Deus ei non denegat gratiam. Dicitur enim Matth. 7 quod Deus dat spiritum bonum petentibus se: sed illud in nobis esse dicitur, quod est in nostra potestate. Ergo videtur, quod in nostra potestate sit constitutum, ut nos ad gratiam praeparemus.

3. Praeterea. Si homo indiget gratia ad hoc, quod praeparet se ad gratiam, pari ratione indigebit gratia ad hoc, quod praeparet se ad illam gratiam: et sic procederetur in infinitum: quod est inconveniens. Ergo videtur standum in primo, ut scilicet homo sine gratia possit se ad gratiam praeparare.

4. Praeterea. Proverb. 16 dicitur, quod hominis est praeparare animum: sed illud dicitur esse hominis, quod per seipsum potest. Ergo videtur, quod homo per seipsum se possit ad gratiam praeparare.

Resp. Ad primum dicendum, quod conversio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium: et secundum hoc homini praecipitur quod se ad Deum convertat. Sed liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ipsum ad se convertente, secundum illud Jerem. 31, 18 *Converte me, et convertar: quia tu Dominus Deus meus*: et Thren. ult. 21. *Converte nos Domine ad te, et convertemur.*

Ad secundum dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Joan. 15, 5. *Sine me nihil potestis facere.* Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo.

Ad tertium dicendum, quod illa objectio procedit de gratia habituali; ad quam requiritur aliqua praeparatio; quia omnis forma requirit susceptibile dispositum: Sed hoc quod homo moveatur a Deo non praeexigit aliquam aliam motionem; cum Deus sit primum movens. Unde non oportet abire in infinitum.

Ad quartum dicendum, quod hominis est praeparare animum; quia hoc facit per liberum arbitrium, sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei moventis, et ad se attrahentis, ut dictum est.

(a. 7.) *Neque* resurgere *homo potest* a peccato sine auxilio gratiae, (a. 8.) *nec* sine gratia potest non peccare . . . Secundum statum quidem naturae integrae etiam sine gratia habituali poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter: quia peccare nihil aliud est quam recedere ab eo quod est secundum naturam; quod vitare homo poterat in statu naturae integrae; non tamen hoc poterat sine auxilio Dei in bono conservantis, quo subtracto, etiam ipsa natura in nihilum decideret. In statu autem naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino a peccato abstineat. Quae quidem sanatio primo fit in praesenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato. Unde Apostolus ad Rom. 7, 25 in persona hominis reparati dicit: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit *estque per ignorantiam vel inordinatos actus inferiorum virium;* non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis; cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc haberet rationem peccati, et voluntarii, non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.

Similiter etiam antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare, et secundum aliquod tempus: quia non est necesse

quod continuo peccet in actu. Sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest. Unde et Greg. dicit super Ezech. hom. 9, et l. 25 Moral. c. 9, quod *peccatum quod mox per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit, . . .* ratione *enim* hominis non totaliter existente subjecta Deo *ut fine suorum actuum,* consequenter est ut contingant multae inordinationes in ipsis actibus rationis.

Objic. Nullus peccat in eo quod vitare non potest, ut Aug. dicit in l. de duab. animab. et de lib. arb. Si ergo homo existens in peccato mortali non possit vitare peccatum, videtur quod peccando non peccat: quod est inconveniens.

Dicendum quod homo potest vitare singulos actus peccati; non tamen omnes, nisi per gratiam, ut dictum est. Et tamen quia ex ejus defectu est quod homo se ad gratiam habendam non praeparet, propter hoc a peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest.

Nec reponatur quod si homo in peccato mortali existens non potest non peccare, videtur quod frustra ei correptio adhibeatur . . . *nam correptio utilis est, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen qui corripitur filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante, aut flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle,* ut Aug. dicit l. de correpl. et gr. c. 6. Ideo ergo necessaria est correptio quia voluntas hominis requiritur ad hoc quod a peccato abstineat; sed tamen correptio non est sufficiens sine Dei auxilio. Unde Eccle. 7, 14. *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere quem ille despexerit.*

(a. 9.) *Neque* ille qui jam consecutus est gratiam, per se ipsum potest operari bonum, et vitare

peccatum absque auxilio gratiae ... Aug. dicit l. de nat. et gr. c. 26 quod *sicut oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic et homo perfectissime etiam justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere* ... Nempe homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiae, quasi aliquo alio habitu infuso *naturam sanante.* Indiget tamen auxilio gratiae secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum et hoc propter duo. Primo quidem ratione generali propter hoc quod sicut supra dictum est a. 1, nulla res creata potest in quemcumque actum prodire nisi virtute motionis divinae. Secundo ratione speciali propter conditionem status humanae naturae: quae quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam *servit legi peccati,* ut dicitur Rom. 7, 25. Remanet etiam quaedam ignorantiae obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur Rom 8, 26, *quid oremus, sicut oportet, nescimus:* propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expediat, secundum illud Sap. 9, 14. *Cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae.* Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur, et protegamur, qui omnia novit et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in Filios Dei per gratiam convenit dicere: *et ne nos inducas in tentationem, et fiat voluntas tua sicut in Coelo et in terra,* et caetera quae in oratione dominica continentur ad hoc pertinentia.

(a. 10.) Pariter homo in gratia constitutus indiget auxilio gratiae ad perseverandum, *unde* Aug. dicit l. de Persev. c. 2. *Cur perseverantia poscitur a Deo; si non datur a Deo? An et ista irrisoria*

petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate? Sed perseverantia petitur etiam ab illis qui sunt per gratiam sanctificati, quod intelligitur cum dicimus *sanctificetur nomen tuum*, ut ibid. Augustinus confirmat per verba Cypriani. Ergo homo etiam in gratia constitutus indiget ut ei perseverantia a Deo detur.

Objic. Sicut Apostolus dicit Rom. 5 plus restitutum est homini per donum Christi, quam amiserit per peccatum Adae: Sed Adam id accepit, unde posset perseverare. Ergo multo magis nobis restituitur per gratiam Christi, ut perseverare possimus: Et ita homo non indiget gratia ad perseverandum.

Resp. Quod sicut Aug. dicit in l. de nat. et gr. c. 45, de corrept. et gr. c. 12, *homo in primo statu accepit donum per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret:* nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt et donum gratiae, quo perseverare possunt, et ulterius eis datur quod perseverent: et sic donum Christi est majus quam delictum Adae: et tamen facilius homo per gratiae donum perseverare poterat in statu innocentiae in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus, quando reparatio gratiae Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem; quod erit in patria, ubi homo non solum perseverare poterit, sed etiam peccare non poterit.

(Q. 110) DE GRATIA DEI QUANTUM AD EJUS ESSENTIAM.

Vide Append. C. IV, §. 2.

(a. 1.) *Quoad gratiae essentiam* dicendum quod secundum communem modum loquendi tripliciter gratia accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus; sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam Regis, idest Rex habet eum gratum. Secundo sumitur pro aliquo dono gratis dato; sicut consuevimus dicere: Hanc gratiam facio tibi. Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati; secundum quod dicimur agere gratias beneficiorum.

Quantum ad duo ultima manifestum est, quod gratia aliquid ponit in eo qui gratiam accipit. Primo quidem ipsum donum gratis datum; secundo hujus doni recognitionem. Sed quantum ad primum est differentia attendenda circa gratiam Dei, et gratiam hominis; quia enim bonum creaturae provenit ex voluntate divina, ideo ex dilectione Dei, qua vult creaturae bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur ex bono praeexistente in rebus, et inde est quod dilectio hominis non causat totaliter rei bonitatem, sed praesupponit ipsam, vel in parte vel in toto . . . Per hoc *igitur* quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens. Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipsa aeterna Dei dilectio, secundum quod dicitur etiam gratia praedestinationis, inquantum Deus gratuito, et non ex meritis aliquos praedestinavit, sive elegit: dicitur enim ad Ephes. 1, 5 *praedestinavit nos in adoptionem filiorum . . . in laudem gloriae gratiae suae.*

(a. 2.) Gratia est quaedam qualitas, *sicut* super illud Psal. 103 *ut exhilaret faciem in oleo* dicit glossa (ord. Aug.) quod *gratia est nitor animae, sanctum concilians amorem.* Sed nitor animae est quaedam qualitas, sicut et pulchritudo corporis.

Notandum autem quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum, et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae: *actus enim moventis in moto est motus*, ut dicitur in III. Physic.

Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animae infunditur: et hoc ideo quia non est conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum ipsas inclinentur ad hujusmodi motus; et sic motus quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud Sap. 8, 1 *et disponit omnia suaviter*. Multo igitur magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum; et sic donum gratiae qualitas quaedam est.

(a. 3.) Quidam posuerunt idem esse gratiam et virtutem secundum essentiam, sed differre solum secundum rationem, ... et hoc videtur sensisse Magister in II. Sent. dist. 26: *At* gratia non est

idem quod virtus, sed habitudo quaedam, quae praesupponitur virtutibus infusis, sicut earum principium et radix.

(Q. 111) DE DIVISIONE GRATIAE.

Vide append. C. IV, §. 3.

(a. 1.) Gratia dividitur per gratiam gratum facientem et gratiam gratis datam . . . una quidem per quam ipse homo Deo conjungitur, quae vocatur *gratia gratum faciens;* aliae vero per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur; hujusmodi autem donum vocatur *gratia gratis data*, quia supra facultatem naturae, et supra meritum personae homini conceditur . . . et de hac dicit Apostolus I. Cor. 12, 7 *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*, scilicet aliorum.

(a. 2.) Gratia dividitur *etiam* per operantem et cooperantem, *unde* Aug. dicit l. de gr. et lib. arb. c. 47. *Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incepit: quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens* . . . . In illo *nempe* effectu in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: et secundum hoc dicitur *gratia operans;* in illo autem effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo sed etiam animae: et secundum hoc dicitur *gratia cooperans.*

(a. 3.) Dividitur etiam in praevenientem et subsequentem . . . Utrumque in Psal. 58, 2 legitur: *misericordia ejus praeveniet me*, et iterum Ps. 22, 6 *misericordia ejus subsequetur me* . . . . Sunt autem quinque effectus gratiae in nobis: quorum primus est ut anima sanetur: secundus ut bonum velit:

tertius est, ut bonum quod vult efficaciter operetur: quartus est ut in bono perseveret: quintus est ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur praeveniens respectu secundi effectus; et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu, et prior alio; ita gratia potest dici praeveniens et subsequens secundum eumdem effectum respectu diversorum: et hoc est quod Aug. dicit in l. de nat. et gr. c. 31, et l. 2 ad Bonif. c. 9 *praevenit ut sanemur; subsequitur ut sanati vegetemur; praevenit ut vocemur; subsequitur ut glorificemur.*

(a. 4.) Gratia gratis data *sic* ab Apostolo dividitur I. Cor. 12, 8. *Alii per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Et sane* gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc quod alterum instruat in rebus divinis quae sunt supra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc instruere alios possit: secundo ut possit confirmare, vel probare ea quae dicit; alias non esset efficax ejus doctrina: tertio ut ea quae concipit, possit convenienter auditoribus proferre: *Et haec reperiuntur in enumeratione facta a D. Paulo.*

(a. 5.) Gratia gratum faciens excellentior est quam gratia gratis data, *nam* unaquaeque virtus tanto excellentior est quanto ad altius bonum ordinantur; semper autem finis potior est in his quae sunt ad finem; gratia autem gratum faciens ordi-

nat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis; gratiae autem gratis datae ordinant hominem ad quaedam praeparatoria finis ultimi, sicut per prophetiam et miracula, et alia hujusmodi homines inducuntur ad hoc quod ultimo fini conjungantur; et ideo *ut dictum est* gratia gratum faciens est multo excellentior quam gratia gratis data.

(Q. 112.) DE CAUSA GRATIAE.

(a. 1.) *Patet quod* solus Deus est causa gratiae; *et* in ipsa persona Christi humanitas causat salutem nostram per gratiam virtute divina principaliter operante, *et* in Sacramentis novae legis quae derivantur a Christo, causatur gratia instrumentaliter quidem per ipsa Sacramenta, sed principaliter per virtutem Spiritus S. in Sacramentis operantis, secundum illud Joan. 3, 5: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritus S. non potest introire in regnum Dei.*

(a. 2.) *Quaeritur utrum* requiratur aliqua praeparatio et dispositio ad gratiam ex parte hominis. *Notandum,* quod sicut supra dictum est, q. 101, a. 2, gratia dicitur dupliciter: quandoque quidem ipsum habituale donum Dei, quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, praeexigitur ad gratiam aliqua gratiae praeparatio, quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Sed si loquamur de gratia, secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla praeparatio requiritur ex parte hominis quasi praeveniens divinum auxilium; sed potius quaecumque praeparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis praeparatur ad donum gratiae

suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo. Et quantum ad hoc dicitur homo se praeparare, secundum illud Prov. 16, 1 *Hominis est praeparare animum;* et est principaliter a Deo movente liberum arbitrium. Et secundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis praeparari, et a Domino gressus hominis dirigi.

(a. 3.) *Quoniam* homo comparatur ad Deum, sicut lutum ad figulum, secundum illud Hierem. 18, 6 *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea;* sed lutum non ex necessitate accipit formam a figulo, quantumcumque sit praeparatum; *ita* neque homo recipit ex necessitate gratiam a Deo quantumcumque se praeparet, nam sicut supra dictum est, *ipsa* praeparatio hominis ad gratiam est a Deo, . . . *et* donum gratiae excedit omnem praeparationem virtutis humanae.

(a. 4.) Ex parte finis vel objecti . . . . gratia gratum faciens non potest esse major et minor: quia gratia secundum sui rationem conjungit hominem summo bono, quod est Deus. Sed ex parte subjecti gratia potest suscipere magis vel minus, prout scilicet unus perfectius illustratur a lumine gratiae quam alius. Cujus diversitatis ratio quidem est aliqua ex parte praeparantis se ad gratiam: qui enim magis se ad gratiam praeparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio hujus diversitatis: quia praeparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium ejus praeparatur a Deo. Unde prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat, sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. Unde Apost. ad Ephes. 4, 12 postquam

dixerat: *unicuique data est gratia secundum mensuram divinitatis Christi:* enumeratis diversis gratiis subjungit: *ad consummationem Sanctorum in aedificationem corporis Christi.*

(a. 5.) *Nullus* potest scire utrum habeat gratiam gratum facientem . . . . . Eccles. 4, 1 *nemo scit, utrum sit dignus odio, vel amore, nisi* per revelationem, *vel* conjecturaliter per aliqua signa, . . in quantum scilicet *homo* percipit se delectari in Deo, et contemnere res humanas, et inquantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis . . . Ista tamen cognitio imperfecta est. Unde Ap. dicit I. Cor. 4, 3. *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* quia ut dicitur in Ps. 18, 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.*

(Q. 113.) DE EFFECTIBUS GRATIAE.

Deinde considerandum est de effectibus gratiae: et primo de justificatione impii, quae est effectus gratiae operantis; secundo de merito, quod est effectus gratiae cooperantis.

(a. 1.) Transmutatio qua aliquis transmutatur a statu injustitiae ad statum justitiae per remissionem peccati . . . vocatur *justificatio impii.*

(a. 2.) *Ad hanc* requiritur gratiae infusio, ut dicitur Rom. 3, 24, *justificati gratis per gratiam ipsius.*

(a. 3.) *Sicut etiam* requiritur motus liberi arbitrii . . . *Deus* enim est qui justificat impium, ut dicitur Rom. 3. Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque; sicut in naturalibus videmus quod aliter ab ipso moventur gravia, et aliter levia, propter diversam naturam utriusque.

Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturae humanae. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii, et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiae justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum in his qui sunt hujus motionis capaces.

(a. 4.) Ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud ad Hebr. 11, 6, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii.

(a. 5.) Oportet *insuper* quod in justificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex: unus quo per desiderium tendat in Dei justitiam; et alius quo detestetur peccatum.

(a. 7.) Justificatio impii fit in instanti, *nam* tota justificatio impii originaliter consistit in gratiae infusione: per eam enim et liberum arbitrium movetur, et culpa remittitur; gratiae autem infusio fit in instanti absque successione, . . . *ideo* justificatio impii fit a Deo in istanti, *et* Deus ad hoc quod gratiam infundat animae, non requirit aliquam dispositionem, nisi quam ipse facit. Facit autem hujusmodi dispositionem sufficientem ad susceptionem gratiae quandoque quidem subito, quandoque autem paulatim et successive;... *unde et* contingit quandoque quod praecedit aliqua deliberatio *in libero arbitrio*, quae non est de substantia justificationis, sed via in justificationem.

(a. 9.) Justificatio impii est maximum opus Dei, *ut* in Psal. 144, 9 dicitur *miserationes ejus super omnia opera ejus*, *et* Aug. tract. 72 in Joan. *majus*

opus est quod ex impio fiat justus quam creare coelum et terram: coelum enim et terra transibit; praedestinatorum autem salus, et justificatio permanebit. Quin et si relative, non absolute loquamur donum gratiae impium justificantis est majus quam donum gloriae beatificantis justum; quia plus excedit donum gratiae dignitatem impii, qui erat dignus poena, quam donum gloriae dignitatem justi, qui hoc ipso quod est justificatus est dignus gloria. Et ideo Aug. dicit ibidem: *judicet qui potest utrum majus sit justos Angelos creare, quam impios justificare. Certe si aequalis est utrumque potentiae, hoc majoris est misericordiae.*

(a. 10.) *Non* autem justificatio impii est opus miraculosum. *Nam* in operibus miraculosis tria consueverunt inveniri. Quorum unum est ex parte potentiae agentis, quia sola divina virtute fieri possunt; et ideo sunt simpliciter mira, quasi habentia causam occultam, et secundum hoc tam justificatio impii, quam creatio mundi, et universaliter omne opus, quod a solo Deo fieri potest, miraculosum dici potest.

Secundo in quibusdam miraculosis operibus invenitur quod forma inducta est supra naturalem potentiam talis materiae, sicut in suscitatione mortui vita est supra naturalem potentiam talis corporis: et quantum ad hoc justificatio impii non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratiae capax: eo enim ipso quod facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam.

Tertio modo in operibus miraculosis, invenitur aliquid praeter solitum et consuetum ordinem causandi effectum; sicut cum aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur subito praeter solitum cursum sanationis quae fit a natura, vel arte; et quantum ad hoc justificatio impii quandoque est miraculosa,

et quandoque non. Est enim iste communis et consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat: quia *charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici,* sicut Aug. dicit tract. 5 in epist. Joan. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiae assequatur, sicut fuit in conversione Pauli, adhibita etiam exterius miraculosa prostratione: et ideo conversio Pauli tamquam miraculosa in Ecclesia commemoratur.

(Q. 114.) DE MERITO, QUOD EST EFFECTUS GRATIAE COOPERANTIS.

Vide Append. C. II, §. 6.

(a. 1.) Meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis; ita scilicet ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit; sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus et operationes, ad quod a Deo sunt ordinatae; differenter tamen: quia creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium unde sua actio habet rationem meriti; quod non est in aliis creaturis.

(a. 2.) *Quoniam* vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae; quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus, secundum illud I. Cor. 2, 9, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit;* inde est quod nulla creatura creata est sufficiens prin-

cipium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod *gratia* dicitur. *Idque necessarium pro utroque statu, tam naturae integrae, quam corruptae.*

(a. 3.) *Opus vero* secundum quod procedit ex gratia Spiritus S., sic est meritorium vitae aeternae ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus S. moventis nos in vitam aeternam, secundum illud Joan. 4, 14 *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in Filium Dei, cui debetur haereditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud Rom. 8, 17, *Si filii et haeredes* . . . et II. ad Tim. 4, 8: *in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

(a. 5.) Primam gratiam nequit homo mereri, *tum* secundum rationem gratuiti doni, et sic manifestum est quod omne meritum repugnat gratiae: quia ut ad Rom. 11, 6 Apostolus dicit, *si autem gratia jam non ex operibus; tum etiam* secundum naturam rei quae donatur; et sic etiam non potest cadere sub merito non habentis gratiam: tum quia excedit proportionem naturae, tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum. Postquam autem aliquis jam habet gratiam, non potest gratia jam habita sub merito cadere: quia merces est terminus operis; gratia vero est principium cujuslibet boni operis in nobis, ut supra dictum est. Si vero aliud donum gratuitum aliquis mereatur virtute gratiae praecedentis jam non erit prima gratia.

(a. 6.) *Pariter* homo nequit alteri mereri primam gratiam, *nempe* merito condigni, nisi solus

Christus . . . *qui* est caput Ecclesiae et Auctor salutis humanae, secundum illud ad Hebr. 2, 10: *qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis etc.* Sed merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius; licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat. Et in hoc casu loquitur Hierem, 15, 1. *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

(a. 7.) *Ex dictis patet* quod nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum, neque merito condigni, neque merito congrui, . . . *et licet* desiderium quo quis desiderat reparationem post lapsum, justum dicitur; et similiter oratio, qua petit ejusmodi reparationem, dicitur justa, quia tendit ad justitiam; non tamen *est* ita quod justitiae innitatur per modum meriti sed solum misericordiae.

(a. 8.) *Bene vero* homo potest mereri augmentum gratiae vel charitatis, *ut* Aug. dicit super Ep. Joan. tract. 5, *charitas meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici. Et revera* illud cadit sub merito condigni ad quod motio gratiae se extendit . . . Terminus autem motus gratiae est vita aeterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum charitatis, vel gratiae, secundum illud Prov. 4, 18, *justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem,* qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni.

(a. 9.) *Diximus* quod perseverantia gloriae, quae est terminus praedicti motus, cadit sub merito; *at* perseverantia viae non cadit sub merito: quia de-

pendet solum ex motione divina; quae est principium omnis meriti. Sed Deus gratis perseverantiae donum largitur cuicumque illud largitur . . . *Attamen sicut* etiam ea quae non meremur, orando impetramus: nam et peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes, quam non merentur . . . similiter perseverantiae donum aliquis petendo impetrat vel sibi, vel alii, quamvis sub merito non cadat.

Si dicatur quod meretur aliquis vitam aeternam et augmentum gratiae . . . ergo multo magis perseverantiam in gratia quam quis habet;

Resp. quod perseverantia, quae erit in gloria, comparatur ad motum liberi arbitrii meritorium sicut terminus, non autem perseverantia viae, ratione praedicta. Et similiter dicendum de augmento gratiae, ut per praedicta patet.

(a. 10.) *Quoad vero* temporalia bona, si considerentur prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam aeternam, sub hoc directe et simpliciter cadunt sub merito, sicut et augmentum gratiae, et omnia illa quibus homo adjuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam. Tantum enim dat Deus viris justis de bonis temporalibus, et etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam aeternam: et intantum sunt simpliciter bona hujusmodi temporalia. Unde dicitur in Psal. 33, 11. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono*, et alibi Psal. 36, 25. *Non vidi justum derelictum*, etc.

Si autem considerentur hujusmodi temporalia bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid: et ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid, in quantum scilicet homines moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur Deo favente; ut sicut vita aeterna est

simpliciter praemium operum justitiae per relationem ad motionem divinam, sicut supra dictum est, art. 2, 3, 6, ita temporalia bona in se considerata habeant rationem mercedis, habito respectu ad motionem divinam, qua voluntates hominum moventur ad haec prosequenda; licet interdum in his non habeant homines rectam intentionem.

Primae Secundae Partis Summae Theologicae S. Thomae Aquinatis finis.

DIVI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

SUMMAE THEOLOGICAE

SECUNDA SECUNDAE

Prologus

Post communem considerationem de virtutibus, et vitiis et aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare singula in speciali. Sermones enim morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt. Potest autem aliquid in speciali considerari circa moralia dupliciter: uno modo ex parte materiae ipsius moralis, puta cum consideratur de hac virtute, vel hoc vitio; alio modo quantum ad speciales status hominum, puta cum consideratur de subditis et praelatis, de activis et contemplativis, vel quibuscumque aliis differentiis hominum. Primo ergo considerabimus specialiter de iis, quae pertinent ad omnes hominum status. Secundo vero specialiter de iis, quae pertinent ad determinatos status. Est autem considerandum circa primum, quod si seorsim determinaremus de virtutibus, donis, vitiis, et praeceptis, oporteret idem multoties dicere. Qui enim sufficienter vult tractare de hoc praecepto, *non moechaberis*, necesse habet inquirere de adulterio, quod est quoddam peccatum, cujus etiam cognitio dependet ex cognitione oppositae virtutis.

Erit ergo compendiosior, et expeditior considerationis via si simul sub eodem tractatu consideratio procedat de virtute, et dono sibi correspondente, et vitiis oppositis, et praeceptis affirmativis, vel negavitis . . . Est autem eadem materia circa quam et virtus recte operatur, et vitia opposita a rectitudine recedunt. Sic ergo tota materia moralis ad considerationem virtutum reducta, omnes virtutes ulterius sunt reducendae ad septem: quarum tres sunt theologicae, de quibus primo est agendum: aliae vero quatuor sunt cardinales, de quibus posterius agetur.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

(Q. 1.) DE FIDE.

Vide Append. C. III. § 1.

Circa Fidem quadruplex consideratio occurrit: prima quidem de ipsa fide: secunda de donis intellectus, et scientiae sibi correspondentibus; tertia de vitiis oppositis; quarta de praeceptis ad hanc virtutem pertinentibus.

(a. 1.) Objectum fidei est veritas prima... Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum, *et generatim* nihil cadit sub fide nisi in ordine ad Deum.... (a. 3.) Unde fidei non potest subesse aliquod falsum.

(a. 4.) Objectum fidei non potest esse aliquid visum: *sic* Apost. Hebr. 11, 1 dicit quod *fides est argumentum non apparentium. Sane* fides importat assensum intellectus ad id quod creditur. Assentit autem intellectus alicui dupliciter. Uno modo quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per seipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus, vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam: et si quidem hoc sit cum dubitatione, et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides.

Illa autem videri dicuntur quae per seipsa movent intellectum nostrum, vel sensum ad sui co-

gnitionem. Unde manifestum est quod nec fides, nec opinio potest esse de ipsis visis aut secundum sensum, aut secundum intellectum. *Quod si* dicit Dominus Thomae Jo. 20, 29, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti,* . . . dicendum, quod Thomas aliud vidit et aliud credidit, hominem vidit, et Deum credens confessus est, cum dixit: *Dominus meus, et Deus meus. Unde neque in hoc casu* de eodem fuit visio et fides.

(a. 5.) *Quoniam* non est possibile, quod idem ab eodem sit visum, et creditum, sicut dictum est, *sic* etiam impossibile est, quod ab eodem idem sit scitum, et creditum. Potest tamen contingere, ut id quod est visum vel scitum ab uno, sit creditum ab alio . . . Sed de eodem secundum idem non potest esse simul in uno homine scientia, nec cum opinione, nec cum fide; alia tamen et alia ratione,.. quia scitum est visum *per sensum vel intellectum;* et creditum est non visum . . .

Quod si dicas, quaedam, quae in fide continentur, sunt demonstrative probata a Philosophis, sicut Deum esse, et Deum esse unum, et alia hujusmodi; ergo ea, quae sunt fidei, possunt esse scita.

Resp. quod ea quae demonstrative probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia praeexiguntur ad ea, quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab iis, qui eorum demonstrationem non habent.

(a. 6.) Quoniam *autem* perceptio divinae veritatis competit nobis secundum distinctionem quamdam: quae enim in Deo unum sunt, in nostro intellectu multiplicantur, *ideo* credibilia debent per articulos distingui.

(a. 7.) Quantum *vero* ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per

temporum successionem: quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite. (a. 8. 9.) *Qui* articuli enumerantur convenienter et *infallibiliter* in symbolo.

(a. 10.) Ad illius autem auctoritatem pertinet editio symboli ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in decretalibus, extra de baptismo cap. *majores.* Unde et Dominus Luc. 22, 32. Petro dicit, quem Summum Pontificem constituit: *ego pro te rogavi*, Petre, *ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud I. Cor. 1, 10. *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata:* quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest; ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, et alia hujusmodi.

Nec obstat, quod dicitur in gestis primae Synodi Ephesinae, part. 2 act. 6 quod *perfecto symbolo Nicaenae Synodi, decrevit sancta Synodus aliam fidem nulli licere proferre, vel conscribere, vel componere praeter definitum a SS. PP. qui in Nicaea congregati sunt cum Spiritu S.:* et subditur anathematis poena: et idem etiam reiteratur in gestis

Chalcedonensis Synodi p. 2 act. 6; ergo videtur, quod non pertineat ad auctoritatem summi Pontificis nova editio symboli.

Resp. Quod prohibitio, et sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide: non enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim quaelibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod praecedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus haeresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, et ejus sententia confirmatur.

(Q. 2.) DE ACTU FIDEI.

(a. 2.) Distinguuntur actus fidei per hoc, quod est *credere Deo, credere Deum, et credere in Deum*... *Credere Deum,* quia nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum quod ad Deum pertinet... *Credere Deo,* quia formale objectum fidei est veritas prima, cui inhaeret homo, ut propter eam creditis assentiat... *Credere in Deum,* veritas enim prima ad voluntatem refertur, secundum quod habet rationem finis.

(a. 3.) Est necessarium ad salutem, ut homo aliqua credat, *ut* dicitur Hebr. 11, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

(a. 4.) Credere etiam ea, quae rationi naturali probari possunt, est necessarium, *sic* necesse est credere Deum esse unum, et incorporeum: quae naturali ratione a Philosophis probantur.... Et hoc propter tria. Primo quidem ut citius homo

ad veritatis divinae cognitionem perveniat . . . Secundo ut cognitio Dei sit communior. Multi enim in studio scientiae proficere non possunt . . . Tertio propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens. Cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, et sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata, et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina ei per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta qui mentiri non potest.

(a. 5.) Quantum ad prima credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut et tenetur habere fidem; quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in praeparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid divina Scriptura continet. Sed tunc solum hujusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri . . . (a. 6.) *Attamen* superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, et magis explicite credere.

(a. 7.) *Quoniam* via hominibus veniendi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis, et Passionis Christi: dicitur enim Act. 5. 12. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* ideo mysterium Incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen, secundum diversitatem temporum, et personarum.

Nam ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundnm quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem, et resurrectionem: quia homo

non fuit praescius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Christi praescius fuisse per hoc quod dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae*, ut habetur Gen. 2, 24. Et hoc Apostolus ad Ephes. 5. 32 dicit: *Sacramentum magnum est in Christo, et Ecclesia:* quod quidem sacramentum non est credibile primum hominem ignorasse.

Post peccatum autem fuit explicite creditum mysterium Incarnationis Christi, non solum quantum ad incarnationem, sed etiam quantum ad passionem et resurrectionem, quibus humanum genus a peccato, et morte liberatur: aliter enim non praefigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis, et ante legem, et sub lege: quorum quidem sacrificiorum significatum explicite majores cognoscebant; minores autem sub velamine illorum sacrificiorum credentes ea divinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Et ea quae ad mysteria Christi pertinent, tanto distinctius cognoverunt, quanto Christo propinquiores fuerunt.

Post tempus autem gratiae revelatae tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, praecipue quantum ad ea, quae communiter in Ecclesia solemnizantur, et publice proponuntur: sicut sunt articuli Incarnationis. Alias autem subtiles considerationes circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis vel minus explicite credere, secundum quod convenit statui, et officio uniuscujusque.

Multis etiam gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea, quae praedixerunt. Nam Job. 19, 25 dicitur: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Sibylla etiam praenunciavit quaedam de Christo, ut Aug. dicit lib. 13 con. Faust. c. 15 . . .

Invenitur etiam in historiis Romanorum, quod tempore Costantini Augusti, et Irenae matris ejus inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat . . . *Chistus nascetur ex Virgine, et ego credo in eum. O sol, sub Irenae, et Constantini temporibus iterum me videbis.* (*Vide Baron. ad an. Chr.* 780.) Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, secundum illud Job. 35, 2: *qui docet nos super jumenta terrae.*

(a. 8.) *Quoniam* vero mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest sine fide Trinitatis: quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quòd per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit; ideo eodem modo quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem, et quasi obumbrate a minoribus; ita etiam et mysterium Trinitatis; et ideo etiam post tempus gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis; et omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis secundum illud Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

(a. 9.) *Sicut* actus nostri sunt meritorii, in quantum procedunt ex libero arbitrio moto a Deo per gratiam, . . . ipsum autem credere est actus

intellectus assentiendi veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam, . . . sic actus fidei potest esse meritorius . . . *Unde* dicitur ad Hebr.. 11. 33. *quod Sancti per fidem adepti sunt repromissiones:* quod non esset, nisi credendo mererentur.

(a. 10,) Ratio *autem* inductiva ad ea, quae sunt fidei, non minuit meritum fidei; *nam* credere debet homo ea, quae sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem divinam.

(Q. 3.) DE EXTERIORI ACTU FIDEI.

(a. 2.) Confessio fidei est necessaria ad salutem . . . Apostolus dicit ad Rom 10. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem . . . Attamen* confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, et tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximi impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide. In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.

Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua utilitate fidei, vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri: unde Dominus dicit Matth. 7, 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos . . . ne conversi dirumpant vos.* Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publice fidem confiteri: unde Matth.

15, 12 dicitur. quod *cum discipuli dixissent Domino, quod Pharisaei audito ejus verbo scandalizati sunt,* Dominus respondit; *Sinite illos,* scilicet turbari: *caeci sunt, et duces caecorum.*

(Q. 4.) DE IPSA FIDEI VIRTUTE.

(a. 1.) Fidei definitionem Apostolus ponit ad Hebr. 11. 1. dicens, *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium* . . . Dicitur fides esse *substantia rerum sperandarum,* quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quae virtute continet omnes res sperandas . . . Dicitur *argumentum non apparentium,* et sumitur *argumentum* pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad inhaerendum alicui vero: unde ipsa firma adhaesio intellectus ad veritatem fidei non apparentem vocatur hic *argumentum.* Si quis ergo in formam definitionis hujusmodi verba reducere velit, potest dicere, quod *fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.*

(a. 2.) Fides est in intellectu sicut in subjecto. *Revera* fidei succedit visio patriae, secundum illud I. ad Cor. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed visio est in intellectu. Ergo et fides.

(a. 3.) *Quia* unumquodque operatur per suam formam; fides autem per dilectionem operatur; ergo dilectio charitatis est fidei forma.

(a. 5.) *Et quoniam* quicumque habitus est semper principium boni actus, potest dici virtus humana; talis autem habitus est fides formata . . . Ex charitate *enim,* quae format fidem, habet anima,

quod infallibiter voluntas ordinetur in finem bonum; et ideo fides formata est virtus. Fides autem informis non est virtus; quia etsi habeat perfectionem debitam actus fidei informis ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis.

(a. 7.) *Et* cum ultimus finis sit quidem in voluntate per spem et charitatem, in intellectu autem per fidem; necesse est quod fides sit prima inter omnes virtutes: quia naturalis cognitio non potest attingere ad Deum, secundum quod est objectum beatitudinis, prout tendit in ipsum spes et charitas . . . Aliquae *tamen* virtutes possunt dici per accidens priores fide, in quantum removent impedimenta credendi; sicut fortitudo removet inordinatum timorem impedientem fidem; humilitas autem superbiam per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei: et idem potest dici de aliquibus aliis virtutibus, quamvis non sint verae virtutes, nisi praesupposita fide, ut patet per Aug. in lib. 4. con. Jul. c. 3.

(a. 8.) *Quoniam* nihil est certius verbo Dei, *ideo* scientia non est certior fide, nec aliquid aliud... *Quinimmo* multo magis homo certior est de eo quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione, quae falli potest.

(Q. 5.) DE HABENTIBUS FIDEM.

(a. 1.) Angelus, et homo in prima sui conditione habuerunt fidem . . . *Nam* cum Angelus ante confirmationem, et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei.

(a. 2.) In Daemonibus est fides . . . ut dicitur Jac. 2. 19. *Daemones credunt, et contremiscunt* . . . Non quod voluntas moveat intellectum ad assentiendum... ex ordine ad bonum, sic *enim* credere est actus laudabilis; *sed* quia intellectus convincitur ad hoc, quod judicat esse credendum . . . *dum* vident multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiae a Deo esse; quamvis ipsi res ipsas quas Ecclesia docet, non videant; puta Deum esse trinum, et unum, vel aliquid hujusmodi.

(a. 3.) Sicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita discredere unum articulum contrariatur fidei. Sed charitas non remanet in homine post unum peccatum mortale. Ergo neque fides, postquam discredit unum articulum fidei. *Unde* dicendum quod in haeretico discredente unum articulum fidei non manet fides neque formata, neque informis . . . Quicumque *enim* non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, sed ea quae sunt fidei alio modo tenet quam per fidem . . . *Et dum* quae vult, tenet, et quae non vult, non tenet, non jam inhaeret Ecclesiae doctrinae sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati. Et sic manifestum est, quod haereticus, qui pertinaciter discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiae: si enim non pertinaciter, jam non est haereticus, sed errans. *Unde* manifestum est quod talis haereticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem.

(a. 4.) Fides potest esse major in uno quam in alio... *Nempe* potest unus homo plura explicite credere quam alius; et sic in uno potest esse major fides secundum majorem fidei explicationem . . .

Pariter potest fides in aliquo dici major ex parte intellectus, propter majorem certitudinem, et firmitatem; alio modo ex parte voluntatis, propter majorem promptitudinem, vel confidentiam.

(Q. 6.) DE CAUSA FIDEI.

(a. 1.) Fides est homini a Deo infusa, *secundum* quod dicitur ad Eph. 2. 8. *Gratia estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis ... Ne quis glorietur ,.. Donum Dei est ...* Ad fidem *sane* duo requiruntur, quorum unum est, ut homini credibilia proponantur; quod requiritur ad hoc, quod homo aliquid explicite credat. Aliud autem quod ad fidem requiritur, est assensus credentis ad ea, quae proponuntur. Quantum ergo ad primum horum, necesse est, quod fides sit a Deo. Ea enim quae sunt fidei, excedunt rationem humanam, unde non cadunt in cognitione hominis nisi Deo revelante ... Quantum vero ad secundum ,.. *Fidei* causam Pelagiani ponebant solum liberum arbitrium hominum: et propter hoc dicebant, quod initium fidei est ex nobis, in quantum scilicet ex nobis est quod parati sumus ad assentiendum iis, quae sunt fidei; sed consummatio fidei est a Deo, per quem nobis proponuntur ea, quae credere debemus. Sed hoc est falsum, quia cum homo assentiendo iis, quae sunt fidei, elevetur super naturam suam, oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus. Et ideo fides quantum ad assensum, qui est principalis actus fidei, est a Deo interius movente per gratiam ... *Dum vero* dicit Aug. lib. 14. Trin. *Quod per scientiam gignitur in nobis fides, nutritur, defenditur, et roboratur ... intelligi debet,* quod per scientiam gignitur fides,

et nutritur per modum exterioris persuasionis quae fit ab aliqua scientia; sed principalis, et propria causa fidei est id quod interius movet ad assentiendum.

(a. 2.) *Etiam* fides informis est donum Dei . . . Aug. in frag. Serm. de 5. pau. in I. ad Cor. 13. dicit, quod *fides, quae est sine charitate, est donum Dei.*

(Q. 7.) DE EFFECTIBUS FIDEI.

(a. 1.) Fides est causa timoris, quo quis timet a Deo puniri; qui timor est servilis. Est etiam causa timoris filialis; quo quis timet separari a Deo, vel quo quis refugit, se Deo comparare, reverendo ipsum, in quantum per fidem hanc existimationem habemus de Deo, quod sit quoddam immensum, et altissimum bonum, a quo separari est pessimum, et cui velle aequari est malum. Sed primi timoris, scilicet servilis, est causa fides informis, et secundi timoris, scilicet filialis, est causa fides formata, quae per charitatem facit hominem Deo adhaerere, et ei subjici.

(a. 2.) Purificatio cordis est effectus fidei . . . *Nempe* primum principium purificationis cordis est fides, qua purificatur impuritas erroris: quae si perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat.

(Q. 8.) DE DONIS INTELLECTUS, ET SCIENTIAE FIDEI CORRESPONDENTIBUS.

(a. 1.) Intellectus est donum Spiritus Sancti . . . Isa. 11. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini,*

Spiritus sapientiae, et intellectus . . . Indiget homo supernaturali lumine, ut ulterius penetret ad cognoscendum quaedam, quae per lumen naturale cognoscere non valet: et illud lumen supernaturale homini datum vocatur donum intellectus.

(a. 2.) Potest *autem* simul esse cum fide . . . Unde dicitur Luc. ult. Quod *Dominus aperuit discipulis suis sensum, ut intelligerent Scripturas.*

(a. 3.) Donum intellectus non est speculativum tantum, sed etiam practicum... *Hinc* in Psal. 110. 10. dicitur: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

(a. 4.) Donum intellectus inest omnibus habentibus gratiam . . . Sicut *enim* per donum charitatis Spiritus Sanctus ordinat voluntatem hominis, ut directe moveatur in bonum quoddam supernaturale; ita etiam per donum intellectus illustrat mentem hominis, ut cognoscat veritatem quamdam supernaturalem, in quam oportet tendere voluntatem rectam. Et ideo sicut donum charitatis est in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ita etiam donum intellectus . . . Secundum illud I. Joa. 2. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus.*

(a. 7.) Dono intellectus respondet sexta beatitudo, scilicet *beati mundo corde* etc. *Ideo* Aug. dicit lib. 1. de Serm. Dom. in mon. c. 4. *Sexta operatio Spiritus Sancti, quae est intellectus, convenit mundis corde, qui purgato oculo possunt videre, quod oculus non vidit.*

(a. 8.) *Et* in fructibus fides respondet dono intellectus . . . *Nam* donum intellectus videtur principaliter ordinari ad certitudinem fidei, quae ponitur fructus.

(Q. 9.) DE DONO SCIENTIAE.

Pariter scientia est donum; est circa res divinas, *et* non est speculativa, sed pratica; *ei autem* respondet tertia beatitudo, scilicet *beati qui lugent, ut* Aug. dicit in lib. de Ser. Dom. in mon. c. 4. *Scientia convenit lugentibus, qui didicerunt, quibus malis victi sunt, quae quasi bona appetierunt.*

(Q. 10.) DE INFIDELITATE.

Vide Append. C. III, § 1.

Consequenter considerandum est de vitiis oppositis: et primo de infidelitate, quae opponitur fidei; secundo de blasphemia, quae opponitur confessioni; tertio de ignorantia, et hebetudine, quae opponuntur scientiae, et intellectui.

(a. 3.) Infidelitas est maximum peccatorum . . . Per infidelitatem *enim* maxime homo a Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur.

(a. 4.) Non *tamen* omnis actio infidelis est peccatum. *Et sane* peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturae. Unde cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturae. Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera meritoria; tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent; sed quandocumque aliquod operantur ex infidelitate,

tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.

Quoad illud Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est, . . .* est intelligendum, vel quia vita infidelium non potest esse sine peccato, cum peccata sine fide non tollantur: vel quia quidquid agunt ex infidelitate, peccatum est. Unde Aug. lib. 4, cont. Jul. c. 3: *Quia omnis infideliter vivens, vel agens vehementer peccat.*

Pariter si dicatur, quod fides intentionem dirigit, sed nullum bonum potest esse, quod non est ex intentione recta; ergo in infidelibus nulla actio potest esse bona . . . *Resp.* quod fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.

Caeterum dum de Cornelio dictum est Act. 10. quod acceptae erant eleemosynae ejus Deo ... sciendum est, quod infidelis non erat; alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate. Unde ut eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus.

(a. 5.) Si infidelitas attendatur secundum comparationem ad fidem, diversae sunt infidelitatis species, et numero determinatae. Cum enim peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter. Quia aut renititur fidei nondum susceptae; et talis est infidelitas Paganorum sive Gentilium: aut renititur fidei Christianae susceptae; et hoc vel in figura, et sic est infidelitas Judaeorum;

vel in ipsa manifestatione veritatis, et sic est infidelitas Haereticorum. Unde in generali possunt assignari tres praedictae species infidelitatis. Si vero distinguantur infidelitatis species secundum errorem in diversis, quae ad fidem pertinent, tunc non sunt determinatae infidelitatis species: possunt enim errores in infinitum multiplicari, ut patet per Aug. in lib. de haeres.

(a. 6.) Dicitur II. Petri 2, 21, *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post cognitionem retrorsum converti;* sed Gentiles non cognoverunt viam justitiae; Haeretici autem et Judaei aliqualiter cognoscentes deseruerunt: *ideo horum* peccatum est gravius ... *Quamvis si* consideratur corruptio eorum, quae ad fidem pertinent, secundum hoc cum in pluribus errent Gentiles, quam Judaei, et Judaei, quam Haeretici, gravior est infidelitas Gentilium, quam Judaeorum, et Judaeorum, quam Haereticorum ... *Sed* simpliciter loquendo infidelitas Haereticorum est pessima.

(a. 7.) Oportet ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus disputare: quandoque quidem defendendo fidem, secundum illud I. Pet. 3, 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae est in vobis spe et fide:* quandoque autem ad convincendos errantes secundum illud ad Titum 1, 9 *ut sit potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

(a. 8.) Infidelium quidam sunt, qui nunquam fidem susceperunt, sicut Gentiles, et Judaei: et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant; quia credere voluntatis est: sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum

movent, non quidem, ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc, ut eos compellant, ne fidem Christi impediant. Alii vero sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt, et eam profitentur sicut haeretici, et quicumque apostatae: et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt.

(a. 9.) Cum infidelibus nequit communicari . . . Communio autem alicujus personae interdicitur fidelibus dupliciter: uno modo in poenam illius cui communio fidelium subtrahitur; alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne aliis communicent.

Primo modo non interdicit Ecclesia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidem christianam receperunt, scilicet Paganorum, vel Judaeorum: quia non habet de eis judicare spirituali judicio, sed temporali, in casu cum inter Christianos commorantes aliquam culpam committunt, et per fideles temporaliter puniuntur. Sed isto modo scilicet in poenam, interdicit Ecclesia fidelibus communionem illorum infidelium, qui a fide suscepta deviant, vel corrumpendo fidem, sicut haeretici, vel etiam totaliter a fide recedendo, sicut apostatae: in utrosque enim horum excommunicationis sententiam profert Ecclesia.

Sed quantum ad secundum modum, videtur esse distinguendum secundum diversas conditiones personarum, et negotiorum, et temporum. Si enim aliqui fuerunt firmi in fide . . . ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quam fidelium a fide aversio, non sunt prohibendi infidelibus communicari, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganis, vel Judaeis;

et maxime si necessitas urgeat. Si autem sint simplices, et infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione; et praecipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate cum eis communicent.

(a. 11.) Quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt vel propter aliquod bonum, quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum, quod evitatur.

(a. 12.) Pueri Judaeorum, et aliorum infidelium non sunt invitis parentibus baptizandi . . . . *tum* propter periculum fidei . . . cum *enim* ad perfectam aetatem pervenirent de facili possent a parentibus reduci, ut relinquerent, quod ignorantes susceperunt: quod vergeret in fidei detrimentum. *Tum quia* contra justitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus; et potest quantum ad ea, quae sunt juris divini, vel naturalis sibi ipsi providere: et tunc est inducendus ad fidem non coactione sed persuasione; et potest etiam invitis parentibus consentire fidei, et baptizari; non autem antequam habeat usum rationis. Unde de pueris antiquorum Patrum dicitur quod salvati sunt in fide parentum: per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, praecipue antequam habeant usum rationis.

(Q. 11.) DE HAERESI.

Vide Append. C. III, §. 1.

(a. 1.) Haeresis, *ut diximus*, est infidelitatis species . . . Haeresis *autem* graece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem, ut in Decret. 24 q. 3, c. 27.

(a. 2.) Haeresis *dicitur* proprie circa ea, quae sunt fidei, et sicut Aug. dicit Epis. 43 alias 162. *Si qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi:* quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiae doctrinae. Sic ergo aliqui doctores videntur dissensisse, vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem utrum sic vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quae nondum erant per Ecclesiam determinata; postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiae determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, haereticus censeretur. Quae quidem auctoritas principaliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim Decret. 24 q. 1, c. 12: *quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres nostros, et Coepiscopos non nisi ad Petrum, idest ad sui nominis, et honoris auctoritatem referre debere: contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* Unde dicit Pelagius ad Damasum Papam in expositione Symboli in fine: *haec est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia; in qua si minus perite, aut parum caute forte aliquid*

positum est, emendari cupimus a te qui Petri fidem, et sedem tenes. Si autem haec nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me haereticum comprobabit.

(a. 3.) Haeretici non sunt tolerandi, *unde* Apost. dicit ad Titum 3, 10. *Haereticum hominem post primam, et secundam correctionem devita, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est .... Et ideo* si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando; et ulterius relinquit eum judicio saeculari a mundo exterminandum per mortem. Dicit enim Hieronymus super illud Gal. 5 *Modicum fermentum*, et habetur 24, q. 3, c. 16: *Resecandae sunt putridae carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem ejus flamma populata est.*

Merentur *autem* etiam per mortem a mundo excludi. Multo enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animae vita, quam falsare pecuniam per quam temporali vitae subvenitur. Unde si falsarii pecuniae, vel alii malefactores statim per saeculares Principes juste morti traduntur, multo magis haeretici statim ex quo de haeresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed et juste occidi.

(a. 4.) Haeretici *autem* revertentes, quotiescumque relapsi fuerint, ab Ecclesia recipiuntur ad poenitentiam, per quam impenditur eis via salutis: *sed quia* si haeretici revertentes semper reciperentur, ut conservarentur in vita, et aliis temporalibus bonis, posset in praejudicium salutis aliorum hoc esse; tum quia si relaberentur, alios inficerent; tum etiam quia si

sine poena evaderent, alii securius in haeresim laberentur; . . . ideo Ecclesia primo quidem revertentes ab haeresi non solum recipit ad poenitentiam, sed etiam conservat eos in vita, et interdum restituit eos dispensative ad ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant, si videantur vere conversi: et hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum. Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur esse signum inconstantiae eorum circa fidem: et ideo ulterius redeuntes recipiuntur quidem ad poenitentiam, non tamen ut liberentur a sententia mortis.

(Q. 12.) DE APOSTASIA.

(a. 1.) *Pariter* apostasia pertinet ad infidelitatem . . . . *Sane* apostasia importat retrocessionem quandam a Deo. Quae quidem diversimode fit secundum diversos modos, quibus homo Deo conjungitur. Primo namque conjungitur homo Deo per fidem: secundo per debitam, et subjectam voluntatem ad obediendum praeceptis ejus: tertio per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia; sicut per religionem, et clericaturam, vel sacrum ordinem.

Remoto autem posteriori, remanet prius: sed non convertitur. Contingit *autem* aliquem apostatare a Deo retrocedendo a religione, quam professus est, vel ab ordine quem suscepit: et haec dicitur *apostasia religionis* seu *ordinis*. Contingit etiam aliquem apostatare a Deo per mentem repugnantem divinis mandatis. Quibus duabus apostasiis existentibus, adhuc potest remanere homo Deo conjunctus per fidem.

(Q. 13.) DE BLASPHEMIA.

(a. 1.) Blasphemia opponitur confessioni fidei... Nomen *enim* blasphemia importare videtur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, et praecipue divinae... Hujusmodi *autem* derogatio divinae bonitatis vel est secundum intellectum tantum, vel etiam secundum effectum. Si consistat tantum in corde, est cordis blasphemia; si autem exterius prodeat per locutionem, est oris blasphemia. Et secundum hoc blasphemia confessioni opponitur.

(a. 2.) Blasphemia est semper peccatum mortale.

(a. 3.) *Immo* cum infidelitas sit maximum peccatum secundum suum genus, sicuti supradictum est q. 10, a. 3, consequens est, quod etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, et ipsam aggravans.

(a. 4.) Etiam damnati blasphemant... Illi *enim* qui sunt in inferno retinebunt perversam voluntatem aversam a Dei justitia in hoc quod diligunt ea, pro quibus puniuntur, et vellent eis uti, si possent, et odiunt poenas, quae pro hujusmodi peccatis infliguntur... Sic ergo talis detestatio divinae justitiae est in eis interior cordis blasphemia. Et credibile est, quod post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in Sanctis vocalis laus Dei.

(Q. 14.) DE BLASPHEMIA IN SPIRITUM S.

(a. 1.) De peccato seu blasphemia in Spiritum S. tripliciter aliqui loquuntur. Antiqui enim Doctores, scilicet Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, et Chrysostomus, dicunt esse peccatum in Spiritum S. quando ad litteram aliquid blasphemum dicitur

contra Spiritum S. . . . Augustinus autem in lib. de Ver. Dom. Ser. 11, blasphemiam vel peccatum in Spiritum S. dicit, esse finalem impoenitentiam . . . Alii vero aliter accipiunt, dicentes peccatum vel blasphemiam in Spiritum S. esse quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritui S.: sic enim Spiritui S. appropriatur bonitas, sicut et Patri appropriatur potentia, et Filio sapientia. Unde peccatum in Patrem dicunt esse quando peccatur ex infirmitate; peccatum autem in Filium quando peccatur ex ignorantia; peccatum autem in Spiritum S. quando peccatur ex certa malitia, idest ex ipsa electione mali. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur; et sic non est idem peccare ex malitia, quod peccare in Spiritum S. Alio modo contingit ex eo, quod per contemptum abjicitur, et removetur id, quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, et timor per praesumptionem, et quaedam alia ejusmodi. Haec autem omnia, quae peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus S. in nobis: et ideo sic ex malitia peccare est peccare in Spiritum S.

(a. 2.) Assignantur *autem* sex species peccati in Spiritum S., scilicet desperatio, praesumptio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitae, et invidentia fraternae gratiae.

(a. 3.) Peccatum in Spiritum S. dicitur irremissibile, secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi, et sanandi omnipotentiae, et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.

(Q. 15.) DE VITIIS OPPOSITIS SCIENTIAE ET INTELLECTUI.

Quia de ignorantia, quae opponitur scientiae dictum est supra 1, 2. q. 76 cum de causis peccatorum ageretur, quaerendum est nunc de caecitate mentis, et hebetudine sensus, quae opponuntur dono intellectus.

(a. 1.) Sicut caecitas corporalis est privatio ejus, quod est principium corporalis visionis; ita etiam caecitas mentis est privatio ejus, quod est principium mentalis, sive intellectualis visionis ... Lumen naturalis rationis cum pertineat ad speciem animae rationalis, numquam privatur ab anima; impeditur tamen quandoque a proprio actu per impedimenta virium inferiorum.

(a. 2.) Hebetudo sensus circa intelligentiam importat quamdam debilitatem mentis circa considerationem spiritualium bonorum; caecitas autem mentis importat omnimodam privationem cognitionis ipsorum. Et utrumque opponitur dono intellectus, per quod homo spiritualia bona apprehendendo cognoscit, et ad eorum intima subtiliter penetrat. Habet autem hebetudo rationem peccati, sicut et coecitas mentis, iu quantum scilicet est voluntaria; ut patet in eo, qui effectus circa carnalia, de spiritualibus subtiliter discutere fastidit, vel negligit . . . (a. 3.) Gregorius 31 Moral. c. 17 dicit, quod hebetudo sensus circa intelligentiam oritur ex gula, coecitas autem mentis ex luxuria.

(Q. 16) DE PRAECEPTIS FIDEI, SCIENTIAE, ET INTELLECTUS.

Deinde considerandum est de praeceptis pertinentibus ad praedicta.

(a. 1.) In veteri lege non erant secreta fidei populo exponenda: et ideo, supposita fide unius Dei, nullá alia praecepta sunt in veteri lege data de fide.

(a. 2.) Traduntur *autem* praecepta pertinentia ad scientiam, et intellectum,... *ut* dicitur Deut. 4, 6. *Audientes universi praecepta haec dicant: en populus sapiens, et intelligens*.... Acceptio quidem scientiae vel intellectus fit per doctrinam, et disciplinam; et utrumque in lege praecipitur. Dicitur enim Deut. 6, 6. *Erunt verba haec, quae ego praecipio tibi, in corde tuo;* quod pertinet ad disciplinam: pertinet autem ad discipulum, ut cor suum applicet his, quae dicuntur; quod vero subditur, *et narrabis ea filiis tuis*, pertinet ad doctrinam... Et haec etiam abundantius in novo testamento tam in doctrina Evangelica, quam in Apostolica, mandata leguntur.

(Q. 17.) DE SPE.

Vide Append. C. III, §. 2.

Consequenter post fidem considerandum est de spe: et primo de ipsa spe; secundo de dono timoris; tertio de vitiis oppositis; quarto de praeceptis ad hoc pertinentibus.

(a. 2.) Proprium et principale objectum spei est beatitudo aeterna . . . (a. 5.) *Cumque* in hoc consistat ratio virtutis theologicae, quod Deum habeat pro objecto, sicuti supra dictum est 1, 2, q. 62, manifestum est quod spes est virtus theologica.

(a. 7.) Fides praecedit spem . . . Objectum enim spei est uno modo beatitudo aeterna, et alio modo divinum auxilium; et utrumque eorum proponitur nobis per fidem.

(a. 8.) Spes *autem* est prior charitate . . . Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc quod timens ab ipso puniri cessat a peccato, ut Aug. dicit super primam Canonicam Joan. tract. 9; ita etiam spes introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, et servandum praecepta ejus. Sed secundum ordinem perfectionis charitas prior est naturaliter: et ideo adveniente charitate, spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus. Et hoc modo dicit Ambrosius super Luc. 17 *quod spes est ex charitate.*

(Q. 18.) DE SUBJECTO SPEI.

(a. 1.) Spes est in voluntate sicut in subjecto... (a. 2.) Spes non est in beatis, *quia ut* Apostol. dicit ad Rom. 8, 24. *Quod videt quis, quid sperat?* . . . Et ideo spes sicut et fides evacuatur in patria, et neutrum eorum in beatis esse potest.

(a. 3.) *Pariter* spes non est in damnatis, *quia* non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum possibile, sicut nec beati ut bonum futurum. Et ideo neque in beatis neque in damnatis est spes. Sed in viatoribus, sive sint in vita ista, sive in purgatorio potest esse spes: quia utrobique apprehendunt beatitudinem ut futurum possibile.

(a. 4.) Spes *autem* viatorum habet certitudinem. Sic dicitur II. Tim. 1, 12. *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare* . . . Spes *enim* certitudinaliter tendit ad suum

finem, quasi participans certitudinem a fide . . . Et innititur divinae omnipotentiae, et misericordiae, . . de quibus certus est quicumque fidem habet.

Quod *autem* aliqui habentes spem deficiant a consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu divinae potentiae, vel misericordiae, cui spes innititur. Unde hoc non praejudicat certitudinem spei.

(Q. 19.) DE DONO TIMORIS.

Deinde considerandum est de dono timoris.

(a. 1.) Deus qui est ipsa bonitas, objectum timoris esse non potest, *nisi* in quantum ab ipso, vel per comparationem ad ipsum nobis potest aliquod malum imminere. Ab ipso quidem potest nobis imminere malum poenae, . . . *quod* est quidem malum in quantum privat aliquod bonum; est tamen bonum simpliciter, in quantum dependet ab ordine finis ultimi. Per comparationem autem ad Deum potest nobis malum culpae pervenire, si ab eo separemur. Et per hunc modum Deus potest, et debet timeri.

(a. 2.) Timor dividitur in filialem, initialem, servilem, et mundanum . . . *Porro* de timore nunc agimus, secundum quod per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur. Cum enim objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala quae timet, a Deo recedit; et iste dicitur timor humanus, vel mundanus; quandoque autem homo propter mala quae timet, ad Deum convertitur, et ei inhaeret: quod quidem malum est duplex, scilicet malum poenae, et malum culpae. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, et ei inhaereat propter timorem poenae, erit *timor servilis;* si autem

propter timorem culpae, erit *timor filialis:* nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.

(a. 3.) Timor mundanus est semper malus . . .

(a. 4.) Timor *autem* servilis secundum suam substantiam est bonus; sed servilitas ejus est mala... (a. 5.) Timor servilis non est idem in substantia cum timore filiali . . . Differunt *enim* specie malum poenae quod refugit timor servilis, et malum culpae quod refugit timor filialis.

(a. 6.) Timor servilis remanere *potest* cum charitate ..· *Nam* timor servilis ex amore sui causatur; quia est timor poenae, quae est detrimentum proprii boni. Unde hoc modo timor poenae potest stare cum charitate, sicut et amor sui: ejusmodi enim rationis est, quod homo cupiat bonum suum, et timeat eo privari .... Quod si aliquis refugit poenam contrariam bono suo naturali, sicut principale malum contrarium bono, quod diligitur ut finis: sic timor poenae non est cum charitate.

(a. 7.) Timor est initium sapientiae ut in Psal. 110, 16 . . . . Cum enim ad sapientiam pertineat, quod humana vita reguletur secundum rationes divinas, hinc oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur, et se ei subjiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabuntur.

(a. 9.) Timor est donum Spiritus S. . . . *nempe* timor filialis, sive castus. Dictum est enim supra 1, 2, q. 68, a. 1, 3, quod dona Spiritus S. sunt quaedam habituales perfectiones potentiarum animae, quibus redduntur bene mobiles a Spiritu S. ... Hoc autem facit timor filialis, vel castus in quantum per ipsum Deum reveremur, et refugimus nos ipsi subducere.

(a. 10.) Timor filialis necesse est, quod cre-

scat crescente charitate, sicut effectus crescit crescente causa. Quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, et ab eo separari. Sed timor servilis quantum ad servilitatem totaliter tollitur charitate adveniente; remanet tamen secundum substantiam timor poenae, ut dictum est a. 6. et iste timor diminuitur charitate crescente, maxime quantum ad actum: quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet poenam.

(a. 11.) Timor servilis sive timor poenae nullo modo erit in patria . . . Timor autem filialis, sicut augetur augmentata charitate, ita charitate perfecta perficietur. Unde non habebit in patria eumdem actum omnino, quem habet modo . . . Gregorius dicit 17 Moral. exponens illud Job. 26, 2. *Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus*, c. 17: *ipsae virtutes coelestium, quae hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt; sed idem tremor ne eis poenalis sit non timoris est, sed admirationis;* quia scilicet admirantur Deum ut supra se existentem, et eis incomprehensibilem.

(a. 12.) Paupertas spiritus est beatitudo respondens dono timoris . . . . Ex hoc *enim* quod aliquis perfecte timet Deum, consequens est, quod non qnaerat magnificari in seipso per superbiam, neque etiam quaerat magnificari in exterioribus bonis, scilicet honoribus et divitiis: quorum utrumque pertinet ad paupertatem spiritus.

(Q. 20.) DE DESPERATIONE.

Deinde considerandum est de vitiis oppositis et primo de desperatione, secundo de praesumptione.

(a. 2.) Desperatio sine infidelitate esse potest:... *Nam* aliquis retinendo in universali veram aestima-

tionem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamen pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta aestimatione ejus circa particulare.

(a. 3.) Desperatio *autem* est maximum peccatorum... Peccata *enim* quae opponuntur virtutibus theologicis, sunt secundum suum genus graviora peccatis aliis. Cum enim virtutes theologicae habeant Deum pro obiecto, peccata eis opposita important directe, et principaliter aversionem a Deo... Virtutibus autem theologicis opponuntur infidelitas, desperatio, et odium Dei . . . *Licet autem* majus peccatum sit secundum se loquendo, non credere Dei veritatem vel odire Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso; *tamen* si comparetur desperatio ad alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior: quia per spem revocamur a malis, et inducimur ad bona prosequenda: et ideo sublata spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur.

(a. 4.) *Sicut* ex effectu *terrenarum* delectationum contingit quod homo fastidit bona spiritualia, et non sperat ea quasi quaedam bona ardua; secundum hoc desperatio causatur ex luxuria . . . Et quia accidia est tristitia quaedam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex accidia generatur.

(Q. 21.) DE PRAESUMPTIONE.

(a. 1.) Sicut desperatio est per aversionem a Deo; ita praesumptio est per inordinatam conversionem ad ipsum . . . . sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine poenitentia, vel gloriam sine meritis. Haec autem praesumptio est proprie species

peccati in Spiritum S., quia scilicet per hujusmodi praesumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus S., per quod homo revocatur a peccato.'

(a. 2.) Praesumptio *igitur* est peccatum, minus tamen quam desperatio: quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, propter ejus infinitam bonitatem: illud enim secundum se Deo convenit; hoc autem secundum nostra peccata . . . Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato, et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptionis; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.

(a. 3.) *Quoniam* peccatum praesumptionis contrariatur peccato desperationis, quod directe opponitur spei; *sic* videtur quod etiam praesumptio directius spei opponatur, *quam timori, immo* totaliter excludit timorem.

(a 4.) Praesumptio autem causatur ex inani gloria.

(Q. 22.) DE PRAECEPTIS PERTINENTIBUS AD SPEM ET TIMOREM.

(a. 1.) Post primam legislationem in Sacra Scriptura multipliciter inducuntur homines ad sperandum, etiam per modum admonitionis, vel praecepti, et non solum per modum promissionis sicut in lege; sicut patet in Psalm. 61, 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi;* et multis aliis Scripturae locis.

(a. 2.) Sicut in ipsa legislatione non fuit praeceptum dandum de actu spei, sed ad hoc fuerunt homines inducendi per promissa; ita nec de timore qui respicit poenam fuit praeceptum dandum per

praecepti modum, sed ad hoc fuerunt homines inducendi per comminationem poenarum; quod fuit factum, et in ipsis praeceptis decalogi, et postmodum consequenter in secundariis legis praeceptis. Sed sicut sapientes, et prophetae consequenter intendentes homines stabilire in observantia legis, documenta tradiderunt de spe per modum admonitionis, vel praecepti, ita etiam de timore.

Sed timor filialis qui reverentiam exhibet Deo, est quasi quoddam genus ad dilectionem Dei, et principium quoddam omnium eorum, quae in Dei observantur reverentia; et ideo de timore filiali dantur praecepta in lege, sicut et de dilectione: quia utrumque est praeambulum ad exteriores actus qui praecipiuntur in lege, ad quos pertinent praecepta decalogi.

(Q. 23.) DE CHARITATE SECUNDUM SE.

Vide Appendic. C. III. §. III.

Consequenter considerandum est de charitate: et primo de ipsa charitate; secundo de dono sapientiae ei correspondente.

Circa primum consideranda sunt quinque. Primo de ipsa charitate, secundo de objecto charitatis, tertio de actibus ejus, quarto de vitiis oppositis, quinto de praeceptis ad hoc pertinentibus. Circa primum est duplex consideratio. Prima quidem de ipsa charitate secundum se. Secunda de charitate per comparationem ad subjectum.

(a. 1.) Charitas est amicitia, *unde* Joan. 15, 15, dicitur, *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos;* sed hoc non dicebatur eis nisi ratione charitatis.

Notandum vero, quod non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor qui est cum benevo-

lentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliquid hujusmodi, non est amor amicitiae, sed cujusdam concupiscentiae; ridiculum enim est dicere, quod aliquis habet amicitiam ad vinum, vel ad equum.

Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiae sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione.

Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur I. ad Cor. 1, 9, *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filii ejus.* Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quaedam est hominis ad Deum.

Et quia secundum vitam spiritualem est nobis conversatio et cum Deo, et cum Angelis: in praesenti quidem statu imperfecte; unde dicitur Philip. 3, 20. *Nostra conversatio in coelis est;* sed ista conversatio perficietur in patria, quando *servi ejus servient Deo, et videbunt faciem ejus,* ut dicitur Apoc. ult. 3; ideo hic est charitas imperfecta, sed perficietur in patria.

(a. 2.) Magister sententiam in 17. dist. 1 ponit, quod charitas non est aliquid creatum in anima, sed est ipse Spiritus S. mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus S.; sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu S., non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu S. sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta ha-

bitus fidei, aut spei, aut alicujus alterius virtutis, et hoc dicebat propter excellentiam charitatis.

Sed si quis recte consideret, hoc magis redundat in charitatis detrimentum. Non enim motus charitatis ita procedit a Spiritu S. movente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium hujus motus .... *Nam* sequeretur quod diligere non esset voluntarium: quod implicat contradictionem; cum amor de sui ratione importat quod sit actus voluntatis ... *Unde* oportet quod si voluntas moveatur a Spiritu S. ad diligendum, etiam ipsa sit efficiens hunc actum ... *et* quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiae naturali inclinans ipsam ad charitatis actum, et faciens eam prompte, et delectabiliter operari.

(a. 6.) Charitas est excellentissima virtutum? I. ad Cor. 13, 13: *Major horum est charitas*... (a. 7.) *Immo* sine charitate nequit esse aliqua vera virtus... Virtus *autem* vera simpliciter est illa, quae ordinat ad principale bonum hominis ... Sed si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine charitate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed si illud particulare bonum non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam quae est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis; sicut non est vera virtus avarorum prudentia, qua excogitant diversa genera lucrorum etc. ... Si vero illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, et perfectum bonum. Et secundum hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest .... *Et sic* Apos. dicit I. ad Cor. 13, 3. *Si distribuero in cibos pau-*

perum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

(a. 8.) *Et quia* per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem: et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum, pro tanto dicitur esse forma virtutum.

(Q. 24.) DE CHARITATIS SUBJECTO.

(a. 1.) Voluntas est subjectum charitatis. (a. 2.) Charitas *autem* non potest neque naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales est acquisita; sed per infusionem Spiritus S., qui est amor Patris, et Filii, cujus participatio in nobis est ipsa charitas creata, sicut supradictum est q. praec. a. 2... *Spiritus autem ubi vult spirat* Joan. 3, 8.

(a. 3.) Ideo charitas datur non secundum capacitatem naturalium, sed secundum voluntatem Spiritus sua dona distribuentis.

(a. 4.) Charitas viae potest augeri,.. et si non posset augeri, jam cessaret viae processus... (a. 6.) Non *autem* quolibet actu charitatis charitas actu augetur; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem; et habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum: et tunc charitas augetur in actu.

(a. 7.) Semper charitas in via potest magis ac magis augeri . . . (a. 8.) *Et* potest *etiam* esse perfecta, *ut* Aug. dicit super I. Can. Joan. tract. 5. *Charitas cum fuerit roborata perficitur; cum autem ad perfectionem venerit, dicit: cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Sed hoc possibile est in hac vita,

sicut in Paulo fuit . . . Et ista est perfectio charitatis, quae est possibilis in via, *nempe* ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit.

(a. 9.) Distinguuntur *idcirco* tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, et perfecta.

(a. 10.) Charitas *autem* nullo modo diminui potest directe loquendo; potest tamen indirecte dici diminutio charitatis dispositio ad corruptionem ipsius: quae fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis . . . Peccatum *vero* mortale non diminuit charitatem, sed totaliter corrumpit ipsam.

(Q. 25.) DE OBJECTO CHARITATIS.

Deinde considerandum est de objecto charitatis, circa quod duo consideranda occurrunt. Primo quidem de his, quae sunt ex charitate diligenda; secundo de ordine diligendorum.

(a. 1.) Dicitur I. Joan. 4, 21. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* . . . Ratio autem diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere ut in Deo sit. Unde manifestum est quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.

(a. 3.) Creaturae *autem* irrationales non sunt ex charitate diligendae... *Nam* charitas secundum praedicta est amicitia quaedam . . . Sed amicitia charitatis non potest haberi ad creaturam irrationalem. Possunt tamen ex charitate diligi creaturae irrationales, sicut bona quae aliis volumus, in quantum

scilicet ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei, et utilitatem hominum: et sic etiam ex charitate Deus eas diligit.

(a. 4.) Homo debet seipsum ex charitate diligere . . . *Unde* dicitur Levit. 19, 18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Sed amicum ex charitate diligimus. Ergo et nos ipsos debemus ex charitate diligere.

(a. 5.) Immo ex dilectione charitatis, qua diligimus Deum, debemus etiam corpus nostrum diligere; sed infectionem culpae, et corruptionem poenae in corpore nostro diligere non debemus, sed potius ad ejus remotionem anhelare desiderio charitatis.

(a. 6.) *Etiam* peccatores sunt ex charitate diligendi ... quia peccatum non tollit naturam . . . *licet* secundum culpam, qua Deo adversantur, sunt odiendi quicumque peccatores, etiam pater et mater, et propinqui, ut habetur Luc. 14.

(a. 8.) *Etiam* de necessitate charitatis est, ut inimici diligantur Mat. 5. 44. *Diligite inimicos vestros* . . . ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, a generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat, et etiam habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis. Cum enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, qnanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nulla inimicitia impediente: sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios ejus amaret, etiam inimicos sibi.

(a. 9.) *Idcirco* qnaedam signa vel beneficia dilectionis, quae exhibentur proximis in communi; puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro

toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate praecepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictae, contra id quod dicitur Levit. 19, 18. *Non quaeres ultionem, et non eris memor injuriae civium tuorum.*

Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quae quis exhibet particulariter aliquibus personis: et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate salutis; nisi secundum praeparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis secundum illud proverbiorum 25, 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum.*

Sed quod praeter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non solum cavet vinci a malo, quod necessitatis est; sed etiam vult in bono vincere malum, quod est etiam perfectionis; dum scilicet non solum cavet propter injuriam sibi illatam pertrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad suum amorem.

(a. 10.) Debemus *quoque* Angelos ex charitate diligere . . . *Nam* amicitia charitatis, sicut supra dictum est, fundatur super communicationem beatitudinis aeternae, in cujus participatione communicant cum Angelis homines; dicitur enim Mat. 22, 30. Quod *in resurrectione erunt homines sicut Angeli in coelo.* Et ideo manifestum est quod amicitia charitatis etiam ad Angelos se extendit.

(a. 11.) *Immo* naturam Demonum etiam ex charitate diligere possumns, in quantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei.

(Q. 26.) DE ORDINE CHARITATIS.

(a. 2. 5.) Circa ordinem charitatis homo debet ex charitate plus Deum diligere quam seipsum, et proximum... Et magis debet diligere seipsum quam proximum ... *Sed* proximum quantum ad salutem animae magis debemus diligere, quam proprium corpus ... Non *tamen* est de necessitate charitatis quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere; sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.

(a. 6. 7.) Unus proximus est magis diligendus quam alius,.. *non tamem* debemus diligere meliores, quam nobis conjunctiores... (a. 8.) *Sed* magis diligendus est ille, qui nobis est magis conjunctus secundum carnalem originem. (a. 9.) *Unde* specialiter in praeceptis decalogi mandatur de honoratione parentum, ut patet Ex. 20 ... Et Pater est magis diligendus quam filius, quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, et Deo similioris.

(a. 10, et 11.) Et Pater magis est amandus quam mater... Et magis debemus diligere parentes quam uxorem, *nempe etsi* intensius diligitur uxor, major reverentia est parentibus exhibenda.

(a. 12.) Et homo debet magis diligere benefactorem, quam beneficiatum ... Quia beneficiatus est quoddam opus benefactoris: unde consuevit dici de aliquo: *iste est factura illius.* Naturale est autem cuilibet, ut diligat opus suum; sicut videmus quod Poetae diligunt poemata sua: et hoc ideo quia unumquodque diligit suum esse, quod maxime manifestatur in suo agere.

(a. 13.) Ordo charitatis remanet in patria ...

quantum ad hoc quod Deus est super omnia diligendus. Hoc enim simpliciter erit tunc quando homo perfecte eo fruetur. Sed de ordine sui ipsius ad alios distinguendum videtur . . . Nam homo *uno* modo plus diligit meliorem quam seipsum, minus vero minus bonos. Volet enim quilibet beatus unumquemque habere, quod sibi debetur secundum divinam justitiam propter conformitatem voluntatis humanae ad divinam . . . *Alio* vero modo aliquis plus seipsum diliget quam proximum etiam meliorem, quia intensio actus dilectionis provenit ex parte subjecti diligentis. Et hoc etiam donum charitatis unicuique confertur a Deo: ut primo quidem mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionem sui ipsius; secundario autem ordinem aliorum velit, vel etiam operetur secundum suum modum.

Sed quantum ad ordinem proximorum ad invicem, simpliciter quis magis diliget meliorem secundum charitatis amorem . . . Continget tamen in patria, quod aliquis sibi conjunctum pluribus modis diliget: non enim cessabunt ab animo beati honestae dilectionis causae. Tamen omnibus istis rationibus praefertur incomparabiliter ratio dilectionis, quae sumitur ex propinquitate ad Deum.

(Q. 27.) DE PRINCIPALI ACTU CHARITATIS, QUI EST DILECTIO.

Deinde, considerandum est de actu charitatis: et primo de principali actu charitatis qui est dilectio; secundo de aliis actibus vel effectibus consequentibus.

(a. 1.) Principalis actus charitatis est dilectio . . . Amari autem non est actus charitatis ipsius, qui amatur; sed actus charitatis ejus est amare . . .

Unde manifestum est quod charitati magis convenit amare, quam amari.

(a. 2.) *Cum autem* benevolentia sit simplex actus voluntatis quo volumus alicui bonum etiam non praesupposita unione affectus ad ipsum; sic ergo in dilectione secundum quod est actus charitatis, includitur quidem benevolentia; sed dilectio sive amor addit unionem affectus: et propter hoc philosophus dicit, quod *benevolentia est principium amicitiae.*

(a. 3.) Deus est propter seipsum ex charitate diligendus . . . Ly *propter* importat habitudinem alicujus causae. Est autem quadruplex genus causae, scilicet finalis, formalis, efficiens, et materialis, ad quam reducitur etiam materialis dispositio, quae non est causa simpliciter, sed secundum quid.

Primis *autem* tribus modis Deum non diligimus propter aliud, sed propter seipsum. Non enim ordinatur ad aliud sicut ad finem, sed ipse est finis ultimus omnium; neque etiam informatur aliquo alio ad hoc quod sit bonus, sed ejus substantia est ejus bonitas, secundum quam exemplariter omnia bona sunt; neque iterum ei ab altero bonitas inest, sed ab ipso omnibus aliis.

Sed quarto modo potest diligi propter aliud, quia scilicet ex aliquibus aliis disponimur ad hoc quod in Dei dilectione proficiamus, puta per beneficia ab eo suscepta, vel per praemia sperata, vel etiam per poenas, quas per ipsum vitare intendimus . . . *Sic* spes et timor ducunt ad charitatem per modum dispositionis cujusdam.

(a. 6.) Bernardus dicit in libro de diligendo Deo c. 1. quod *causa diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere* . . . *Nempe* sicut Aug. dicit lib. 4. super Gen. ad lit. c. 8. *Modus diligendi Deum est ut ex toto corde diligatur,* idest ut diligatur quantumcumque potest diligi.

(a. 7.) Magis meritorium est diligere inimicum, quam amicum,.. quia dilectionis amici potest esse alia ratio quam Deus, sed dilectionis inimici solus Deus est ratio ... Tanto *autem* ostenditur divina dilectio esse fortior, quanto propter ipsam difficiliora implemus.

(a. 8.) *Quoniam* dilectio proximi non est meritoria nisi propter hoc, quod proximus diligitur propter Deum; *ideo* dilectio Dei est magis meritoria quam dilectio proximi.

(Q. 28.) DE GAUDIO.

Deinde considerandum est de effectibus consequentibus charitatis actum principalem, qui est dilectio: et primo de effectibus interioribus, secundo de exterioribus. Circa primum tria consideranda sunt: primo de gaudio, secundo de pace, tertio de misericordia.

(a. 1.) Dicitur Rom. 5. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis.* Sed gaudium in nobis causatur ex Spiritu Sancto, secundum illud Rom. 14. 17. *non est regnum Dei esca, et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu S.* Ergo charitas est causa gaudii.

(a. 2.) *Hoc autem* gaudium spirituale non potest habere permixtionem tristitiae, nisi prout aliquis tristatur de eo, quod repugnat partecipationi divini boni, vel in nobis, vel in proximis, quos tamquam nos ipsos diligimus.

(a. 4.) Gaudium *vero* non est aliqua virtus a charitate distincta, sed est quidam charitatis actus, sive effectus: et propter hoc connumeratur inter fructus, ut patet ad Gal. 5.

(Q. 29.) DE PACE.

Postea considerandum est de pace.

(a. 1.) Pax *autem* non est idem quod concordia . . . *Nam* concordia importat unionem appetituum diversorum appetentium; pax autem super hanc unionem importat etiam appetituum unius appetentis unionem . . . Et propter hoc *pax est tranquillitas ordinis:* quae quidem tranquillitas consistit in hoc quod omnes motus appetitivi in uno homine conquiescunt.

(a. 3.) Pax est proprius effectus charitatis . . . Sic dicitur in psal. 118, 165. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Est enim amor *vis unitiva,* ut Dionysius dicit c. 4. de Div. Nom.; pax autem est unio appetitivarum inclinationum . . . . *Notandum tamen,* quod ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, sed concordia in bonis conferentibus ad vitam, praecipue in magnis; quia dissentire in aliquibus parvis quasi non videtur esse dissensus; et propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire; nec hoc repugnat paci: quia opiniones pertinent ad intellectum, qui praecedit appetitum qui per pacem unitur . . . Et secundum hoc talis dissensio de minimis, et de opinionibus repugnat quidem paci perfectae, in qua plena veritas cognoscetur, et omnis appetitus complebitur; non tamen repugnat paci imperfectae qualis habetur in via.

(a. 4.) *Et quia* virtus non est finis ultimus, sed via in ipsum; sed pax est quodammodo finis ultimus, ut Aug. dicit 19 de Civ. Dei c. 11; ergo pax non est virtus.

(Q. 30.) DE MISERICORDIA.

(a. 1.) Sicut Aug. dicit lib. 19, de Civ. Dei c. 5. *Misericordia est alienae miseriae in nostro corde compassio: qua utique, si possimus, subvenire compellimur.*

(a. 2.) Ratio *autem* miserendi est, vel in quantum aliquis defectum alicujus reputat suum propter unionem amoris, vel propter possibilitatem similia patiendi.

(a. 3.) Misericordia est virtus,.. *ideo* Aug. dicit in lib. 9 de Civ. Dei c. 5. *Quod iste motus animi*, scilicet misericordia, *servit rationi, quando ita praebetur misericordia, ut conservetur justitia, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur poenitenti.* Et quia ratio virtutis humanae consistit in hoc quod motus animi ratione reguletur, ut ex superioribus patet (1, 2, q. 59), consequens est misericordiam esse virtutem. (a. 4.) *Immo* inter omnes virtutes, quae ad proximum pertinent, potissima est misericordia.

(Q. 31.) DE BENEFICENTIA.

Deinde considerandum est de exterioribus actibus, vel effectibus caritatis: et primo de beneficentia; secundo de elemosyna, quae est quaedam pars beneficentiae; tertio de correctione fraterna, quae est quaedam eleemosyna.

(a. 1.) Beneficentia secundum communem rationem est amicitiae, vel caritatis actus .... (a. 2.) Et cum dilectio caritatis se extendat ad omnes, etiam beneficentia se debet extendere ad omnes, pro loco tamen et tempore. Omnes enim actus virtutum sunt

secundum debitas circumstantias limitandi... (a. 3.) *Sic* est magis benefaciendum his, qui sunt nobis magis conjuncti . . . . Tamen hoc potest variari secundum diversitatem locorum, et temporum, et negotiorum. Nam in aliquo casu est magis subveniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quam etiam patri non tantam necessitatem patienti. (a. 4.) *Quia vero* beneficentia, et benevolentia non differunt, nisi sicut actus exterior, et interior; quia beneficentia est executio benevolentiae; ergo sicut benevolentia non est alia virtus a caritate, ita nec beneficentia.

(Q. 32.) DE ELEEMOSYNA.

Dare eleemosynam proprie est actus misericordiae; et hoc apparet ex ipso nomine: nam in Graeco *eleemosyna* a misericordia derivatur, sicut in Latino *miseratio*. Et quia misericordia est effectus caritatis, ut supra ostensum est, ex consequenti dare eleemosynam est actus caritatis misericordia mediante.

(a. 2.) Ponuntur septem eleemosynae corporales; scilicet pascere *esurientem*, potare *sitientem*, vestire *nudum*, recolligere *hospitem*, visitare *infirmum*, redimere *captivum*, et sepelire *mortuum*: quae in hoc versu continentur: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Ponuntur etiam aliae septem eleemosynae spirituales, scilicet docere *ignorantem*, consulere *dubitanti*, consolari *tristem*, corrigere *peccantem*, remittere *offendenti*, portare *onerosos, et graves*, et *pro omnibus* orare: quae etiam in hoc versu continentur: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora;* ita tamen quod sub eodem intelligatur *consilium, et doctrina.*

(a. 3.) Spirituales eleemosynae sunt corporalibus praeferendae . . . Secundum *tamen* aliquem particularem casum quaedam corporalis eleemosyna alicui spirituali praefertur; puta magis est pascendus fame moriens, quam docendus; sicut et indigenti, secundum philosophum, *melius est ditari, quam philosophari:* quamvis hoc sit simpliciter melius.

(a. 4.) Eleemosynae corporales habent effectum spiritualem, in quantum scilicet aliquis eleemosynam corporalem dat propter dilectionem Dei, et proximi.

(a. 5.) Dare eleemosynam est in praecepto, *nam* aliqui puniuntur poena aeterna pro omissione eleemosynarum, ut patet Matth. 25.

Sed aliquid considerandum est ex parte dantis, et aliquid ex parte ejus, cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis considerandum est, ut id quod est in eleemosyna erogandum, sit ei superfluum, secundam illud Luc. 2, 41, *Quod superest date eleemosynam.* Et dico *superfluum* non solum respectu sui ipsius, quod est supra id, quod est necessarium individuo, sed etiam respectu aliorum quorum cura sibi incumbit; respectu quorum dicitur *necessarium personae,* secundum quod *persona* dignitatem importat: quia prius oportet quod unusquisque sibi provideat, et his quorum cura ei incumbit, et postea de residuo aliorum necessitatibus subveniat.

Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; alioquin non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur. Sed cum non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri, non omnis necessitas obligat ad praeceptum, sed illa sola sine qua is qui necessitatem patitur, sustentari non potest . . . Est *ergo* aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat: ex parte quidem *recipientis,* cum apparet evidens,

et urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat; ex parte vero dantis, cum habet superflua, quae secundum statum praesentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter aestimari potest. Nec oportet quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum; hoc enim esset de crastino cogitare; quod Dominus prohibet Matt. 6. Sed debent dijudicari *superfluum, et necessarium* secundum ea quae probabiliter, et in pluribus occurrunt . . . Unde Basilius dicit Hom. super illud Luc. 12 *destruam horrea mea: Si fateris ea tibi divinitus provenisse,* scilicet temporalia bona, *an injustus est Deus inaequaliter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonae dispensationis merita consequaris, ille vero patientiae braviis decoretur? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceus, qui penes te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quo circa tot injuriaris, quot dare valens es.*

(a. 6.) *Etiam* de necessariis potest homo eleemosynam dare. Necessarium *autem* dupliciter dicitur. Uno modo sine quo aliquid esse non potest: et de tali necessario omnino eleemosyna dari non debet; puta si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum, unde posset sustentari, et filii sui, vel alii ad eum pertinentes: de hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi et suis vitam subtrahere. Sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnae personae, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur: quia pro talis personae liberatione seipsum, et suos laudabiliter periculo mortis exponeret; cum bonum commune sit proprio praeferendum.

Alio modo dicitur aliquid esse necessarium, sine quo non potest convenienter vita transigi secundum

conditionem, et statum propriae personae et aliarum personarum, quarum cura ei incumbit. Hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus; sed multis additis, non potest dijudicari esse ultra tale necessarium; et multis subtractis, adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum. De hujusmodi ergo eleemosynam dare est bonum; et non cadit sub praecepto, sed sub consilio. Inordinatum esset autem, si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum, et negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet.

Sed ab hoc tria sunt excipienda. Quorum primum est, quando aliquis statum mutat, puta per religionis ingressum; tunc enim omnia sua propter Christum largiens opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo. Secundo, quando ea quae sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitae, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertio, quando occurreret extrema necessitas alicujus privatae personae, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicae. In his enim casibus laudabiliter praetermitteret aliquis id quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.

(a. 7.) Nequit fieri eleemosyna de injuste acquisitis, *quae* debentur ei, a quo sunt acquisita, nec possunt ab eo retineri, qui acquisivit; sicut contingit in rapina, in furto, et usuris.

Secus dum quis contra justitiam accepit, et alter contra justitiam dedit, sicut contingit in Simonia, in qua dans, et accipiens contra justitiam legis divinae agit: unde non debet fieri restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.

Datur etiam aliquid illicite acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id ex quo acquiritur est illicitum, sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium: et hoc proprie vocatur *turpe lucrum:* quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit et contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non injuste agit nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri.

(a. 8.) Ille qui est sub potestate constitutus, de re secundum quam superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei a superiore fuerit commissum. Si quis vero habeat aliquid secundum quod potestati superioris non subsit, jam secundum hoc non est potestati subjectus quantum ad hoc proprii juris existens: et de hoc potest eleemosynam facere.

Ideo monachus, quia nihil proprium habet, non potest facere eleemosynam sine licentia abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter praesumpta; nisi forte in articulo extremae necessitatis, in quo licitum esset ei furari, ut eleemosynam daret.

Uxor *autem* si habeat alias res praeter dotem, quae ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri vel expresso vel praesumpto, nisi in articulo necessitatis, sicut de monacho dictum est. Quamvis enim mulier sit aequalis viro in actu matrimonii, tamen in his quae ad dispositionem domus pertinent, *vir caput est mulieris* secundum Apost. I. ad Cor. 11.

Quia ea quae sunt filiifamilias, sunt et patris, ideo non potest eleemosynam facere, nisi forte ali-

quam modicam, de qua potest praesumere, quod patri placeat; nisi forte alicujus rei esset sibi a patre dispensatio commissa. Et idem dicendum est de servis.

(a. 9.) Aug. dicit in lib. 1. de Doct. Christ. c. 28. *Qui sunt nobis magis conjuncti, quasi quadam sorte nobis obvenit, ut eis magis providere debeamus.* Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda, secundum differentiam conjunctionis et sanctitatis, et utilitatis. Nam multo sanctiori magis indigentiam patienti, et magis utili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda quam personae propinquiori; maxime si non sit multum conjuncta; cujus cura specialis nobis non immineat, et si magnam necessitatem non patiatur.

(a. 10.) Eleemosyna est abundanter facienda... Sed si superabundet ad superfluitatem *recipientis*, hoc non est laudabile, sed melius est pluribus indigentibus largiri: unde et Apost. dicit I. ad Cor. 13, 3. *Si distribuero in cibos pauperum:* ubi glossa interlinearis dicit: *per hoc cautela eleemosynae docetur, ut non uni, sed multis detur, ut pluribus prosit.*

(Q. 33.) DE CORRECTIONE FRATERNA.

Deinde considerandum est de correctione fraterna, *quae* est quaedam eleemosyna spiritualis. (a. 2.) Correctio fraterna est in praecepto, *unde* Aug. dicit in lib. de Ver. Dom. Serm. 16, c. 4. *Si neglexeris corrigere, pejor eo factus es, qui peccavit ...* Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem. Et ideo hoc modo cadit sub praecepto, secundum quod est necessaria ad istum finem, non autem ita quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur.

(a. 3.) Correctio fraterna *prout* est actus caritatis, quae specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, pertinet ad quemlibet caritatem habentem, sive sit subditus, sive praelatus. Est autem alia correctio, quae est actus justitiae, per quam intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, ut alii a peccato timentes desistant: et talis correctio pertinet ad solos praelatos, qui non solum habent admonere, sed etiam corrigere puniendo.

(a. 4.) *Quoniam* correctio fraterna est opus misericordiae, ergo et praelati sunt corrigendi . . . *At* in correctione qua subditi corrigunt praelatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia corrigantur. Unde Apost. dicit I. ad Tim. 5. 1. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

(a. 5.) Peccator non debet corripere delinquentem, *quia ut* Rom. 2, 1. dicitur, *in quo alium judicas, teipsum condemnas: eadem enim agis, quae judicas* . . . *Sane* videretur quod ille qui corrigit, non corrigat ex caritate, sed magis ad ostentationem . . . Unde Aug. dicit lib. 2. de Serm. Dom. in mon. c. 19. *Accusare vitia officium est bonorum virorum, et benevolorum: quod cum mali faciunt, alienas partes agunt.* Et ideo sicut Aug. dicit in eodem lib. *Si invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed congemiscamus, et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus.*

(a. 6. et 7.) Cessandum est a correctione fraterna, quando timetur, ne fiat ille inde deterior. Debet *autem* de necessitate praecepti admonitio secreta praecedere denuntiationem, . . . nisi peccata sint publica, *quia tunc* non est tantum adhibendum re-

medium ei qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur. Et ideo talia peccata sunt publice arguenda, secundum illud Apos. I. ad Tim. 5, 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant. Idque etiam fieri debet circa ea* peccata occulta, quae sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale; puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si haereticus privatim homines a fide avertat.

(a. 8.) Testium quoque inductio debet praecedere publicam denuntiationem . . . *ut* Dominus dicit Mat. 18, 16: *adhibe tecum unum vel duos etc; in* correctione *enim* fraterna Dominus voluit, quod principium esset occultum, dum frater corriperet fratrem inter se et ipsum solum; finem autem voluit esse publicum, ut scilicet Ecclesiae denuntiaretur. Convenienter *autem* in medio ponitur testium inductio; ut primo paucis indicetur peccatum fratris, qui possint prodesse, et non obesse; ut saltem sic sine multitudinis infamia emendetur.

(Q. 34.) DE ODIO.

Deinde considerandum est de vitiis oppositis caritati: et primo de odio, quod opponitur ipsi dilectioni; secundo de accidia, et invidia, quae opponuntur gaudio charitatis; tertio de discordia, et schismate, quae opponuntur paci; quarto de offensione, et scandalo, quae opponuntur beneficentiae, et correctioni fraternae.

(a. 1.) Ab aliquibus Deus odio haberi potest, in quantum scilicet apprehenditur peccatorum prohibitor, et poenarum inflictor . . . (a. 2.) Hoc autem est maximum peccatorum, *nam* opponitur dilectioni

Dei, in qua consistit optimum hominis; . . . optimo *autem* opponitur pessimum.

(a. 4.) *Non autem* odium proximi est gravissimum peccatorum, quae in proximum committuntur . . . In quantum *scilicet* ad nocumentum quod proximo infertur, pejora sunt exteriora peccata, quam interius odium . . . *Verum alio* modo odium est majus peccatum . . . Quia si quid culpae est in exterioribus peccatis quae contra proximum committuntur, totum est ex interiori odio.

(a. 5. a. 6.) Odium non est vitium capitale, *sed* oritur ex invidia, *nam* sicut ex delectatione causatur amor, ita ex tristitia causatur odium.

(Q. 35.) DE ACCIDIA.

(a. 1.) Accidia secundum Damascenum *est quaedam tristitia aggravans;* quae scilicet ita deprimit animum hominis ut nihil ei agere libeat.

(a. 2.) Hujusmodi autem tristitia semper est mala . . . *Et* est speciale vitium, *quia* tristatur de bono divino, de quo charitas gaudet.

(a. 3.) Motus accidiae in sola sensualitate quandoque est propter repugnantiam carnis ad spiritum; et tunc est peccatum veniale: quandoque vero pertingit usque ad rationem, quae consentit in fugam, et horrorem, et detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino praevalente; et tunc manifestum est, quod accidia est peccatum mortale.

(a. 4.) Assignat autem Greg. 31 Mor. c. 17 sex filias accidiae, quae sunt *malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta, evagatio mentis circa illicita.*

(Q. 36.) DE INVIDIA.

(a. 1.) Invidia *autem* est tristitia de alienis bonis . . . (a. 2.) Sed haec tristitia potest contingere quatuor modis. Uno quidem modo cum aliquis dolet de bono alicujus, in quantum ex eo timetur nocumentum sibiipsi, vel etiam aliis bonis: et talis tristitia non est invidia, et potest esse sine peccato. Unde Greg. 22. Mor. c. 6 ait, *evenire plerumque solet, ut non amissa caritate, et inimici nos ruina laetificet, et rursum ejus gloria sine invidiae culpa contristet; cum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus.*

Alio modo potest aliquis tristari de bono alterius, non ex eo quod ipse habet bonum, sed ex eo quo nobis deest bonum illud, quod ipse habet: et hoc proprie est zelus. Et si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est, secundum illud I. Cor. 14, 1: *Aemulamini spiritualia.* Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, et sine peccato.

Tertio modo aliquis tristatur de bono alterius, in quantum ille cui accidit bonum, est eo indignus: quae quidem tristitia non potest oriri ex bonis honestis, ex quibus aliquis justus efficitur; sed est de divitiis, et de talibus quae possunt provenire dignis, et indignis, et haec tristitia vocatur *nemesis*, et pertinet ad bonos mores . . . Sed *quia* secundum doctrinam fidei temporalia bona, quae indignis proveniunt, ex justa Dei ordinatione disponuntur vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: et hujusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quae servantur bonis; ideo hujusmodi tristitia prohibetur in Sacra Scri-

plura secundum illud Psal. 36, 1. *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.*

Quarto modo aliquis tristatur de bono alicujus, in quantum alter excedit ipsum in bonis: et hoc proprie est invidia; et istud semper est pravum, quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi.

(a. 3.) Quamvis invidia sit peccatum mortale, *tamen* in genere invidiae inveniuntur aliqui primi motus, quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia.

(a. 4.) Invidia est vitium capitale et ejus filiae assignantur a Greg. 31 Mor. c. 17, ubi dicit, quod ex invidia oritur *odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis.*

(Q. 37.) DE DISCORDIA ET CONTENTIONE.

Deinde considerandum est de peccatis, quae opponuntur paci: et primo de discordia quae est in corde; secundo de contentione quae est in ore; tertio de his quae pertinent ad opus; scilicet de schismate, rixa, et bello, ac seditione.

(a. 1.) Per se discordat aliquis a proximo quando scienter et ex intentione dissentit a bono divino, et proximi bono in quo debet consentire: et hoc est peccatum mortale ex suo genere, propter contrarietatem ad caritatem; licet primi motus hujus discordiae propter imperfectionem actus sunt peccata venialia . . . Sed *cum* unus aestimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem; discordia tunc est per accidens contra bonum divinum vel proximi. Et talis discordia non est peccatum, nec repugnat caritati; nisi hujusmodi discordia sit vel cum errore circa ea quae sunt de necessitate

salutis, vel pertinacia indebite adhibeatur; cum etiam supra dictum sit, quod concordia quae est caritatis effectus, est unio voluntatum, non unio opinionum.

(a. 2.) Discordia per quam unusquisque sequitur quod suum est, et recedit ab eo, quod est alterius, ponitur filia inanis gloriae.

(Q. 38.) DE CONTENTIONE.

(a. 1.) Si accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem veritatis, et inordinatum modum, sic est peccatum mortale... Si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniae, sic contentio est laudabilis. Si autem accipiatur contentio, secundum quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale: nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum.

(a. 2.) Eadem vero ratione ponitur contentio filia inanis gloriae, sicut et discordia.

(Q. 39.) DE SCHISMATE.

(a. 1.) Sicut Isidorus dicit in lib. 8. Etymol. c. 3. *Nomen schismatis a scissura animorum vocatum est*... Proprie *autem* schismatici dicuntur, qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant, quae est unitas principalis: nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesiae, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur; scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem, seu communicatione; et iterum

in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput, secundum illud ad Col. 2, 18 *inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei.* Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant.

(a. 2.) *Quamvis* peccatum infidelitatis ex suo genere sit gravius, quam peccatum schismatis, potest *tamen* contingere, quod aliquis schismaticus gravius peccet, quam quidam infidelis, vel propter majorem contemptum, vel propter majus periculum, quod inducit, vel propter aliquid hujusmodi.

(a. 3.) Utrum *vero* schismatici habeant aliquam potestatem, *sciendum*, quod duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis . . . *Prima* potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur: quod patet ex hoc quod rediens ad Ecclesiam non iterum consecratur.

Potestas autem jurisdictionalis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur: et talis potestas non immobiliter adhaeret: unde in schismaticis, et haereticis non manet: unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi: quod si fecerint, nihil est actum. Cum ergo dicitur tales non habere potestatem spiritualem, intelligendum est vel de potestate secunda, vel si referatur ad primam potestatem, non est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum usum ejus.

(a. 4.) Baptismum a schismaticis recipere non licet nisi in articulo necessitatis, quia melius est de

hac vita cum signo Christi exire, a quocumque detur, etiamsi sit Judaeus, vel Paganus, quam sine hoc signo, quod per baptismum confertur.

(Q. 40.) DE BELLO.

(a. 1.) Ad hoc quod aliquod bellum sit justum tria requiruntur. Primo quidem auctoritas Principis . . . Secundo requiritur causa justa . . . Tertio requiritur, ut sit intentio bellantium recta; qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur.

(a. 2.) Clericis *autem*, et Episcopis non est licitum pugnare . . . Et propter hoc est institutum, ut effundentes sanguinem etiam sine peccato sint irregulares.

(a. 3.) Est licitum in bellis uti insidiis, dummodo non dicatur falsum, et non *violetur* promissum . . . Sunt enim *quaedam jura bellorum, et foedera etiam inter ipsos hostes servanda* ut Ambros. dicit in I. de Officiis c. 29 . . . Inter caetera *autem* documenta rei militaris hoc praecipue ponitur de occultandis consiliis, ne ad hostes perveniant, ut patet in libro stratagematum Francorum, et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est uti in bellis justis. Nec proprie hujusmodi insidiae vocantur fraudes, nec justitiae repugnant, nec ordinatae voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab aliis occultari.

(a. 4.) Licitum est justa bella exercere in diebus festis, si tamen hoc necessitas exposcat.

(Q. 41.) DE RIXA.

(a. 1.) Rixa videtur esse quoddam privatum bellum, quod inter privatas personas agitur non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate. Et ideo rixa semper importat peccatum. Et in eo quidem qui alterum invadit injuste est peccatum mortale . . . In eo autem qui se defendit, potest esse sine peccato, et quandoque cum peccato veniali; et quandoque cum peccato mortali, secundum diversum motum animi ejus, et diversum modum se defendendi . . . (a. 2.) Rixa est filia irae.

(Q. 42.) DE SEDITIONE.

(a. 1.) Seditio est quoddam speciale peccatum quod quantum ad aliquid convenit cum bello, et rixa; quantum autem ad aliquid differt ab eis. Convenit quidem cum eis in hoc, quod importat quamdam contradictionem; differt autem ab eis in duobus. Primo quidem quia bellum, et rixa importat mutuam impugnationem in actu: sed seditio potest dici, sive fiat hujusmodi impugnatio in actu, sive sit praeparatio ad talem impugnationem... Secundo differunt, quia bellum proprie est contra extraneos hostes, quasi multitudinis ad multitudinem; rixa autem est unius ad unum, vel paucorum ad paucos; seditio autem proprie est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, puta cum una pars civitatis excitatur in tumultum contra aliam.

(a. 2:) Manifestum est quod seditio opponitur et justitiae et communi bono: et ideo ex suo genere est peccatum mortale, et tanto gravius, quanto bonum commune, quod impugnatur per seditionem est

majus, quam bonum privatum, quod impugnatur per rixam.

(Q. 43.) DE SCANDALO.

Deinde considerandum restat de vitiis quae beneficentiae opponuntur: inter quae alia quidem pertinent ad rationem justitiae, illa scilicet quibus aliquis injuste proximum laedit; sed contra caritatem specialiter scandalum esse videtur. Et ideo considerandum est hic de scandalo.

(a. 1.) Scandalum definitur *dictum vel factum minus rectum praebens occasionem ruinae* . . . In processu autem viae spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius, in quantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum: et hoc proprie dicitur scandalum . . . *Et dum quis* proprie dat occasionem ruinae, vocatur scandalum activum; *dum vero quis* non dat occasionem, quantum in se est, sed alius sumit occasionem, . . . hoc est scandalum passivum. (a. 2.) Potest esse scandalum passivum sine peccato ejus ex cujus facto aliquis scandalizatur, sicut cum aliquis scandalizatur de his, quae alius bene facit.

(a. 4.) Scandalum passivum quandoque quidem potest esse peccatum veniale . . . Quandoque vero est peccatum mortale . . . Puta cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius procedit usque ad peccatum mortale. Scandalum autem activum si sit per accidens, potest esse quandoque quidem peccatum veniale . . . Quandoque vero est peccatum mortale, sive quia committit actum peccati mortalis, sive quia contemnit salutem proximi, ut si pro ea conservanda non praetermittat aliquis facere, quod sibi libuerit. Si vero scandalum activum sit per se,

puta cum intendit inducere alium ad peccandum; si quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale; et similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis; si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale.

(a. 5.) Scandalum passivum non potest in perfectos cadere . . . Unde quantumcumque videant alios inordinate se habere dictis, vel factis, ipsi a sua rectitudine non recedunt . . . (a. 6.) *Multo minus* scandalum activum potest inveniri in viris perfectis.

(a 7.) Utrum autem bona spritualia sint propter scandalum dimittenda, quaestio ista non habet locum de scandalo activo: quia nihil est cum scandalo activo faciendum. Habet autem locum quaestio, si intelligatur de scandalo passivo. Considerandum est ergo quid sit dimittendum, ne alius scandalizetur... *Certe* ea quae sunt de necessitate salutis praetermitti non debent propter scandalum vitandum. In his autem spiritualibus bonis quae non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando: et hoc est scandalum Pharisaeorum qui de doctrina Domini scandalizabantur: quod esse contemnendum Dominus docet Matth. 15. Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia: et hujusmodi est scandalum pusillorum; propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cesset: si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse: et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda.

(a. 8.) *Quoad* temporalia bona, si scandalum oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod supra diximus esse scandalum pusillorum; tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum esset sedandum, scilicet per aliquam admonitionem . . . *Secus* vero si scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisaeorum . . . Bona *vero* nobis ad conservandum pro aliis commissa; sicut bona Ecclesiae committuntur praelatis, et bona communia quibuscumque reipublicae rectoribus: talium conservatio, sicut et depositorum, imminet his, quibus sunt commissa ex necessitate: et ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia quae sunt de necessitate salutis.

(Q. 44.) DE PRAECEPTIS CARITATIS.

(a. 1.) Requirit Deus ab homine, ut diligat eum, ut dicitur Deut. 10, *et* omnia praecepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, et proximi . . . (a. 4.) *De Deo quidem* dicitur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Deut. 6, 5 . . . (a. 6.) *At sicut* Aug. dicit in lib. de Perf. Just. c. 8. *In plenitudine caritatis patriae praeceptum illud implebitur, diliges Dominum Deum tuum etc. Nam cum aliquid adhuc est carnalis concupiscentiae, quod continendo fraenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus* . . . Ideo plene et perfecte in patria implebitur hoc praeceptum; in via autem impletur sed imperfecte: et tamen in via tanto unus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quamdam similitudinem ad patriae perfectionem . . . *Subdit vero* Aug. ibidem: *Cur non praeciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte cur-*

ritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur?

(a. 7.) Convenienter *quoque* datur praeceptum de dilectione proximi . . . *diliges proximum tuum sicut teipsum* . . . Tangitur enim in eo et diligendi ratio et dilectionis modus. Ratio quidem diligendi tangitur eo, quod *proximus* nominatur: propter hoc enim ex caritate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, et secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriae . . . Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, *sicut teipsum*: quia non est intelligendum quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter sibi... (a. 8.) Et quia ordo caritatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile, ut ex supra dictis patet q. 25, et 26; manifestum est, quod ordo caritatis debet cadere sub praecepto.

(Q. 45.) DE DONO SAPIENTIAE.

Deinde considerandum est de dono sapientiae, quod respondet caritati: et primo de ipsa sapientia; secundo de vitio opposito.

(a. 1.) Sapientia debet inter dona Spiritus S. computari. Isa. 11, 2, dicitur: *requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus.* Ad sapientem *enim* pertinet considerare causam altissimam per quam certissime de aliis judicatur, et secundum quam omnia ordinari oportet. Causa autem altissima dupliciter accipi potest, vel simpliciter, vel in aliquo genere. Ille ergo qui cognoscit causam altissimam in aliquo genere, et per eam potest de omnibus quae sunt illius generis judicare, et ordinare, dicitur esse sapiens in illo genere, ut in me-

dicina, vel architectura, secundum illud I. Cor. 3, 10. *Ut sapiens architectus fundamentum posuit.* Ille autem qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quae est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum per regulas divinas omnia potest judicare, et ordinare. Hujusmodi autem judicium consequitur homo per Spiritum S., secundum illud I. ad Cor. 2, 15. *Spiritualis judicat omnia:* quia sicut ibidem dicitur *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Unde manifestum est quod sapientia est donum Spiritus S.

(a. 2.) Est autem in intellectu, sicut in subjecto . . . (a. 3.) *Et* secundum quod est donum, non solum est speculativa, sed etiam practica.

(a. 4.) Nequit *vero* esse sine gratia, et cum peccato mortali; *nam* sapientia quae est donum Spiritus S., sicut dictum est, facit rectitudinem judicii circa res divinas, vel per regulas divinas de aliis, ex quadam connaturalitate sive unione ad divina; quae quidem est per caritatem; et ideo sapientia de qua loquimur praesupponit caritatem.

(a. 5.) *Est ideo* in omnibus habentibus gratiam, *unde* Sapientiae 7, 28, dicitur, *quod neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat.*

(a. 6.) Septima beatitudo *beati pacifici* respondet dono sapientiae, *ut* Aug. dicit in lib. I. de Serm. Dom. in mon. c. 4. *Quod sapientia convenit pacificis, in quibus nullus motus est rebellis, sed obtemperans rationi.*

(Q. 46.) DE STULTITIA.

(a. 1.) Stultitia opponitur sapientiae sicut contrarium; fatuitas autem sicut pura negatio: nam fatuus caret sensu judicandi: stultus autem habet sensum, sed hebetatum; sapiens autem subtilem et perspicacem.

(a. 2.) Stultitia est peccatum, non quae est ex indispositione naturali, sicut patet in amentibus; sed in quantum immergit homo sensum suum rebus terrenis; ex quo redditur ejus sensus ineptus ad percipiendum divina, secundum illud I. ad Cor. 2, 14. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.*

(a. 3.) Et quia maxime sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam, quae est circa maximas delectationes, quibus anima maxime absorbetur; ideo stultitia, quae est peccatum, maxime nascitur ex luxuria.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

(Q. 47.) DE PRUDENTIA SECUNDUM SE.

Vide Append. C. IV.

Consequenter post virtutes Theologicas considerandum est circa virtutes Cardinales: et primò de prudentia secundum se; secundo de partibus ejus; tertio de dono ei correspondente; quarto de vitiis oppositis; quinto de praeceptis ad hoc pertinentibus.

(a. 1.) Aug. dicit q. 61. *Prudentia est cognitio rerum appetendarum, et fugiendarum,* . . . unde manifestum est quod prudentia directe pertinet ad vim cognoscitivam... (a. 2.) Et consistit in ratione practica . . . Ratio *enim* eorum, quae sunt agenda propter finem, est ratio practica . . . (a. 4.) *Et quia* ad prudentiam pertinet applicatio rectae rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto; ideo prudentia non solum habet rationem virtutis, quam habent aliae virtutes intellectuales; sed etiam habet rationem virtutis, quam habent aliae virtutes morales, quibus etiam connumeratur.

(a. 6.) Ad prudentiam *vero* non pertinet praestituere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his, quae sunt ad finem . . . (a. 7.) Et invenire medium in virtutibus moralibus.

(a. 9.) Solicitudo proprie ad prudentiam pertinet: et propter hoc Aug. dicit lib. de Mor. Eccl. c. 24. *Quod prudentiae sunt excubiae, atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur.*

(a. 11.) Est prudentia simpliciter dicta, quae ordinatur ad bonum proprium; alia autem oecono-

mica, quae ordinatur ad bonum commune domus, vel familiae; et tertia politica, quae ordinatur ad bonum commune civitatis, vel regni.

(a. 13.) Prudentia vera et perfecta, quae ad bonum finem totius vitae recte conciliatur, judicat et praecipit, *quaeque* sola dicitur prudentia simpliciter, in peccatoribus esse non potest.

(a. 14.) Est *autem* in omnibus habentibus gratiam ... Quicumque *enim* habet gratiam, habet caritatem: unde necesse est quod habeat omnes alias virtutes: et ita cum prudentia sit virtus, necesse est, quod habeat prudentiam ... *Imo* dicit Greg. in II. Mor. c. 24 quod *caeterae virtutes, nisi ea quae appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt*... *Quod si* multi qui habent gratiam, necesse habent regi consilio alieno, *praesertim juvenes*, . . . dicendum quod illi qui indigent regi consilio alieno, saltem in hoc sibi ipsis consulere sciunt, si gratiam habent, ut aliorum requirant consilia, et discernant consilia bona a malis.

Quoad juvenes dicendum, quod prudentia acquisita causatur exercitio actuum: unde indiget ad sui generationem experimento, et tempore; unde non potest esse in juvenibus, nec secundum actum. Sed prudentia gratuita causatur ex infusione divina: unde in pueris baptizatis nondum habentibus usum rationis est prudentia secundum habitum, sed non secundum actum; sicut et in amentibus: in his autem qui jam habent usum rationis, est etiam secundum actum, quantum ad ea, quae sunt de necessitatibus salutis; sed per exercitium meretur augmentum, quousque perficiatur, sicut et caeterae virtutes. Unde et Apostolus dicit ad Hebr. 5, 14 quod *perfectorum est solidus cibus eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, et mali.*

(Q. 48, 49, 50, 51.) DE PARTIBUS PRUDENTIAE.

Partes quasi intregrales sunt octo: memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, cautio... Partes subjectivae prudentiae sunt quatuor: regnativa, *nempe quae* ordinatur ad justitiam conservandam, politica, oeconomica, militaris.

Virtutes *autem* adjunctae prudentiae sunt *eubulia*, sive reetitudo consilii; *synesis*, quae importat judicium rectum, non quidem circa speculabilia. sed circa particularia operabilia, circa quae est etiam prudentia; unde secundum synesim dicuntur aliqui sensati, idest homines boni sensus; ultimo *gnome*, quae importat quamdam perspicacitatem judicii.

(Q. 52.) DE DONO CONSILII.

Postea considerandum est de dono consilii, quod respondet prudentiae.

(a. 1.) Consilium debet poni inter dona Spiritus S.... *unde* Isa. 11, 12 dicitur: *requiescet super eum spiritus consilii, et fortitudinis*, . . . quo filii Dei aguntur a Spiritu S. secundum modum eorum, salvato scilicet libero arbitrio, quod est facultas voluntatis, et rationis: et sic in quantum ratio a Spiritu S. movetur, vel instruitur de agendis, competit filiis Dei donum consilii.

(a. 2.) *Et ideo* donum consilii respondet prudentiae sicut ipsam adjuvans et perficiens.

(a. 3.) *Manet autem* donum consilii *etiam* in beatis, in quantum in eis a Deo continuatur cognitio eorum, quae sciunt, et in quantum illuminantur de his, quae nesciunt circa agenda.

(a. 4.) Quinta beatitudo quae est de misericordia correspondet dono consilii, *unde* Aug. dicit lib. 1 de Serm. Dom. in Mon. c. 4. *Consilium convenit misericordibus: quia unicum remedium est de tantis malis erui, dimittere aliis et dare...* Et specialiter dono consilii respondet beatitudo misericordiae, non sicut elicienti, sed sicut dirigenti.

(Q. 53.) DE VITIIS PRUDENTIAE OPPOSITIS SECUNDUM CONTRARIETATEM, ET PRIMO DE IMPRUDENTIA.

(a. 1.) Imprudentia si contingat per aversionem a regulis divinis est peccatum mortale; puta cum quis quasi contemnens et repudians divina documenta, praecipitanter agit. *Si* vero praeter eas aga absque contemptu, et absque detrimento eorum, quae sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale.

(a. 2.) Sicut prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum; ita et imprudentia in omnibus vitiis, et peccatis: nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis; quod pertinet ad imprudentiam.

(a. 3.) Praecipitatio est peccatum sub imprudentia contentum... (a. 4, 5.) *Sicut et* inconsideratio, et inconstantia . . . (a. 6.) Praedicta autem vitia oriuntur ex luxuria . . . *Nam* perfectio prudentiae et cujuslibet intellectualis virtutis consistit in abstractione a sensibilibus. Unde cum praedicta vitia pertineant ad defectum prudentiae, et rationis practicae, sequitur quod ex luxuria maxime oriantur.

(Q. 54.) DE NEGLIGENTIA.

(a. 1.) Negligentia *pariter, quae* importat defectum debitae solicitudinis, . . . (a. 2.) opponitur prudentiae... (a. 3.) Et potest esse peccatum mortale, *nempe* si praetermittitur per negligentiam, quod sit de necessitate salutis,... *vel* voluntas in tantum sit remissa circa ea, quae sunt Dei, ut totaliter a Dei caritate deficiat.

(Q. 55.) DE VITIIS OPPOSITIS PRUDENTIAE SECUNDUM SIMILITUDINEM.

Sunt autem alia vitia opposita prudentiae, quae habent similitudinem cum ipsa; (a. 1.) *ut* prudentia carnis secundum quod aliquis bona carnis habet, ut ultimum finem suae vitae; *vel* etiam *prudentia mundi,* secundum illud Luc. *filii hujus saeculi prudentiores sunt in generatione sua etc.* . . . (a. 3.) Astutia, *qua* aliquis ad finem aliquem consequendum vel bonum vel malum, utitur non veris viis, sed simulatis, et apparentibus ... (a. 4.) Dolus *qui* importat quamdam executionem astutiae, (a. 5.) sicut et fraus,... (a. 6.) et nimia solicitudo temporalium rerum, *dum* scilicet temporalia tamquam finem quaerimus, *vel* superfluum studium apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo a spiritualibus, quibus principalius inservire debet, retrahitur, *vel dum* aliquis timet ne, faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant: quod Dominus excludit, qui etiam animalibus et plantis subvenit absque opere humano secundum proportionem suae naturae, . . . et ideo principaliter nostra solicitudo esse debet de spiritualibus bonis, sperantes quod etiam temporalia nobis proveniant ad necessitatem, si fecerimus, quod

debemus . . . (a. 8.) Et haec omnia vitia maxime ex avaritia oriuntur.

(Q. 56.) DE PRAECEPTIS PERTINENTIBUS AD PRUDENTIAM.

(a. 1.) Inter praecepta Decalogi nullum praeceptum ponitur ad prudentiam pertinens directe; ad quam tamen omnia praecepta decalogi pertinent, secundum quod ipsa est directiva omnium virtuosorum actuum . . . *et quia* doctrina evangelica est doctrina perfectionis: ideo oportuit quod in ipsa perfecte instrueretur homo de omnibus, quae pertinent ad rectitudinem vitae, sive sint fines, sive sint ea, quae sunt ad finem. Et propter hoc oportuit in doctrina evangelica etiam de prudentia praecepta dari . . . (a. 2.) In veteri *autem* lege fuerunt praecepta prohibitiva proposita de vitiis oppositis prudentiae, *de his nempe* quae cum ipsa similitudinem habent, sicut astutia et quae ad ipsam pertinent . . . in quantum ad injustitiam pertinent.

(Q. 57.) DE JURE.

Vide Append. C. III, §. 1.

Consequenter post prudentiam considerandum est de justitia: circa quam quadruplex consideratio occurrit. Prima est de justitia. Secunda de partibus ejus. Tertia de dono ad hoc pertinente. Quarta de praeceptis ad justitiam pertinentibus.

Circa justitiam vero consideranda sunt quatuor. Primo quidem de jure. Secundo de ipsa justitia. Tertio de injustitia. Quarto de judicio.

(a. 1.) Dicit Celsus jurisconsultus, quod *jus est ars boni et aequi*... Specialiter *autem* justitiae prae aliis virtutibus determinatur secundum se objectum, quod vocatur *justum:* et hoc quidem est jus.

(a. 2.) Hoc dividitur in jus naturale, et in jus positivum . . . (a. 3.) A jure autem naturali recedit jus gentium, ut jurisconsultus dicit, quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus inter se commune est . . . Et ideo dicit Cajus jurisconsultus, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque jus gentium* . . . (a. 4.) Distinguitur jus paternum et dominativum, *et* secundum diversa officia: unde dicitur jus militare, vel jus magistratuum, aut sacerdotum.

(Q. 58.) DE JUSTITIA.

(a. 1.) Justitia est *perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuens*... (a. 2.) *Et* est solum circa ea, quae sunt ad alterum... (a. 3.) Est una ex quatuor virtutibus . . . (a. 4.) Est in voluntate sicut in subjecto, nam justi in hoc dicimur, quod aliquid recte agimus.

(a. 5.) *Et quia* actus omnium virtutum possunt ad justitiam pertinere, secundum quod ordinat hominem ad bonum commune; quantum ad hoc justitia dicitur virtus generalis.

(a. 10.) *Quia* medium justitiae consistit in quadam proportionis aequalitate rei exterioris ad personam exteriorem; aequale autem est realiter medium inter majus et minus; *ideo* justitia habet medium rei.

(a. 12.) Justitia praeeminet inter omnes virtutes morales, ut Tullius dicit in 1 Offic. *In justitia virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur.*

(Q. 59.) DE INJUSTITIA.

(a. 1. 2.) Injustitia justitiae opponitur . . . *Non autem* quicumque facit aliquid injustum, dicitur injustus . . . Sed hoc proprium est habentis habitum injustitiae.

(a. 3.) Injustum per se et formaliter loquendo, nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens; per accidens autem et quasi materialiter loquendo, potest aliquis id quod est de se injustum vel facere nolens, sicut cum quis praeter intentionem operatur; vel pati volens, sicut cum aliquis plus alteri dat sua voluntate quam debeat.

(a. 4.) Cum injustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est quod facere injustum, ex genere suo est peccatum mortale . . . Ille *autem* qui in parvis facit injustitiam, deficit a perfecta ratione ejus quod est injustum facere, in quantum potest reputari non esse omnino contra voluntatem ejus, qui hoc patitur; puta si auferat aliquis alicui unum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile est quod ille inde non laedatur, nec ei displiceat.

(Q. 60.) DE JUDICIO.

(a. 1.) Judicium proprie nominat actum judicis, in quantum judex est; judex autem dicitur quasi *jus dicens;* jus autem est objectum justitiae, et ideo judicium importat, secundum primam nominis impositionem, definitionem vel determinationem justi, sive juris.

(a. 2.) Ad hoc quod judicium sit actus justitiae tria requiruntur: primo quidem ut procedat ex inclinatione justitiae; secundo quod procedat ex

auctoritate praesidentis; tertio quod proferatur secundum rectam rationem prudentiae . . . (a. 3.) Judicium ex suspicione procedens est illicitum . . . (a. 4.) Dubia sunt in meliorem partem interpretanda . . . (a. 5.) *Et* est semper secundum leges scriptas judicandum.

(Q. 61.) DE PARTIBUS JUSTITIAE.

Deinde considerandum est de partibus justitiae; et primo de partibus subjectivis, quae sunt species justitiae, scilicet distributiva, et commutativa; secundo de partibus quasi integralibus; tertio de partibus quasi potentialibus, scilicet de virtutibus adjunctis. Circa primum occurrit duplex consideratio. Prima de ipsis justitiae partibus. Secunda de vitiis oppositis. Et quia restitutio videtur esse actus commutativae justitiae, primo considerandum est de distinctione justitiae commutativae et distributivae; secundo de restitutione.

(a. 1.) Commutativa justitia consistit in his quae mutuo fiunt inter duas personas invicem . . . Distributiva *autem dicitur*, quae est distributiva communium secundum proportionalitatem.

(Q. 62.) DE RESTITUTIONE.

(a. 1.) Restitutio est actus commutativae justitiae, quando scilicet res unius ab alio habetur vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo vel deposito; vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina vel furtu.

(a. 2.) Aug. dicit in Ep. ad Macedonium: *si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, et non redditur, poenitentia non agitur, sed simulatur.*

Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si, ut dixi, restitui potest... In quibus *autem* non potest recompensari aequivalens, sufficit quod ibi recompensetur quod possibile est; sicut patet de honoribus qui sunt ad Deum, et ad parentes. Et ideo quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personae secundum arbitrium boni viri.

Circa autem restitutionem famae dicendum, quod aliquis potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo et juste; puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato: et tunc non tenetur ad restitutionem famae. Alio modo falsum dicendo et injuste: et tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo sed injuste; puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: et tunc tenetur ad restitutionem famae quantum potest, sine mendacio tamen; utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit: vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut et in aliis dictum est *supra.*

Etiam ille qui impedit aliquem ab aliquo bono consequendo, videtur ei auferre . . . . *Ideo si quis* injuste, propter odium vel vindictam aut aliquid hujusmodi, impedit ne praebenda detur digno, consulens quod non detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, et negotii secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad aequale, quia illam nondum fuerat adeptus, et poterat multipliciter impediri. Si vero jam firmatum sit, quod alicui detur praebenda, et

aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est ac si jam habitam ei auferret: et ideo tenetur ad restitutionem aequalis, tamen secundum suam facultatem.

(a. 3.) *Licet* sufficiat, quod *quis* restituat tantum, quantum habuerit de alieno, *tamen* quantum ad culpam adhibetur remedium per poenam, cujus inflictio pertinet ad judicem; et ideo antequam sit condemnatus per judicem non tenetur restituere plus quam accepit; sed postquam condemnatus est, tenetur poenam solvere.

(a. 4.) *Quoniam ut diximus supra* si quis damnificet aliquem, impediendo ne adipiscatur, quod erat in via habendi, tale damnum non oportet recompensare ex aequo, quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu . . . . . *Ideo* cum aliquis effodit semina, et damnificat eum, qui seminavit *in* tota messe futura, non tenetur ad ejus restitutionem; *sicut nec* ille qui detinet pecuniam creditoris ultra terminum praefixum, et videtur eum damnificare in toto eo quod lucrari de pecunia possit . . . Nam ille qui semen sparsit in agro, nondum habet messem in actu, sed solum in virtute; et similiter ille qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu, sed solum in virtute: et utrumque potest multipliciter impediri.

(a. 5.) Oportet semper restitutionem facere ei, a quo acceptum est aliquid . . . *Sed* quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui, sed vel reservari, ut congruo tempore restituatur, vel etiam alii tradi tutius conservanda . . . Qui simoniace aliquid dedit, meretur amittere, quod dedit: unde non debet ei restitutio fieri de his; et quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus

convertere... *Quod* si ille cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius (sive sit mortuus, sive sit vivus), praemissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille cui est restitutio facienda, debet restitui haeredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans, debet sibi transmitti, quod ei debetur; et praecipue si sit res magni valoris, et possit commode transmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, et domino significari.

(a. 6.) Tenetur *vero* semper restituere ille qui accepit . . . Et ideo quamvis ille qui abstulit non habeat id quod accepit, sed in alium sit translatum; quia tamen alter privatur re sua, tenetur ei ad restitutionem, et ille qui rem abstulit, ratione injuriosae actionis, et ille qui rem habet, ratione ipsius rei . . . *Sed* quia restitutio principaliter ordinatur ad removendum damnum ejus a quo est aliquid injuste ablatum; ideo postquam ei restitutio sufficiens facta est per unum, alii non tenentur ei ulterius restituere, sed magis refusionem facere ei qui restituit; qui tamen potest condonare . . . *Et* homo etsi non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen crimen suum detegere Deo in confessione: et ita per sacerdotem, cui confitetur, potest restitutionem facere rei alienae.

(a. 7.) *Quoniam* sicut dictum est ad restitutionem tenetur aliquis non solum ratione rei alienae quam accepit, sed etiam ratione injuriosae acceptionis; ideo quicumque est causa injustae acceptionis, tenetur ad restitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directe scilicet et indirecte; directe quidem quando inducit aliquis alium ad accipiendum...

Indirecte vero quando aliquis non impedit cum possit, et debeat impedire . . . *Omnes casus* his versibus comprehenduntur: *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Sciendum tamen quod quinque praemissorum semper obligant ad restitutionem. Primo jussio, quia scilicet ille qui jubet, est principaliter movens: unde ipse principaliter tenetur ad restituendum. Secundo consensus, in eo scilicet sine quo rapina fieri non potest. Tertio recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum et eis patrocinium praestat. Quarto participatio, quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinii, et in praeda. Quinto tenetur ille qui non obstat, cum obstare tenetur; sicut principes, qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur: quia reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra.

In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper *consilium*, vel *adulatio*, vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinae. Unde tunc solum tenetur *consiliator*, aut *palpo*, idest adulator, ad restitutionem, quando probabiliter aestimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.

(a. 8.) In restitutionibus faciendis non potest fieri dilatio, sed statim restituere oportet . . . vel petere dilationem ab eo, qui potest usum rei concedere . . . Sicut *enim* accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suae, et sic ei facit injuriam.

(Q. 63.) DE ACCEPTIONE PERSONARUM.

Deinde considerandum est de vitiis oppositis praedictis justitiae partibus: et primo de acceptione personarum, quae opponitur justitiae distributivae; secundo de peccatis quae opponuntur justitiae commutativae.

(a. 1.) Personarum acceptio opponitur justitiae distributivae in hoc quod praeter proportionem agitur. Nihil autem opponitur virtuti nisi peccatum. Unde consequens est quod personarum acceptio sit peccatum.

Notandum vero quod duplex est datio. Una quidem pertinens ad justitiam, qua scilicet aliquis dat alicui quod ei debetur: et circa tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui quod ei non debetur: et talis est collatio munerum gratiae, per quam peccatores assumuntur a Deo: et in hac donatione non habet locum personarum acceptio: quia quilibet absque injustitia potest de suo dare quantum vult, et cui vult, secundum illud Mat. 20. *An non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum est, et vade.*

(a. 2.) Cum spiritualia sint temporalibus potiora; gravius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quam in dispensatione temporalium. Et quia personarum acceptio est, cum aliquid personae attribuitur praeter proportionem dignitatis ipsius, considerare oportet quod dignitas alicujus personae potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter, et secundum se; et sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiae donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune: contingit enim quandoque, quod ille qui

est minus sanctus, et minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam saecularem, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud I. Cor. 12. 7. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem;* ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus praeferuntur; sicut etiam et Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.

(a. 3.) Acceptio personarum *etiam* in exhibitione honoris est peccatum.... (a. 4.) *Sicut et* in judiciis.

(Q. 64.) DE VITIIS OPPOSITIS COMMUTATIVAE JUSTITIAE, ET PRIMO DE HOMICIDIO.

Postea considerandum est de vitiis oppositis commutativae justitiae: et primo considerandum est de peccatis quae committuntur circa involuntarias commutationes. Secundo de peccatis quae committuntur circa commutationes voluntarias. Committuntur autem peccata circa involuntarias commutationes per hoc quod aliquod nocumentum proximo infertur contra ejus voluntatem: quod quidem potest fieri dupliciter, scilicet facto, et verbo. Facto quidem, cum proximus laeditur vel in persona propria, vel in persona conjuncta, vel in propriis rebus. De his ergo per ordinem considerandum est: et primo de homicidio, per quod maxime nocetur proximo.

(a. 1.) Occidere quaecumque viventia non est illicitum, *unde* Aug. dicit in 1 de Civ. Dei c. 20: *Cum audimus, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de fructetis, quia nullus ei est sensus; nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis*

ratione sociantur. Restat ergo ut intelligamus de homine, quod dictum est: Non occides.

(a. 2.) *Quoniam vero* quaelibet persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum; ideo si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter, et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, ut dicitur I. Cor. 5. 6.

(a. 3.) *Quia vero* cura communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem; ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis.

(a. 4.) *Neque* competit, ut Clerici sint percussores, aut occisores.

(a. 5.) *Nec* licet alicui occidere seipsum, quod est contra inclinationem naturalem et contra caritatem, qua quilibet debet seipsum diligere.

(a. 6.) *Nec* licet in aliquo casu interficere innocentem. Ex. 23, 7. *Insontem et justum non occides . . . Idcirco* judex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Minister autem judicis condemnantis innocentem, si sententia intollerabilem errorem contineat, non debet obedire: alias excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt: si vero non contineat manifestam injustitiam, non peccat praeceptum exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiam; nec ipse occidit innocentem, sed judex, cui ministerium exhibet.

(a. 7.) *Si* aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio: nam secundum jura vim vi repellere licet cum moderatione inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae . . . . Qui *autem* intendit hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum; ut patet in milite pugnante contra hostes, et in ministro judicis pugnante contra latrones; quamvis etiam et isti peccent, si privata libidine moveantur . . . . *Quia vero* irregularitas consequitur actum homicidii, etiam si sit absque peccato, ut patet in judice qui juste aliquem condemnat ad mortem: propter hoc clericus, etiamsi se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed seipsum defendere.

(a. 8.) Secundum jura, si aliquis det operam rei licitae, debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit in homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitae, vel etiam det operam rei licitae, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opera mors hominis consequatur . . . . *Et sic* ille qui percutit mulierem praegnantem, dat operam rei illicitae; et ideo si sequatur mors mulieris, vel puerperii animati, non effugiet homicidii crimen: praecipue cum ex tali percussione in promptu sit, quod mors sequatur.

(Q. 65.) DE MUTILATIONE MEMBRORUM.

Deinde considerandum est de peccatis aliarum injuriarum, quae in personam committuntur.

(a. 1.) Sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vita propter aliquas majores culpas; ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores, Hoc autem non est licitum alicui privatae personae, etiam volente illo cujus est membrum: quia per hoc fit injuria communitati, cujus est ipse homo, et omnes partes ejus.

(a. 2.) Quia filius subditur potestati patris, et servus potestati domini, licite potest verberare pater filium, et dominus servum causa correctionis, et disciplinae.

(a. 3.) Incarcerare *autem* aliquem, vel qualitercumque detinere est illicitum, nisi fiat secundum ordinem justitiae, aut in poenam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi.

(a. 4.) Cum autem infertur injuria in aliquam personam conjunctam alteri qualitercumque, illa injuria pertinet ad duas personas: et ideo caeteris paribus, ex hoc ipso aggravatur peccatum. Potest tamen contingere, quod secundum aliquas circumstantias sit gravius peccatum, quod fit contra personam nulli conjunctam vel propter dignitatem personae, vel propter magnitudinem nocumenti.

(Q. 66.) DE PECCATIS JUSTITIAE OPPOSITIS, ET PRIMO DE FURTO ET RAPINA.

Deinde considerandum est de peccatis justitiae oppositis, per quae infertur nocumentum proximo in rebus; scilicet furto, et rapina.

(a. 1.) Deus habet principale dominium omnium rerum; et ipse secundum suam providentiam ordinavit quasdam res ad corporalem hominis sustentationem: et propter hoc homo habet naturale rerum dominium, quantum ad potestatem utendi ipsis.

(a. 2.) Communitas *autem* rerum attribuitur juri naturali: non quia jus naturale dictet omnia esse possidenda communiter, et nihil esse quasi proprium pissidendum; sed quia secundum jus naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum condictum, quod pertinet ad jus positivum. Unde proprietas possessionum non est contra jus naturale, sed juri naturali superadditur per adinventionem rationis humanae.

(a. 3.) De ratione furti est occulte accipere rem alienam . . . (a. 5.) Furtum semper est peccatum, *sicut* dicitur Exod. 20, 15. *Non furtum facies* . . . *Et sane* si aliquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inveniet. Primo quidem propter contrarietatem ad justitiam, quae reddit unicuique, quod suum est . . . Secundo ratione doli, seu fraudis, quam fur committit, occulte et quasi ex insidiis rem alienam usurpando.

Notandum vero quod accipere rem alienam vel occulte, vel manifeste, auctoritate judicis hoc decernentis, non est furtum: quia jam fit sibi debitum per hoc, quod sententialiter sibi est adjudicatum. Unde multo minus furtum fuit, quod filii Israel tulerunt spolia Aegyptiorum ex praecepto Domini hoc decernentis pro afflictionibus, quibus AEgyptii eos sine causa afflixerant: et ideo signanter dicitur Sap. 10, 20. *Justi tulerunt spolia impiorum.*

Pariter notandum, quod circa res inventas est distinguendum. Quaedam enim sunt, quae nunquam fuerunt in bonis alicujus; sicut lapilli, et gemmae, quae inveniuntur in litore maris: et talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor: nisi quod secundum leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, si in alieno agro invenerit. Propter quod in parabola

Evangelii dicitur Mat. 13 de inventore thesauri absconditi in agro, quod emit agrum, quasi ut haberet jus possidendi totum thesaurum. Quaedam vero res inventae fuerunt de propinquo in alicujus bonis: et tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et similiter si pro derelictis habeantur, et hoc credat inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum. Alias autem committitur peccatum furti. Unde Aug. dicit Serm. 19 de Ver. Apos. c. 8. *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti.*

Qui furtim accipit rem suam apud alium depositam, gravat depositarium, qui tenetur ad restituendam eam, vel ad ostendendum se esse innoxium: unde manifestum est, quod peccat, et tenetur ad relevandum gravamen depositarii. Qui vero furtim accipit rem suam apud alium injuste detentam, peccat quidem: non quia gravet eum, qui detinet, et ideo non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum; sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suae rei judicium, juris ordine praetermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere, et dare operam ut scandalum proximorum, si inde ortus fuerit, sedetur.

(a. 6.) Si quis furtive res minimas accipiat, potest excusari a peccato mortali; si tamen habeat animum furandi, et inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale; sicut et in solo cogitatu per consensum . . . pro furto non infligitur secundum praesens judicium poena mortis, nisi ubi furtum aggravatur per aliquam gravem circumstantiam, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacrae, et de peculatu, quod est furtum rei communis, ut patet per Augustinum super Joan. tract. 50; et de plagio quod est fur-

tum hominis, pro quo quis morte punitur, ut patet Exod. 21.

(a. 7.) Si adeo sit evidens, et urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (puta cum imminet personae periculum, et aliter subveniri non potest) tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suae necessitati subvenire; sive manifeste, sive occulte sublatis: nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinae.

(a. 8.) Rapina *autem* quamdam violentiam, et coactionem importat, per quam contra justitiam alicui aufertur quod suum est... (a. 9.) estque gravius peccatum quam furtum.

(Q. 67.) DE VITIIS OPPOSITIS COMMUTATIVAE JUSTITIAE, ET PRIMO DE INJUSTITIA JUDICIS.

Deinde considerandum est de vitiis oppositis commutativae justitiae, quae consistunt in verbis, quibus laeditur proximus: et primo de his quae pertinent ad judicium; secundo de nocumentis verborum, quae fiunt extra judicium.

(a. 1.) Manifestum est quod nullus potest judicare aliquem, nisi sit aliquo modo subjectus ejus, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam.

(a. 2.) Legitima documenta debet sequi *judex* in judicando magis quam id quod ipse novit tamquam privata persona. Ex quo tamen ad hoc adjuvari potest ut distinctius discutiat probationes inductas, ut possit earum defectum investigare. Quod si eas non posset de jure repellere, debet, sicut dictum est, eas in judicando sequi.

(a. 3.) Oportet quod judex inter aliquos duos dijudicet: quod quidem fit, cum unus est actor, et alius est reus. Et ideo in criminibus non potest aliquem judicio condemnare judex, nisi habeat accusatorem.

(a. 4.) *Solus* Princeps, qui habet plenariam potestatem in republica, si ille qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite absolvere, si hoc publicae auctoritati viderit non esse nocivum.

(Q. 58.) DE PERTINENTIBUS AD INJUSTAM ACCUSATIONEM.

Postea considerandum est de his, quae pertinent ad injustam accusationem.

(a. 1.) Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum reipublicae, tenetur homo ad accusationem; dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris: puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporatem, seu spiritualem . . . *etiamsi secreto cognoverit* nam contra bonum commune nullum secretum licet recipere. Rationabiliter *autem* institutum est, ut accusatio, sicut et alia quae in judicio aguntur, redigantur in scriptis.

(a. 3.) Accusatio redditur injusta propter calumniam, praevaricationem, et tergiversationem; calumniari *vero* est falsa crimina intendere... praevaricari est vera crimina abscondere . . . tergiversari est in universum ab accusatione desistere.

(a. 4.) Ille qui male accusat, peccat et contra personam accusati, et contra rempublicam: unde propter utrumque punitur. Et hoc est quod dicitur Deuter. 19. *Cumque diligentissime perscrutantes invenerint, falsum testem dixisse contra fratrem suum*

mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit: Et postea, quantum ad injuriam reipublicae, subditur: *Et auferes malum de medio tui, ut audientes caeteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere.* Specialiter tamen personae accusati facit injuriam, si de falso accuset. Et ideo accusatus, si innocens fuerit, potest ei injuriam suam remittere; maxime si non calumniose accusaverit, sed ex animi levitate. Si vero ab accusatione nocentis desistat propter aliquam collusionem cum adversario, facit injuriam reipublicae. Et hoc non potest ei remitti ab eo, qui accusatur, sed potest ei remitti per Principem qui curam Reipublicae gerit.

(Q. 69.) DE PECCATIS, QUAE SUNT CONTRA JUSTITIAM EX PARTE REI.

(a. 1.) Ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum forum juris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si vero judex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere: sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere. Mendacium tamen dicere non licet . . . (a. 2.) *Sicut nec* licet calumniose se defendere, *nempe* aliquem dolum vel fraudem adhibere.

(a. 3.) Licitum est *autem* ei, qui contra justitiam gravatur, ad directionem superioris potestatis recurrere, appellando vel ante sententiam vel post.

(a. 4.) Non licet condemnato ad mortem se defendere si possit, *nisi injusta sit condemnatio* . . . Non tenetur tamen facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem;

tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati: sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat si cibum sibi occulte ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere.

(Q. 70.) DE INJUSTITIA PERTINENTE AD PERSONAM TESTIS.

(a. 1.) Non est dubium, quin teneatur *homo* testimonium ferre in his, in quibus secundum ordinem juris testimonium ab eo exigitur; puta in manifestis, et in his de quibus infamia processit. Si autem exigitur ab eo testimonium in aliis, puta in occultis, et de quibus infamia non processit, non tenetur ad testificandum, . . *nisi* ad liberandum hominem vel ab injusta morte, seu poena quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno; tunc *enim* tenetur homo ad testificandum. *Immo* si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere, quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse.

Notandum quod *sicut* operari, vel cooperari ad occisionem hominis non competit ministris altaris; ideo secundum juris ordinem compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis.

(a. 2.) Sufficit *autem* duorum vel trium testimonium . . . Sic dicitur Deut. 17, 6. *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur:* et infra 19, 15. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.*

Discordia autem testium in aliquibus principalibus circumstantiis, quae variant substantiam facti, puta in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam testi-

monii . . . Debet *autem* judex ex motu sui animi percipere, cui parti sit standum, vel ex numero testium, vel ex dignitate eorum, vel ex favorabilitate causae, vel ex conditione negotii, et dictorum.

Major autem testium numerus exigitur specialiter contra Episcopos, Presbyteros, Diaconos, et Clericos Ecclesiae Romanae propter ejus dignitatem... Quia ex condemnatione alicujus eorum derogaretur in opinione hominum dignitati illius Ecclesiae, et auctoritati: quod est periculosius quam in ea tolerare aliquem peccatorem, nisi valde publicum et manifestum de quo grave scandalum oriretur. Quidquid *vero* est quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit testimonium inefficax.

Redditur autem probabile quod aliquis in veritate testificanda non sit firmus: quandoque quidem propter culpam, sicut infideles et infames, item illi qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt: quandoque autem absque culpa; et hoc est vel ex defectu rationis, sicut patet in pueris, amentibus, et mulieribus; vel ex affectu, sicut patet de inimicis, et personis conjunctis et domesticis; vel etiam ex exteriori conditione, sicut sunt pauperes, servi, et illi quibus imperari potest, de quibus probabile est, quod de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem.

(a. 3.) Et sic patet quod testimonium alicujus repellitur, et propter culpam, et absque culpa . . . *Nam* repellere aliquem a testimonio magis pertinet ad cautelam falsi testimonii evitandi, quam ad poenam.

(a. 4.) Falsum testimonium habet triplicem deformitatem. Uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati: et ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione justitiae... Tertio modo ex ipsa falsitate.

(Q. 71.) DE INJUSTITIA, QUAE FIT IN JUDICIO EX PARTE ADVOCATORUM.

(a. 1.) Advocatus tenetur praestare patrocinium causae pauperum, *et cum* ad opus misericordiae pertineat, idem est hic dicendum, quod et supra de aliis operibus misericordiae dictum est q. 52.

(a. 2.) Monachos, et presbyteros non dicet in quacumque causa advocatos esse, nec clericos in judicio saeculari: quia hujusmodi personae sunt rebus divinis adstrictae.

Et quia non decet ut alterius justitiae patronus existat, qui in seipso justitiam contempsit, ideo infames, infideles, et damnati de gravibus criminibus non decenter sunt advocati. Tamen hujusmodi indecentiae necessitas praefertur. Et propter hoc hujusmodi personae possunt pro seipsis, vel pro personis sibi conjunctis uti officio advocati. Unde et clerici pro Ecclesiis suis possunt esse advocati, et monachi pro causa monasterii sui, si Abbas praeceperit.

(a. 3.) Si scienter advocatus injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, et ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest . . . Quod si advocatus in principio credidit causam justam esse, et postea in processu appareat eam esse injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suae causae alteri parti revelet. Potest tamen, et debet causam deserere, vel eum cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.

(a. 4.) Advocato *autem* defendenti causam justam licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus ejus; non autem licet ei aliqua falsitate uti . . . Advocato licet pro suo patrocinio pecuniam accipere, moderate tamen, considerata conditione personarum, et negotiorum, et laboris, et consuetudine patriae.

(Q. 72.) DE INIURIIS VERBORUM, QUAE INFERUNTUR EXTRA JUDICIUM, ET PRIMO DE CONTUMELIA.

Deinde considerandum est de injuriis verborum, quae inferuntur extra judicium: et primo de contumelia, secundo de detractione, tertio de susurratione, quarto de derisione, quinto de maledictione.

(a. 1.) Contumelia proprie loquendo in verbis consistit. (a. 2.) Cum *vero* peccatum convicii, vel contumeliae ex animo dicentis dependeat, potest contingere, quod sit peccatum veniale, si sit leve convicium, non multum hominem dehonestans, et proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira, absque firmo proposito aliquem dehonestandi; puta cum aliquis intendit aliquem per hujusmodi verbum leviter contristare . . . Contumelia *tamen* vel convicium ex genere suo est peccatum mortale . . . secundum illud Matth. 5. 20. *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennae ignis.*

(a. 3.) Tenemur *tamen* habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de caetero talia non attentet, secundum illud Prov. 26, 5 *Responde stulto juxta*

stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas . . . Audaciam *vero* convicianlis contumeliosi debet aliquis moderate reprimere, scilicet propter officium caritatis, et propter cupiditatem privati honoris.

(Q. 73.) DE DETRACTIONE.

(a. 1.) Detractio est denigratio alienae famae per verba . . . Differt *autem* a contumelia dupliciter: uno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifeste contra aliquem loquitur, detractor autem occulte; alio modo quantum ad finem intentum, sive quantum ad nocumentum illatum, quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor famae.

(a. 2.) Detractio per se loquendo est peccatum mortale. Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit aliqua verba, per quae diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se, et formaliter loquendo; sed solum materialiter, et quasi per accidens. Et si quidem verba per quae fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale: nisi forte verbum quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus laedat, et praecipue in his quae pertinent ad honestatem vitae: quia ex hoc ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famae sicut ad restitutionem cujuslibet rei subtractae, eo modo

quo supra dictum est q. 62, cum de restitutione ageretur.

(a. 4.) Audiens, qui tolerat detrahentem, graviter peccat . . . Quod quidem contingit dupliciter: uno modo directe, quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum; alio modo indirecte, scilicet quando non resistit, cum resistere possit: et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placet, sed propter aliquem humanum timorem.

(Q. 74.) DE SUSURRATIONE.

(a 1.) Susurro talia mala profert de proximo, quae possunt contra ipsum commovere animum audientis, secundum illud Eccli. 28, 2. *Vir peccator conturbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam* . . . (a. 2.) Et ideo susurratio est majus peccatum quam detractio, et etiam quam contumelia: quia amicus est melior quam honor, et amari quam honorari.

(Q. 75) DE DERISIONE.

(a. 1.) Derisio seu irrisio fit ore, idest verbo et cachinnis; subsannatio autem naso rugato ... Utrumque tamen differt a contumelia, sicut erubescentia a dehonoratione: est enim erubescentia timor dehonorationis.

(a. 2.) *Sicut autem* irrisio non fit nisi de aliquo malo vel defectu; malum autem, si sit magnum, non pro ludo accipitur, sed seriose: unde si in ludum vel risum vertatur, ex quo irrisionis vel illusionis nomen sumitur, hoc est, quia accipitur ut parvum.

Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo secundum se; alio modo ratione personae . . . Cum autem accipitur quasi parvum ratione personae, sicut defectus puerorum, et stultorum parum ponderare solemus, sic aliquem illudere vel irridere, est eum omnino parvipendere, et eum tam vilem aestimare, ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum . . . Et secundum hoc illusio est grave peccatum, et tanto gravius, quanto major reverentia debetur personae quae illuditur.

(Q. 76.) DE MALEDICTIONE.

(a. 1.) Si aliquis imperet, vel optet malum alterius in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere, erit illicitum: et hoc est maledicere, per se loquendo. Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum; nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens; quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum.

(a. 2.) Maledicere rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis secundum se consideratis est otiosum et vanum, et per consequens illicitum.

Quia creaturis irrationalibus bonum vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt, *ideo* Dominus homini dicit Gen. 3, 17. *Maledicta terra in opere tuo:* et Deut. 28, 5. *Benedicta horrea tua:* et infra 17. *Maledictum horreum tuum.* Sic etiam David maledixit montes Gelboe, *et* Job maledixit diei suo.

(a. 3.) Velle, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat caritati, qua diligi-

mus proximum, volentes bonum ipsius: et ita secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius, quanto personam cui maledicimus, magis amare, et revereri tenemur. Unde dicitur Levit. 20, 9. *Qui maledixerit patri suo, et matri, morte moriatur.*

Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri malidicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur, ut supra dictum est q. 72.

(a. 4.) Maledictio quae fit per modum imperii, cum habeat rationem causae, potest esse detractione gravior, si majus nocumentum inferat, quam sit denigratio famae; vel levior si minus.

(Q. 77.) DE FRAUDOLENTIA QUAE COMMITTITUR IN EMPTIONIBUS, ET VENDITIONIBUS.

Deinde considerandum est de peccatis quae sunt circa voluntarias commutationes; et primo de fraudolentia quae committitur in emptionibus, et venditionibus; secundo de usura, quae fit in mutuis. Circa alias enim commutationes voluntarias non invenitur aliqua species peccati, quae distinguatur a rapina, vel furto.

(a. 1.) Fraudem adhibere ad hoc quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius . . . Si autem fraus deficit, tunc de emptione et venditione dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum se: et secundum hoc . . . carius vendere,

vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum, et illicitum. Alio modo possumus loqui de emptione, et venditione, secundum quod per accidens cedit in utilitatem unius, et detrimentum alterius; puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, et alius laeditur si ea careat: et in tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quae venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licite poterit aliquid vendi, plus quam valeat secundum se; quamvis non vendatur, plus quam valeat habenti. Si vero aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere: quia utilitas quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum; licet possit ei vendere damnum, quod patitur. Ille tamen qui ex re alterius accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare; quod pertinet ad ejus honestatem.

Notandum vero quod justum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam aestimatione consistit, ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere aequalitatem justitiae.

(a. 2.) Redditur venditio illicita propter rei defectum . . . . Circa rem *vero* quae venditur triplex defectus considerari potest. Unus quidem secundum speciem rei: et hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re quam vendit, fraudem committit in venditione: unde venditio illicita redditur . . . Alius autem defectus est secundum quantitatem, quae per mensuram cognoscitur . . . Tertius defectus est ex parte qualitatis, si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum . . . Et in omnibus talibus non solum aliquis peccat injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si vero, eo igno-

rante, aliquis praedictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injustum materialiter, . . . tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori.

Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris. Contingit enim quandoque venditorem credere rem suam esse minus pretiosam quantum ad speciem; sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalci, emptor si id cognoscat, injuste emit, et ad restitutionem tenetur, Et eadem ratio est de defectu quantitatis, et qualitatis.

(a. 3.) Si *rei vendendae* vitia sint occulta, et venditor non detegat, erit illicita et dolosa venditio; et tenetur venditor ad damni recompensationem. Si vero vitium sit manifestum, puta cum equus est monoculus, vel cum usus rei, etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, et si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio; non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde potest licite venditor indemnitati suae consulere, vitium rei reticendo.

(a. 4.) Licet *autem* negociando aliquid carius vendere quam emere.

(Q. 78.) DE PECCATO USURAE QUOD FIT IN MUTUIS.

(a. 1.) Accipere usuram pro pecunia mutuata est secundum se injustum: quia venditur id quod non est; per quod manifeste inaequalitas constituitur, quae justitiae contrariatur . . . Et sicut alia injuste acquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam quam per usuram accepit.

Quod autem *Judaei* ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum; ne scilicet a Judaeis Deum colentibus usuras acciperent, propter avaritiam cui dediti erant, ut habetur Isa. 46.

(a. 2.) Et sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacumque alia re quae ipso usu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito vel expresso, peccat contra justitiam; ita etiam quicumque ex pacto tacito vel expresso quodcumque aliud acceperit, cujus pretium pecunia mensurari potest, simile peccatum incurrit. Si vero accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset licite poterat aliquid donum gratis accipere; nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit. Recompensationem vero eorum quae pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, et amorem ejus, qui mutuavit, vel aliquid hujusmodi.

(a. 3.) Quidquid de pecunia usuraria quis lucratus fuerit non semper reddere tenetur; *nempe* res quaedam sunt, quarum usus est ipsa earum rerum consumptio, quae non habent usum fructum secundum jura. Et ideo si talia fuerint per usuram extorta (puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujusmodi) non tenetur homo ad restituendum nisi id quod accepit: quia id quod de tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humanae industriae: nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis: tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti . . . Quaedam vero res sunt, quarum usus non est earum consumptio; et talia habent usumfructum; sicut domus, et ager, et alia hujusmodi.

Et ideo si quis domum alterius, vel agrum per usuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum, vel agrum, sed fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus; et ideo ei debentur.

(a. 4.) Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere, et usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suae necessitatis, vel alterius: sicut etiam licet ei qui incidit in latrones, manifestare bona, quae habet, quae latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur, exemplo decem virorum qui dixerunt ad Ismael: *Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro:* ut dicitur Jer. 41, 8... *Pariter* si aliquis usurario, alias habenti unde usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutius servetur, non peccat, sed utitur homine peccatore ab bonum.

(Q. 79.) DE PARTIBUS INTEGRALIBUS JUSTITIAE.

(a. 1.) Declinare a malo et facere bonum, sunt partes justitiae quasi integrales, quia utrumque eorum requiritur ad perfectum actum justitiae... (a. 2.) Transgressio et omissio est peccatum speciale . . . (a. 3.) Simpliciter autem, et absolute loquendo, transgressio est gravius peccatum quam omissio; licet aliqua omissio possit esse gravior aliqua transgressione.

(Q. 80.) DE PARTIBUS POTENTIALIBUS JUSTITIAE.

Deinde considerandum de partibus potentialibus justitiae, idest de virtutibus ei annexis: et circa

hoc duo sunt consideranda. Primo quidem quae virtutes justitiae annectantur. Secundo considerandum est de singulis virtutibus justitiae annexis.

(a. 1.) Quia justitia ad alterum est, omnes virtutes quae ad alterum sunt, possunt ratione convenientiae justitiae annecti . . . Tullius l. 2 de inv. enumerat sex virtutes justitiae annexas, scilicet *religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem.*

(Q. 81.) DE RELIGIONE.

Vide Append. C. IV. § 2.

Deinde considerandum est de singulis partibus praedictarum virtutum, quantum ad praesentem intentionem pertinet: et primo considerandum est de religione; secundo de pietate; tertio de observantia; quarto de gratia; quinto de vindicta; sexto de veritate; septimo *addemus* de amicitia; octavo de liberalitate; nono de epikeja.

Circa religionem vero tria consideranda occurrunt. Primo quidem de ipsa religione secundum se. Secundo de actibus ejus. Tertio de vitiis oppositis.

(a. 1.) Tullius dicit II. Rhet. quod *Religio est virtus, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, caeremoniam, cultumque affert, et* sicut Isidorus dicit in lib. X. Etymol. *Religiosus a relectione appellatus est, qui retractat, et tamquam relegit ea, quae ad cultum divinum pertinent.* Quamvis etiam potest intelligi ex hoc dicta, quod *Deum reeligere debemus quem amiseramus negligentes,* sicut Aug. dicit X. de Civ. Dei c. 4. Vel potest intelligi religio a religando dicta: unde Aug. dicit in lib. de vera Rel. *Religet nos religio uni omnipotenti*

Deo . . . (a. 2.) Religio est virtus . . . (a. 5.) Non *autem* virtus theologica, cujus objectum est ultimus finis; sed est virtus moralis, cujus est esse circa ea, quae sunt ad finem.

(a. 6.) Religio autem magis de propinquo accedit ad Deum, quam aliae virtutes morales, in quantum operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum. Et ideo religio praeeminet inter alias virtutes morales.

(a. 7.) *Quia* mens humana indiget, ad hoc quod conjungatur Deo, sensibilium manuductione: quia *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ut Apost. dicit Rom. I, 20; ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus quasi principales, et per se ad religionem pertinentes; exteriores vero actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos.

(Q. 82.) DE DEVOTIONE.

Deinde considerandum est de actibus religionis: et primo de actibus interioribus, qui secundum praedicta sunt principaliores; secundo de actibus exterioribus, qui sunt secundarii. Interiores autem actus religionis videntur esse devotio, et oratio. Primo ergo de devotione agendum est; secundo de oratione.

(a. 1.) Devotio dicitur a devovendo: unde devoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant . . . (a. 2.) *Et quia* votum est actus religionis; ergo et devotio.

(a. 3.) Causa devotionis extrinseca, et principalis Deus est . . . Causa autem intrinseca ex parte

nostra oportet quod sit meditatio, seu contemplatio . . . in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio.

(a. 4.) Devotio per se quidem, et principaliter spiritualem laetitiam mentis causat . . . ex consideratione divinae bonitatis . . . Ex consequenti autem, et per accidens causat tristitiam, *nempe* ex consideratione propriorum defectuum.

(Q. 83.) DE ORATIONE.

Deinde considerandum est de oratione... (a. 3.) Per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est quod oratio est proprie religionis actus . . . (a. 4.) *Sicut* oratio porrigitur alicui dupliciter: uno modo quasi per ipsum implenda; alio modo sicut per ipsum impetranda; *sic* primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam; quae solus Deus dat, secundum illud Psal. 83, 22. *Gratiam, et gloriam dabit Dominus.* Sed secundo modo orationem porrigimus SS., Angelis, et hominibus; non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat; sed ut eorum precibus, et meritis orationes nostrae sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoc. 8, 4, quod *ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

(a. 5.) Dominus Mat. 6, et Luc. 11, docuit discipulos determinate petere ea, quae continentur in petitionibus orationis Dominicae... (a. 6.) *Generatim vero* sicut Aug. dicit ad Probam *hoc licet orare, quod licet desiderare* . . . Temporalia *autem* non sunt quaerenda principaliter; sed secundario.

(a. 7.) Debemus *etiam* pro aliis orare, Jac. 5, 16. *Orate pro invicem ut salvemini*... (a. 8.) *Etiam* pro inimicis Mat. 5, 44. *Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos* . . . *Nempe* necessitatis est ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali . . . *Et quia* licitum est impugnare inimicos, ut compescantur a peccatis; quod cedit in bonum eorum; et aliorum; sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, ut corrigantur.

(a. 11.) Sancti qui sunt in patria orant pro nobis, *et* quanto Sancti in patria sunt perfectioris caritatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt; et quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces ... Contingit tamen quandoque, quod imploratio inferioris Sancti efficacior sit, vel quia devotius imploratur, vel quia Deus vult ejus sanctitatem declarare ... Illi *autem* qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad poenas, quas patiuntur: et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis.

(a. 12.) Rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiae *communes* orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. Oratio vero singularis quae offertur a singulari persona cujuscumque sive pro se, sive pro aliis orantis, de necessitate non est quod sit vocalis. Adjungitur tamen vox tali orationi, triplici ratione. Primo quidem ad excitandam interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum: quia per exteriora signa sive vocum sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis secundum apprehensionem,

et per consequens secundum affectionem... Secundo adjungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, idest non solum mente, sed etiam corpore: quod praecipue competit orationi, secundum quod est satisfactoria... Tertio adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus, ex vehementi affectione, secundum illud Ps. 15, 9. *Laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.*

(a. 13.) Triplex est attentio, quae orationi vocali potest adhiberi: una quidem qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret; secunda qua attenditur ad sensum verborum; tertia qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem pro qua oratur: quae quidem est maxime necessaria; et hanc etiam possunt habere idiotae.

(a. 14.) Circa *id quod* Dominus dicit Luc. 17, 1. *Oportet semper orare, et non deficere,...* dicendum, quod aliquis continue orat vel propter continuitatem desiderii, vel quia non intermittit, quin temporibus statutis oret, vel propter effectum sive in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis devotus, sive etiam in alio, puta cum aliquis suis beneficiis provocat alium ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat, et quiescit . . .

(a. 15.) Oratio autem, et quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi,in quantum procedit ex radice caritatis, cujus proprium objectum est bonum aeternum, cujus fruitionem meremur. Procedit tamen oratio a caritate, mediante religione, cujus est actus oratio, concomitantibus etiam quibusdam aliis virtutibus quae ad bonitatem orationis requiruntur, scilicet humilitate et fide... Ponuntur *vero* quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat, quod petit; ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie, et perseveranter.

(a. 16.) Orationem vero peccatoris ex bono naturae desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia, observatis tamen quatuor praemissis conditionibus.

(a. 17.) Sunt *autem* orationis partes, obsecrationes, orationes, postulationes, et gratiarum actiones. *Sane* ad orationem tria requiruntur. Quorum primum est, ut orans accedat ad Deum, quem orat; quod significatur nomine *orationis:* quia oratio est *ascensus intellectus in Deum.* Secundo requiritur petitio, quae significatur nomine *postulationis* .... Tertio requiritur ratio impetrandi, quod petitur: et hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis: ratio quidem impetrandi ex parte Dei est ejus sanctitas, propter quam petimus exaudiri, secundum illud Daniel. 9, 17. *Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam:* et ad hoc pertinet *obsecratio,* quae est per sacra contestatio; sicut cum dicimus: *Per nativitatem tuam libera nos Domine.* Ratio vero impetrandi ex parte petentis est *gratiarum actio:* quia de acceptis beneficiis gratias agentes meremur accipere potiora.

(Q. 84.) DE EXTERIORIBUS ACTIBUS LATRIAE.

Postea considerandum est de exterioribus actibus latriae: et primo de adoratione, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet; secundo de illis actibus, quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur; tertio de actibus, quibus ea, quae Dei sunt, assumuntur.

(a. 1.) Adoratio ordinatur in reverentiam ejus qui adoratur... Unde adoratio, qua Deus adoratur, est religionis actus.

(a. 2.) Sicut Damascenus dicit in 4 lib. Orth. Fid. c. 13. quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus; scilicet spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione; et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione.

(a. 3.) Determinatio *tamen* loci non requiritur ad adorationem principaliter, quasi sit de necessitate ipsius, sed secundum quamdam decentiam, sicut et alia corporalia signa. *Sic* Isa. 56, et Luc. 19, 46, *dum* dicitur, *Domus mea domus orationis vocabitur*, determinatus locus eligitur ad adorandum non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur; sed propter ipsos adorantes: et hoc triplici ratione. Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex oratione Salomonis III. Reg. 8. Secundo propter sacra mysteria, et alia sanctitatis signa, quae ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Mat. 18, 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.*

(Q. 85.) DE HIS QUAE DEO A FIDELIBUS DANTUR, ET PRIMO DE SACRIFICIO.

Postea considerandum est de actibus, quibus aliquae res exteriores Deo offeruntur. Circa quas occurrit duplex consideratio. Primo quidem de his quae Deo a fidelibus dantur. Secundo de votis, quibus ei aliqua promittuntur. Circa primum considerandum est de sacrificiis, oblationibus, primitiis, et decimis.

(a. 1.) Ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens ea Deo

in signum debitae subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii, et ideo oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale . . . . Et ideo in hoc omnes conveniunt: sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina: et ideo in hoc differunt.

(a. 2.) Soli Deo est sacrificium offerendum, *ideo* dicitur Exod. 22, 20. *Qui immolat diis, occidetur, praeterquam Deo soli, et* Aug. dicit 8 de Civ. Dei c. ult. *Non constituimus Martyribus templa, sacerdotia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus: unde sacerdos non dicit, offero tibi sacrificium Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, et nos ad imitationem eorum adhortamur.*

(a. 4.) Sacrificium est quidam specialis actus, laudem habens ex hoc quod in divinam reverentiam fit: propter quod ad determinatam virtutem pertinet, scilicet ad religionem.

(a. 4.) Omnes tenentur ad sacrificia offerenda... Duplex *autem* est sacrificium. Quorum primum et principale est sacrificium interius ad quod omnes tenentur: omnes enim tenentur Deo devotam mentem offerre. Aliud autem est sacrificium exterius, quod in duo dividitur. Nam quoddam est quod ex hoc solum laudem habet, quod Deo aliquid exterius offertur in protestationem divinae subjectionis; et ad hoc aliter tenentur illi qui sunt sub lege nova vel veteri; aliter illi qui non sunt sub lege. Nam illi qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda secundum legis praecepta; illi vero qui non erant sub lege, tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem divinum secundum condecentiam ad eos inter quos habitabant, non autem determinate ad haec vel ad illa. .

Aliud vero est exterius sacrificium, quando actus exteriores aliarum virtutum in divinam reverentiam assumuntur: quorum quidam cadunt sub praecepto, ad quos omnes tenentur; quidam vero sunt supererogationis, ad quos non omnes tenentur.

(Q. 86.) DE OBLATIONIBUS ET PRIMITIIS.

(a. 1.) *Quoad oblationes*, potest contingere, quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. Primo quidem ex praecedenti conventione; sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiae, ut certis temporibus certas oblationes faciat; quod tamen habet rationem census. Secundo propter praecedentem deputationem, sive promissionem... Tertio modo propter Ecclesiae necessitatem . . . Quarto propter consuetudinem.

(a. 2.) Oblationes, quae a populo Deo exhibentur, ad sacerdotes pertinent; non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut fideliter eas dispensent.

(a. 3.) In veteri lege, in qua figurae serviebatur, quaedam propter significationem reputabantur immunda, quae offerre non licebat; sed in lege nova omnis creatura Dei reputatur munda, ut dicitur ad Titum I. Et ideo quantum est de se, de quolibet licite possesso potest oblatio fieri, . . . *nisi* vergat in detrimentum alterius, ut si filius aliquis offerat Deo id unde debet patrem nutrire, quod Dominus improbat Mat. 15, vel propter scandalum, vel propter contemptum, vel aliquid aliud hujusmodi.

(a. 4.) Primitiae ad quoddam genus oblationum pertinent . . . . Et quia Deo debemus exhibere id quod praecipuum est, ideo primitias, quasi praecipuum aliquid de fructibus terrae, praeceptum fuit Deo offerre . . . . Quod *vero* talibus personis exhi-

beatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege jure divino determinatum, nova autem lege definitur per determinationem Ecclesiae, ex qua homines obligantur, ut primitias solvant secundum consuetudinem patriae, et indigentiam ministrorum Ecclesiae.

(Q. 87.) DE DECIMIS.

(a. 1.) Ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiae; quae tamen, pensatis opportunitatibus temporum et personarum, posset aliam partem determinare solvendam.... (a. 2.) De omnibus *autem* possessis decimae sunt sôlvendae.

(a. 3.) *Quia* jus accipiendi decimas spirituale est, consequitur enim illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, et quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos clericos pertinet habentes curam animarum: ideo eis solis competit hoc jus habere. Res autem quae nomine decimarum dantur, corporales sunt: unde possunt in usum quorumlibet cedere; et sic possunt etiam ad laicos pervenire.

(a. 4.) Clerici *autem*, in quantum clerici sunt, idest in quantum habent Ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur; ex alia vero causa, scilicet propter hoc quod possident proprio jure, vel ex successione parentum, vel ex emptione, vel quocumque hujusmodi modo, sunt ad decimas solvendas obligati.

De aliis vero religiosis, etiamsi sint clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio: ipsi enim tenentur de jure communi decimas dare; habent tamen aliquam immunitatem secundum diversas concessiones eis a Sede Apostolica factas.

(Q. 88.) DE VOTO PER QUOD ALIQUID DEO PROMITTITUR.

Deinde considerandum est de voto . . . . (a. 1.) *Ad quod* tria ex necessitate requiruntur: primo quidem deliberatio; secundo propositum voluntatis; tertio promissio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur vero quandoque et alia duo ad quamdam voti confirmationem, scilicet pronuntiatio oris secundum illud Psal. 65, 13. *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea*: et iterum testimonium aliorum.

(a. 2.) Quia votum promissionem voluntariam importat, necessitas autem voluntatem excludit, id quod est absolute necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit. Stultum enim esset, si quis voveret se esse moriturum, vel se non esse volaturum.

Illud vero quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus; cadit quidem sub voto, in quantum voluntarie fit, non autem in quantum est necessitatis.

Illud autem quod nec cadit sub necessitate absoluta, nec sub necessitate finis, omnino est voluntarium: et ideo hoc propriissime cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse majus bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis. Ideo proprie loquendo votum dicitur esse de meliori bono.

(a. 3.) Omne votum obligat ad sui observationem, Eccle. 5, 3. *Quodcumque voveris redde* . . , . Fractio autem voti est quaedam infidelitatis species.

(a. 4.) *Quoniam* id quod damus Deo, non est ei utile, sed nobis, quia *quod ei redditur, reddenti*

additur, ut Aug. dicit . . . . ideo expediens est vovere.

(a. 5.) Votum *autem* est actus latriae, sive religionis . . . (a. 6.) *Et* magis est laudabile, et meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto.

(a. 7.) Solemnizatur *autem* per susceptionem sacri ordinis, et per professionem ad certam regulam . . . Et ideo votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex, et gravius peccat, qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quod votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne, intelligendum est quantum ad hoc quod utriusque transgressor peccat mortaliter.

(a. 8.) *Quia* quicumque est subjectus alicui, quantum ad id in quo est subjectus, non est suae potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius; ideo non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui superioris . . . *Et ideo quia* religiosus subditus est praelato quantum ad suas operationes secundum professionem regulae; ideo etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur a praelato: quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo praelatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum religiosi est firmum, nisi de consensu praelati; sicut nec votum puellae existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris nisi sit de consensu viri.... non tamen peccant vovendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet si suis superioribus placuerit, vel non renitantur.

(a. 9.) Si puer, vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem (quan-

tum in ipso est) se obligare; sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curae remanet adhuc subjectus. Quantumcumque tamen sit doli capax, ante annos pubertatis non potest obligari voto solemni religionis, propter Ecclesiae statutum, quod respicit id, quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt jam se voto religionis obligare, vel simplici vel solemni, absque voluntate parentum.

(a. 10.) Potest in voto dispensari. *Nam* ille qui vovet, quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid quod est secundum se, et ut in pluribus bonum. Potest tamen contingere quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum; quod est contra rationem ejus quod cadit sub voto, ut ex praedictis patet a. 2, et ideo necesse est quod determinetur in tali casu votum non esse servandum. Et si quidem absolute determinetur aliquod votum non esse servandum, dicitur esse dispensatio voti: si autem pro hoc, quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti.

(a. 12.) In commutatione vel dispensatione votorum requiritur praelati auctoritas, qui in persona Dei determinat, quid sit Deo acceptum, secundum illud II. Cor. 2, 10. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi:* et signanter dicit *propter vos*, quia omnis dispensatio petita a praelato debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiae, quae est ejus corpus.

Religionem ingrediens non tenetur implere vota, vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujusmodi, quae existens in saeculo fecit: quia religionem ingrediens moritur priori vitae: et etiam singulares observantiae religioni non competunt; et religionis

onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat.

Quia Summus Pontifex gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis. Aliis autem inferioribus praelatis committitur dispensatio in votis quae communiter fiunt, et indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrant; sicut sunt vota peregrinationum, et jejuniorum, et aliorum hujusmodi. Vota vero majora, puta continentiae, et peregrinationis terrae sanctae reservantur summo Pontifici.

(Q. 89.) DE JURAMENTO.

Deinde considerandum est de actibus exterioribus latriae, quibus aliquid divinum ab hominibus assumitur, quod est vel Sacramentum aliquod, vel ipsum nomen divinum. Sed de Sacramenti assumptione locus erit tractandi in tertia hujus operis parte; de assumptione autem nominis divini nunc agendum est. Assumitur autem divinum nomen ab homine tripliciter: uno modo per modum juramenti ad propria verba confirmanda; alio modo per modum adjurationis ad alios inducendum; tertio modo per modum invocationis ad orandum, vel laudandum. Primo ergo de juramento agendum est.

(a. 1.) Assumere Deum in testem dicitur *jurare:* quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur.

Divinum autem testimonium quandoque inducitur ad asserendum praesentia vel praeterita; et hoc dicitur *juramentum assertorium:* quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum

aliquid futurum; et hoc dicitur *juramentum promissorium*. Ad ea vero quae sunt necessaria, et per rationem investiganda, non inducitur juramentum: derisibilis enim videretur, si quis in disputatione alicujus scientiae vellet propositum per juramentum probare.

(a. 2.) Est licitum jurare, *unde* dicitur Deut. 6, 13: *Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis.*

Quod autem dicitur Math. 5, 34. *Ego dico vobis non jurare omnino*... Aug. dicit in lib. de Mend. c. 5. *Apostolus in epistolis suis jurans ostendit, quomodo accipiendum esset quod dictum est: dico vobis non jurare omnino: ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, et ex facilitate jurandi ad consuetudinem, et a consuetudine in perjurium decidatur. Et ideo non invenitur jurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam praecipitem.*

(a. 3.) Juramentum *igitur* non est bonum nisi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur. Primo quidem quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, et discrete juret: et quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis ex parte jurantis. Secundo quantum ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum est; et justitia, per quam confirmat, quod licitum est. Judicio autem caret juramentum incautum; veritate autem juramentum mendax; justitia autem juramentum iniquum, sive illicitum.

(a. 4.) Iuramentum est actus religionis sive latriae.... (a. 6.) Duplex *autem* est juramentum. Unum quidem quod fit per simplicem contestatio-

nem, in quantum scilicet testimonium Dei invocatur: *et hoc* principaliter refertur ad ipsum Deum, cujus testimonium invocatur; secundario autem assumuntur ad juramentum aliquae creaturae, non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur: sicut juramus per Evangelium, idest per Deum, cujus veritas in Evangelio manifestatur; et per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, et observaverunt.

Alius autem modus jurandi est per execrationem; et in hoc juramento inducitur creatura aliqua, ut in qua divinum judicium exerceatur: et sic solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam rem, quam diligit, sicut et Apostolus juravit II. ad Cor, 1. 23 dicens: *Ego testem Deum invoco in animam meam.*

(a. 7.) Quicumque jurat aliquid se facturum, obligatur ad faciendum, ad hoc quod veritas adimpleatur; si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium, et justitia.

Quoad juramentum quod quis coactus facit, duplex est obligatio, una quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit: et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio, quod solvit, vel praelato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam.

(a. 8.) Major *autem* est obligatio voti, quam juramenti . . . . *Nam* per votum obligatur aliquis Deo; per juramentum autem obligatur aliquis interdum

homini. Magis autem obligatur homo Deo, quam homini..... (a. 9.) *Sicut* in voto potest dispensari, *ita* et in juramento.

(a. 10.) Juramentum impeditur per aliquam conditionem personae, vel temporis .... Et propter hoc a juramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad jurandum .... Et perjuri .... *Et quia* non indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur; hoc autem derogat dignitati personae, ut dubitetur de veritate eorum, quae dicit; ideo *personis magnae dignitatis non convenit jurare.* Propter quod dicitur 2, quaest. 5. cap. *Si quis Presbyter*, quod *sacerdotes ex levi causa jurare non debent;* tamen pro aliqua necessitate, vel magna utilitate licitum est eis jurare, et praecipue pro spiritualibus negotiis: pro quibus etiam juramenta competit praestare in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum. Non autem tunc sunt juramenta praestanda pro rebus temporalibus, nisi forte ex magna necessitate .... *Dicitur autem* II. q. 5, c. 4. *Presbyter vice juramenti per sanctam consecrationem interrogatur:* et XXII. q. 5. c. 22. dicitur: *Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidquam super sancta Evangelia jurare praesumat.*

(Q. 90.) DE ASSUMPTIONE DIVINI NOMINIS PER MODUM ADJURATIONIS.

Postea considerandum est de assumptione divini nominis per modum adjurationis... Licet adjurare homines, *unde* Apostolus etiam fideles obsecrat per misericordiam Dei, ut patet Rom. 12, quod videtur ad quamdam adjurationem pertinere.

(a. 2.) Licet *pariter* daemones adjurare non per modum deprecationis, *sed* per modum compulsionis,

nempe possumus daemones adjurando per virtutem divini nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter, secundum potestatem divinam datam a Christo, secundum illud Luc. 10. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.*

Non tamen licitum est eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam: nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione divina, aliqui sancti ad aliquos effectus daemonum operatione utantur: sicut legitur de beato Jacobo, quod per daemones fecit Hermogenem ad se adduci.

Licet *etiam* irrationalem creaturam adjurare . . . *Sic* Simon, et Judas leguntur adjurasse dracones, et eis praecepisse, ut in desertum locum discederent . . . Adjuratio vero qua quis utitur ad irrationalem creaturam, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut adjuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se: et sic vanum esset irrationalem creaturam adjurare. Alio modo ut referatur ad eum, a quo irrationalis creatura agitur et movetur: et sic dupliciter adjuratur irrationalis creatura. Uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directae; quod pertinet ad eos qui divina invocatione miracula faciunt. Alio modo per modum compulsionis; quae refertur ad diabolum; qui in nocumentum nostrum utitur irrationabilibus creaturis. Et talis est modus adjurandi in Ecclesiae exorcismis, per quos daemonum potestas excluditur ab irrationabilibus creaturis.

(Q. 91.) DE ASSUMPTIONE DIVINI NOMINIS AD INVOCANDUM PER ORATIONEM VEL LAUDEM.

Deinde considerandum est de assumptione divini nominis ad invocandum per orationem, vel laudem. Et de oratione quidem jam dictum est q. 83, unde nunc de laude restat dicendum.

(a. 1.) Necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur in Deum ex laude ipsius.

(a. 2.) Salubriter *quoque* fuit institutum, ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem. Unde Aug. dicit in X. Confes. c. 33. *Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat . . . Subdit tamen ibidem : Cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res quae canitur, moveat, poenaliter me peccare confiteor; et tunc mallem non audire cantantem.*

(Q. 92. DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS, ET PRIMO DE SUPERSTITIONE.

Deinde considerandum est de vitiis religioni oppositis: et primo de illis quae cum religione conveniunt in hoc quod exhibent cultum divinum. Secundo de vitiis manifestam contrarietatem ad religionem habentibus per contemptum eorum, quae pertinent ad divinum cultum. Primum autem horum pertinet ad superstitionem, secundum ad irreligiositatem. Unde primo considerandum est de ipsa superstitione, et partibus ejus; deinde de irreligiositate, et partibus ejus.

(Q. 93.) DE SPECIEBUS SUPERSTITIONIS.

Et primo de superstitione indebiti cultus veri Dei; secundo de superstitione idololatriae; tertio de superstitione divinationum; quarto de superstitione observationum.

(a. 1.) In cultu veri Dei potest esse aliquid perniciosum, *sicut dum quis* ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, et in Ecclesia consuetum . . . (a. 2.) *Et* potest esse aliquid superfluum *nempe* si aliquid sit, quod quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiae inordinatae refraenentur, aut etiam si sit praeter Dei, et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem, quae secundum Aug. ep. 36 alias 86, pro lege habenda est; totum hoc reputandum est superfluum, et superstitiosum: quia in exterioribus solum consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet.

(Q. 94.) DE IDOLOLATRIA.

(a. 1.) Idololatria ad superstitionem pertinet, *nam* ad superstitionem pertinet excedere debitum modum divini cultus. Quod quidem praecipue fit, quando divinus cultus exhibetur, cui non debet exhiberi, ut in *idololatria*, . . . (a. 3.) *Quae ideo* est gravissimum peccatorum; quia quantum est in se facit alium Deum in mundo minuens principatum divinum.

(a. 4.) Dispositiva causa idololatriae fuit ex parte hominis . . . Primo quidem ex inordinatione affectus,

prout scilicet homines aliquem hominem vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem divinum ei impenderunt, et haec causa assignatur Sap. 14, 15 ... Secundo propter hoc quod homo naturaliter de repraesentatione delectatur, et ideo homines rudes a principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressive factas, divinitatis cultum eis impenderunt, ut dicitur Sap. 13, 11 ... Tertio propter ignorantiam veri Dei, cujus excellentiam homines non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem, seu virtutem, divinitatis cultum exhibuerunt, ut dicitur Sap. 13, 1 ... Alia autem causa idololatriae consummativa fuit ex parte daemonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, et aliqua quae videbantur hominibus mirabilia, faciendo: unde et in Psal. 95, 5 dicitur, *Omnes Dii Gentium daemonia.*

(Q. 95.) DE SUPERSTITIONE DIVINATIVA.

Postea considerandum est de superstitione divinativa.

(a. 3.) Triplex est divinationis genus: quorum primum est per manifestam daemonum invocationem, quod pertinet ad *necromanticos:* secundum autem est per solam considerationem dispositionis vel motus alterius rei; quod pertinet ad *augures:* tertium est, dum facimus aliquid, ut nobis manifestetur aliquod occultum; quod pertinet ad *sortes*... Et *omnes istae divinationes,* tum quae fit per invocationes daemonum, tum per astra, tum per somnia, tum per auguria, et omina, et sortes, sunt illicitae.

(a. 8.) Verum quando sortium judicium expectatur a Deo, secundum illud Prov. 16, 33. *sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur,*

talis sors secundum se non est malum. Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primo quidem si absque ulla necessitate ad sortes recurratur: hoc enim videretur ad Dei tentationem pertinere .... Secundo si quis etiam in necessitate absque reverentia Dei sortibus utatur .... Tertio si divina oracula ad terrena negotia convertantur... Quarto si in electionibus ecclesiasticis, quae Spiritus S. inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur. Unde sicut Beda dicit super Act. Ap. *Mathias ante Pentecostem ordinatus sorte quaeritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus S. in Ecclesia effusa; septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati.* Secus autem est in temporalibus dignitatibus; quae ad terrena disponenda ordinantur; in quarum electione plerumque homines sortibus utuntur sicut et in temporalium rerum divisione.

(Q. 96.) DE SUPERSTITIONIBUS OBSERVANTIARUM.

(a. 1.) Per observantias artis notoriae inquiritur notitia veritatis per quaedam pacta significationum cum daemonibus inita. Ergo uti arte notoria non est licitum ... (a. 2.) *Neque si* ad corporum immutationem ordinetur, puta ad sanitatem, vel ad aliquod hujusmodi ... (a. 3.) *Neque si* ordinetur ad praecognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia.

(a. 4.) *Pariter* illicitum est aliqua sacra scripta collo suspendere in remedium infirmitatis, vel cujuscumque nocumenti ... In omnibus *nempe* incantationibus vel scripturis suspensis duo cavenda videntur. Primo quidem quid sit, quod profertur, vel scribitur: quia si est aliquid ad invocationes

daemonum pertinens, manifeste est superstitiosum, et illicitum. Similiter etiam videtur esse cavendum, si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat . . . Est etiam cavendum ne aliquid falsitatis contineat: quia sic ejus effectus non posset expectari a Deo, qui non est testis falsitatis. Deinde cavendum est secundo, ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, puta aliqui characteres inscripti; praeter signum crucis; aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacumque hujusmodi vanitate, quae ad divinam reverentiam non pertineat: quia hoc judicaretur superstitiosum; alias autem est licitum.

(Q. 97.) DE TENTATIONE DEI.

Deinde considerandum est de vitiis religioni oppositis per religionis defectum . . . *Et* primo considerandum est de vitiis, quae pertinent ad irreverentiam Dei. Secundo de his, quae pertinent ad irreverentiam sacrarum rerum. Circa primum considerandum occurrit de tentatione, qua Deus tentatur; et de perjurio in quo nomen Dei irreverenter assumitur..

(a. 1.) Dei tentatio consistit, quando praetermittit homo facere, quod potest ad pericula evadenda, respiciens solum auxilium divinum.... Quando *tamen* propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare: dicitur enim in Paral. 20, 12. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

(a. 3.) Tentatio Dei opponitur virtuti religionis . . . Manifestum est enim quod tentare aliquem,

ad irreverentiam ejus pertinet . . . *Sed quia* superstitiosus protestatur errorem, ille autem qui tentat Deum verbis, vel factis protestatur dubitationem de divina excellentia, ideo gravius est peccatum superstitionis, quam peccatum tentationis Dei.

(Q. 98.) DE PERJURIO.

(a. 1.) Perjurium definitur esse *mendacium juramento firmatum.*

(a. 2.) Et ideo perjurium manifeste est peccatum religioni contrarium, cujus est Deo reverentiam exhibere.

(a. 3.) *Et* contrariatur praecepto divino: dicitur enim Levit. 19, 12. *Non perjurabis in nomine meo.* Ergo est peccatum mortale.

(a. 4.) Peccat *autem,* qui injungit juramentum ei, qui perjurat, *si* pro seipso exigit juramentum tamquam persona privata, *et scit eum certe perjuraturum.* Si autem aliquis exigat juramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius; non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.

Deinde considerandum est de vitiis ad irreligiositatem pertinentibus, quibus rebus sacris irreverentia exhibetur: et primo de Sacrilegio, secundo de Simonia.

(Q. 99.) DE SACRILEGIO.

(a. 1.) Sacrilegium est sacrae rei violatio . . . (a. 2.) *et quia* qui rem sacram violat, ex hoc ipso contra Dei reverentiam agit, sic per irreligiositatem peccat.

(a. 3.) Species sacrilegii distinguuntur secundum res sacras . . . Et tanto sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas, et personis sacris, idest divino cultui dedicatis, et locis sacris, et rebus quibusdam aliis sacris . . . *etiam* his, quae pertinent ad ornatum Ecclesiae, et ministrorum, et his quae sunt deputata ad sustentationem ministrorum; sive sint mobilia, sive immobilia. Quicumque autem contra quodcumque praedictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit.

(a. 4.) Poena sacrilegi, qui sacris injuriam infert, est excommunicatio, per quam a sacris arcetur . . . Et secundum leges humanas adhibetur capitalis poena; secundum vero Ecclesiae statuta, quae mortem corporalem non infligit, adhibetur poena pecuniaria, ut saltem poenis temporalibus homines a sacrilegiis revocentur.

(Q. 100.) DE SIMONIA.

(a. 1.) Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum . . . (a. 2.) Et ideo si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis, cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia, et praecipue si ab invito exigantur: si vero exigantur quasi quaedam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia; si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, et praecipue quando aliquis voluntarie solvit. In his tamen omnibus solicite cavendum est quod habet speciem simoniae, vel cupiditatis, secundum illud Apostoli I. ad Thessal. ult. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Neque licet in aliquo casu dare pecuniam pro baptismo, puta quando sacerdos puerum morientem sine pretio baptizare non vellet . . . Unde ille qui gerit curam pueri, in tali casu licite potest eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari: posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quae est purum elementum corporale. Si autem esset adultus qui baptismum desideraret, et immineret mortis periculum, nec sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet si posset per alium baptizari; quod si non posset ad alium habere recursum nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis quod ei ex Sacramento deesset.

Similiter antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel praebenda; per electionem vel provisionem, ceu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere . . . *Generatim* vero per pecuniam intelligitur omne illud, cujus pretium potest pecunia aestimari . . . (a. 3.) Ille qui habet scientiam, et non suscepit cum hoc officium ex quo obligetur aliis usum scientiae impendere, licite potest pretium suae doctrinae, vel consilii accipere, non quasi veritatem, aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans.

Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae, quae in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. Similiter etiam

licitum est si propter devotionem quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur: sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem monasterii, per temporalia beneficia; ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu monasterii.

(a. 4.) Quae sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus patronatus qui ordinatur ad praesentandum Clericos ad ecclesiastica beneficia, et vasa sacra quae ordinantur ad sacramentorum usum... aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa... *Ideo* jus patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari; sed transit cum villa, quae venditur, vel conceditur.

(a. 5.) Sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem (quod pertinet ad munus a manu) ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio . . . Nempe si sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum (puta quia servivit praelato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi) erit munus ab obsequio; et est simoniacum ... *Non* autem si aliquis clericus alicui praelato impendat obsequium honestum, et ad spiritualia ordinatum (puta ad Ecclesiae utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium), *nam tunc* ex ipsa devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico beneficio, sicut et propter alia bona opera.

Munus *vero* a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens sd favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit.

Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum; si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personae, sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus; et sic preces sunt pro indigno. Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium ecclesiasticum petere sine cura animarum.

Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, et carnalis collatio; non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur . . . Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.

(a. 6.) Qui muneris interventu spiritualia quaecumque assequitur, ea licite retinere non potest. Insuper autem simoniaci tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores aliis poenis puniuntur; scilicet infamia, et depositione si sint clerici, et excommunicatione si sint laici.

Ille qui simoniace recipit sacrum ordinem, recipit quidem characteres ordinis propter efficaciam sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem; eo quod quasi furtive suscepit characterem contra principalis domini voluntatem: et ideo est ipso jure suspensus, et quoad se, ut scilicet de executione sui ordinis se non intromittat, et quoad alios, ut scilicet nullus ei communicet in ordinis executione; sive sit peccatum ejus publicum, sive occultum. Nec potest repetere pecuniam, quam

turpiter dedit, licet alius injuste detineat. Si vero sit simoniacus, quia contulit ordinem simoniace, vel quia dedit, vel recepit beneficium simoniace, vel fuit mediator simoniae, si est publicum, est ipso jure suspensus, et quoad se, et quoad alios; si autem est occultum, est suspensus ipso jure quoad se tantum, non autem quoad alios.

Si aliquis scienter, et propria sponte simoniace accipiat ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet careat executione ordinis, et beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia: et tenetur ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt a possessore diligenti (quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt deductis expensis factis causa fructuum) exceptis fructibus illis qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiae. Si vero eo nesciente, nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem ordinis executione, et tenetur resignare beneficium, quod est consecutus, cum fructibus extantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos quia bona fide possedit: nisi forte inimicus ejus fraudolenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit: tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuerit promissum.

Pecunia vel possessio vel fructus simoniace accepta debent restitui Ecclesiae, in cujus injuriam data fuerunt, non obstante quod praelatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiae fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen quod quantum fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde comodum non consequantur. Si vero praelatus

et totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate superioris vel pauperibus, vel alteri Ecclesiae erogari.

Si aliqui sunt in monasterio simoniace recepti, debent abrenuntiare: et si his scientibus commissa est simonia, post Concilium generale *Lateranense sub Inn. III.*, sine spe restitutionis de monasterio suo repelluntur, et ad agendam perpetuam poenitentiam sunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco ejusdem ordinis, si arctior ordo non inveniretur...Si vero ipsis ignorantibus sint simoniace recepti, postquam renuntiaverint, possunt de novo recipi, locis mutatis ut dictum est.

Notandum quod quoad Deum sola voluntas facit simoniacum, sed quoad poenam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur; sed debet de mala intentione poenitere.

Demum dispensare cum eo qui est beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest; in aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen quod prius abrenuntiet, quod simoniacus acquisivit; et tunc dispensationem consequatur: vel parvam, ut habeat laicam communionem, vel magnam, ut post poenitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat; vel majorem, ut remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus; vel maximam, ut in eadem Ecclesia etiam majores ordines exequatur, non tamen praelationem accipiat.

(Q. 101.) DE PIETATE UBI DE OBSERVANTIA ET DULIA.

Deinde post Religionem considerandum est de pietate; cujus opposita vitia ex ipsius consideratione innotescunt.

(a. 1.) Sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere; ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae;

(a. 4.) *Nec unquam* occasione religionis sunt praetermittenda pietatis officia in parentes . . . nisi cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, nam tunc non esset pietatis, parentum insistere cultui contra Deum. Unde qui est in saeculo constitutus, si habet parentes qui sine ipso sustentari non possunt, non debet eis relictis religionem intrare, quia transgrederetur praeceptum de honoratione parentum . . . Si vero sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset ei desertis parentibus, religionem intrare: quia filii non tenentur ad sustentationem parentum nisi causa necessitatis, ut dictum est. Ille vero qui jam est in religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo: unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, et se iterum saecularibus negotiis implicare; tenetur tamen, salva sui praelati obedientia, et suae religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.

(Q. 102.) DE OBSERVANTIA.

(a. 1.) Sub pietate invenitur observantia, per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis.

(a. 2.) Ratione excellentiae debetur eis honor, qui est quaedam recognitio excellentiae alicujus, ratione autem officii gubernationis debetur cultus, qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, et vicem beneficii eorum pro suo modo rependit . . .

(Q. 103.) DE PARTIBUS OBSERVANTIAE.

Partes observantiae sunt primo dulia, quae exhibet honorem, et caetera ad hoc pertinentia personis superioribus. Secundo obedientia, per quam earum obeditur imperio.

(Q. 106.) DE GRATIA, SIVE DE GRATITUDINE VEL INGRATITUDINE.

(a. 3.) Naturalis ordo requirit ut ille qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem (a. 4.) Sicut autem in beneficio dando duo considerantur, scilicet affectus et donum; ita etiam haec duo considerantur in recompensatione beneficii: et quantum quidem ad affectum recompensatio statim fieri debet: unde Seneca dicit in II. de benef. *Vis reddere beneficium? accipe benigne.* Quantum autem ad donum, debet expectari tempus quo recompensatio sit benefactori opportuna: (a 6.) et *sicut* qui beneficium accepit ad hoc obbligatur ex debito honestatis ut similiter aliquid gratis impendat: non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii; quia quamdiu recompensat minus vel aequale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit; ideo gratiae recompensatio semper tendit ut pro suo posse aliquid majus retribuatur.

(Q. 107.) DE INGRATITUDINE.

(a. 3.) Ingratus dicitur aliquis dupliciter. Uno modo per solam omissionem; puta quia non reco-

gnoscit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro accepto beneficio: et hoc non semper est peccatum mortale, . . . nisi propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur benefico, sive simpliciter, sive in aliquo necessitatis casu. Alio modo dicitur aliquis ingratus quia non solum praetermittit implere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit: et hoc etiam secundum conditionem ejus quod agitur, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale.

(a. 4.) Ingratis *autem* non sunt beneficia subtrahenda, *quia* dicitur Luc. 6, 35 *Altissimus benignus est super ingratos et malos, et* per ejus imitationem nos filios esse oportet, ut ibidem dicitur... Si vero ingratus ex benediciis multiplicatis ingratitudinem augeat, et pejor fiat, debet a beneficiorum exhibitione cessari.

(Q. 108.) DE VINDICATIONE.

(a. 1.) Est in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim intentio feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, est omnino illicitum . . . Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis (puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, et quietem aliorum, et ad justitiae conservationem, et Dei honorem) potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis . . . (a. 2.) *Et sic* vindicatio est specialis virtus... (a. 3.) debet *autem* fieri per poenas apud homines consuetas.

(Q. 109.) DE VERITATE ET VITIIS OPPOSITIS.

Deinde considerandum est de veritate, et de vitiis oppositis.

(a. 3.) Virtus veritatis convenit cum justitia in duobus. Uno quidem modo in hoc quod est ad alterum, manifestatio enim, *quae revera est* actus veritatis, est ad alterum, inquantum scilicet ea, quae circa ipsum sunt, unus homo alteri manifestat. Alio modo, inquantum justitia aequalitatem quamdam in rebus constituit: et hoc etiam facit virtus veritatis: adaequat enim signa rebus existentibus circa ipsum. Deficit autem a propria ratione justitiae quantum ad rationem debiti: non enim haec virtus attendit debitum legale, quod attendit justitia, sed potius debitum morale, in quantum scilicet ex honestate unus homo alteri debet veritatis manifestationem.

(Q. 110.) DE MENDACIO.

(a. 1.) Mendacium opponitur veritati . . . Ratio *autem* mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc scilicet quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi: unde et mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur. Et ideo si quis falsum enuntiet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas est praeter intentionem dicentis: unde non habet perfectam rationem mendacii.

(a. 2.) *Ut* Aug. l. de mend. *ait: sunt tria genera mendaciorum, quaedam enim sunt pro salute, et commodo alicujus: est etiam aliud genus mendacii quod fit joco: tertium vero mendacii genus est quod*

fit ex malignitate. Primum autem horum trium dicitur officiosum, secundum jocosum, tertium perniciosum.

(a. 3.) Mendacium est malum ex genere: est enim actus cadens in indebitam materiam... Unde omne mendacium est peccatum, sicut etiam Aug. asserit in l. contra mend. c. 1.

Nec opponatur quod obstetrices Aegypti remuneratae sunt a Deo propter mendacium: dicitur enim Exod. 1. 21 quod *aedificavit illis Deus domos... pariter quod* de quibusdam sanctissimis viris legitur quod sunt mentiti, Gen. 12, 20, 27; et Judith etiam commendatur, quae tamen Holoferni mentita est.

Ad primum *namque* dicendum, quod obstetrices non sunt remuneratae pro mendacio, sed pro timore Dei et benevolentia, ex qua processit mendacium. Unde signanter dicitur Exod. 1, 21: *et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit illis domos.* Mendacium vero postea sequens non fuit meritorium.

Ad secundum dicendum quod in S. Scriptura ut Aug. dicit l. de mend. c. 5, inducuntur aliquorum gesta quasi exempla perfectae virtutis; de quibus non est aestimandum eos fuisse mentitos. Si qua tamen in eorum dictis appareant quae mendacia videantur, intelligendum est ea figuraliter et prophetice dicta esse.

Deinde quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem; scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quaedam indebita facienda: et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit: quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.

(a. 3.) Non omne mendacium est peccatum mortale, sicut mendacium jocosum et officiosum, *sed si* sit circa res divinas,... *vel* circa aliquid, cujus cognitio pertineat ad hominis bonum... *vel* dicatur in injuriam Dei... aut in nocumentum proximi, *vel etiam* per accidens contrarietur caritati ratione scandali, vel cujuscumque damni consequentis, sic erit peccatum mortale.

(Q. 111.) DE SIMULATIONE ET HYPOCRISI.

(a. 1.) Simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens... Unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens est quod etiam omnis simulatio est peccatum.

(a. 2.) *Etiam* hypocrisis simulatio est, non autem omnis simulatio, sed solum illa qua quis simulat personam alterius; sicut cum peccator simulat personam justi.

(a. 4.) Si hypocrita non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in S. Scriptura; sic manifestum est quod est peccatum mortale... Si autem intendit simulare sanctitatem a qua defecit per peccatum mortale; tunc quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate, non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale. Quod discernendum est ex fine: qui si repugnat charitati Dei vel proximi, erit peccatum mortale; puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quaecumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit: si vero finis intentus non repugnet caritati, erit peccatum veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur.

Contingit tamen quandoque quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quae non est de salutis necessitate: et talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali.

(Q. 112.) DE JACTANTIA.

(a. 1.) *Etiam* jactantia proprie dicta opponitur veritati, *scilicet* per modum excessus . . . (a. 2.) *Et* secundum se est peccatum veniale, quando aliquis de se talia jactat quae neque sunt contra Deum, neque contra proximum . . . *sed* secundum suam causam *si jactantia* procedat ex superbia vel inani gloria, quae sit peccatum mortale, etiam ipsa jactantia erit peccatum mortale: alioquin erit peccatum veniale. Sed quandoque aliquis prorumpit in jactantiam propter appetitum lucri; et hoc videtur jam pertinere ad proximi deceptionem et damnum: et ideo talis jactantia magis est peccatum mortale . . . Non tamen semper est peccatum mortale: quia potest esse tale lucrum ex quo alius non damnificatur.

(Q. 113.) DE IRONIA.

(a. 1.) *Dum* aliquis dicit de se minora a veritate declinans, . . . pertinet ad ironiam.

(a. 2.) Ironia autem et jactantia circa idem mentiuntur vel verbis, vel quibuscumque exterioribus signis, scilicet circa conditionem personae: unde quantum ad hoc aequalia sunt. Sed ut plurimum jactantia ex turpiori motivo procedit, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris; ironia vero ex hoc quod fugit, licet inordinate, per elationem aliis gravis esse: et secundum hoc jactantia est gravius peccatum quam ironia.

(Q. 114.) DE AMICITIA ET VITIIS OPPOSITIS.

Deinde considerandum est de amicitia, quae affabilitas dicitur, et de vitiis oppositis, quae sunt adulatio et litigium.

(a. 1.) Philosophus in l. Ethicae de duplici amicitia loquitur. Quarum una consistit principaliter in affectu, quo unus alium diligit... Aliam vero amicitiam ponit quae consistit in solis exterioribus verbis vel factis: quae quidem non habet perfectam rationem amicitiae, sed quamdam ejus similitudinem, in quantum aliquis decenter habet se ad illos cum quibus conversatur:

(a. 2.) *Amicitia* est pars justitiae inquantum adjungitur ei sicut principali virtuti. Convenit enim cum justitia in hoc quod ad alterum est, sicut et justitia. Deficit autem a ratione justitiae quia non habet plenam debiti rationem .... sed solum attendit quoddam meritum honestatis, quod magis est ex parte ipsius virtuosi quam ex parte alterius, ut scilicet faciat alteri quod decet eum facere.

(Q. 115.) DE ADULATIONE.

(a. 1.) *Amicitiae opponitur* adulatio, quae consistit in quodam sermone laudis alteri exhibito intentione placendi.... (a. 2.) *Et potest esse* peccatum mortale *vel* ratione ipsius materiae, puta cum aliquis laudat alicujus peccatum, . . . alio modo ratione intentionis, puta cum aliquis alicui adulatur ad hoc quod fraudolenter ei noceat vel corporaliter vel spiritualiter . . . Tertio modo per occasionem, sicut cum laus adulatoris fit alteri occasio peccandi, etiam praeter adulatoris intentionem. Et in hoc con-

siderare oportet, utrum sit occasio data vel accepta, et qualis ruina subsequatur: sicut potest patere de his quae supra de scandalo dicta sunt, q. 43. Si autem aliquis ex sola aviditate delectandi alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel consequendum aliquid in necessitate, alicui adulatus fuerit, non est peccatum mortale, sed veniale.

(Q. 116.) DE LITIGIO.

(a. 1.) Litigium *quoque* opponitur virtuti amicitiae, seu affabilitatis . . . Litigium *autem* in verbis consistit, cum scilicet unus verbis alterius contradicit.

(Q. 117.) DE LIBERALITATE ET VITIIS OPPOSITIS.

Deinde considerandum est de liberalitate et vitiis oppositis, scilicet avaritia et prodigalitate.

(a. 1.) Bene uti rebus hujus mundi concessis nobis ad sustentationem vitae pertinet ad liberalitatem.

(a. 5.) Liberalitas non est species justitiae; quia justitia exhibet alteri quod est ejus; sed liberalitas exhibet id quod suum est. Habet tamen quamdam convenientiam cum justitia in duobus: primo quidem quia principaliter est ad alterum, sicut et justitia; secundo quia est circa res exteriores, sicut et justitia.

(Q. 118.) DE AVARITIA.

(a. 1.) Avaritia opponitur liberalitati, importat *enim* immoderantiam aliquam circa divitias.

(a. 4.) Si in tantum amor divitiarum crescat, quod praeferatur charitati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei et proximi, sic avaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo quamvis superflue divitias amet, non tamen praeferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum: sic avaritia est peccatum veniale.

(a. 7.) Avaritia est peccatum capitale... (a. 8.) *Et* fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiae, et contra misericordiam obduratio, sunt avaritiae filiae.

(Q. 119.) DE PRODIGALITATE.

Etiam prodigalitas avaritiae opponitur . . . *Nam* ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo, et acquirendo: ad avaritiam autem pertinet e contrario deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiendo et retinendo.

(a. 2.) Prodigalitas est peccatum . . . opponitur *enim* avaritiae secundum oppositionem superabundantiae et defectus. Medium autem virtutis per utrumque horum corrumpitur.

(Q. 120.) DE EPICHEIA, SEU AEQUITATE.

Deinde considerandum est de epicheia seu aequitate .... (a. 1.) Quia humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quae iufinitis modis variari possunt; non fuit possibile aliquam regulam legis institui quae in nullo casu deficeret; sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes; quam tamen in aliquibus casibus servare, est contra aequalitatem justitiae, et contra commune bonum quod lex intendit: sicut lex instituit quod deposita reddantur, quia hoc ut in pluribus justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum; puta si furiosus deposuit gladium; et cum reposcat dum est in furia; vel si aliquis reposcat depositum ad patriae impugnationem. In his ergo, et similibus casibus malum est sequi legem positam, bonum autem est, praetermissis verbis legis, sequi id quod poscit justitiae ratio, et communis utilitas. Et ad hoc ordinatur epicheia, quae apud nos dicitur aequitas.

(a. 2.) Epicheia est pars subjectiva justitiae; et de ea justitia dicitur per prius quam de legali; nam legalis justitia dirigitur secundum epicheiam. Unde epicheia est quasi superior regula humanorum actuum.

(Q. 121.) DE PIETATE.

Deinde considerandum est de dono correspondente justitiae, scilicet de pietate. (a. 1.) *Haec* Isaiae 11, ponitur inter dona, *et sane* inter caetera movet nos Spiritus S. ad hoc quod affectum quemdam

filialem habeamus ad Deum, secundum illud Rom. 8, 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, pater;* et quia ad pietatem proprie pertinet officium et cultum patri exhibere, consequens est quod pietas, secundum quam cultum et officium exhibemus Deo ut patri per instinctum Spiritus S., sit Spiritus S. donum.

(a. 2.) Dono pietatis respondet secunda beatitudo, scilicet *beati mites; ut* Aug. dicit in l. 1 de Serm. Dom. in monte c. 4. *Pietas congruit mitibus.*

(Q. 122.) DE PRAECEPTIS JUSTITIAE.

Deinde considerandum est de praeceptis justitiae. (a. 1.) Praecepta decalogi sunt praecepta justitiae . . . Tria prima praecepta sunt de actibus religionis, quae est potissima pars justitiae; quartum autem praeceptum est de actibus pietatis, quae est pars justitiae secunda; alia vero sex dantur de actibus justitiae communiter dictae, quae inter aequales attenditur.

(Q. 123.) DE FORTITUDINE.

Vide Append. C. IV, § 3.

Consequenter post justitiam considerandum est de fortitudine: et primo de ipsa virtute fortitudinis; secundo de partibus ejus; tertio de dono ei correspondente; quarto de praeceptis ad ipsam pertinentibus.

(a. 1.) Manifestum est quod fortitudo est virtus, in quantum facit hominem secundum rationem esse... dum tolluntur impedimenta rectitudinis in rebus humanis ponendae.

(a. 6.) Principalior actus fortitudinis est sustinere, idest immobiliter sistere in periculis, quam aggredi . . . (a. 11.) Fortitudo est virtus cardinalis . . . sicut *enim* supra dictum est 1, 2, q. 71 virtutes cardinales, sive principales dicuntur quae praecipue sibi vindicant id quod pertinet communiter ad virtutes; inter alias autem communes virtutis conditiones una ponitur *firmiter operari.*

(Q. 124.) DE MARTYRIO.

(a. 2.) Martyrium est actus fortitudinis... (a. 3.) Et inter caeteros actus humanos est perfectius secundum suum genus, quasi maximae charitatis signum . . . (a. 4.) Ad perfectam rationem martyrii requiritur quod aliquis mortem sustineat propter Christum... et ideo nec martyrium proprie dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinae divitiarum, nisi forte secundum quod ex his sequitur mors.

(a. 5.) Martyres dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati quae secundum pietatem est, quae per Christum nobis innotuit: unde et Martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Hujusmodi autem est veritas fidei. Et ideo cujuslibet martyrii causa est fidei veritas.

Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio; quae quidem fit non solum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Jac. 2, 18. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Unde et quibusdam dicitur ad Titum 1, 16.

Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant. Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei, per quas nobis innotescit quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat: et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Unde et B. Joannis Baptistae martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.

(Q. 125. 126. 127.) DE VITIIS FORTITUDINI OPPOSITIS.

Vitia opposita fortitudini sunt timor . . . *Sicut et intimiditas*, per superbiam animi de se praesumentis . . . Et audacia . . . quae importat excessum.

(Q. 128.) DE PARTIBUS FORTITUDINIS.

Tullius in Rhet. l. 2 de Invent. ponit fortitudinis quatuor partes, scilicet *magnificentiam, fiduciam, patientiam, et perseverantiam.*

(Q. 130. 135. 138.) DE VITIIS QUAE PARTIBUS FORTITUDINIS OPPONUNTUR.

Vitia quae fiduciae vel magnanimitati opponuntur per excessum sunt tria, scilicet praesumptio, ambitio, et inanis gloria; pusillanimitas *vero* opponitur ei per modum defectus . . . Magnificentiae opponitur parvificentia . . . Perseverantiae opponuntur mollities, et pertinacia.

(Q. 139.) DE DONO FORTITUDINIS.

(a 1.) Fortitudini respondet *ipsum* fortitudinis donum, *nam* Isaiae 11, fortitudo inter alia dona Spiritus S. computatur .... (a. 2.) Quarta autem beatitudo, scilicet *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, respondet dono fortitudinis.

(Q. 140.) DE PRAECEPTIS FORTITUDINIS.

(a. 1.) Praecepta legis divinae tam de fortitudine, quam de aliis virtutibus dantur, secundum quod convenit ordinationi mentis in Deum; *sed quia* vetus Testamentum habebat temporalia promissa, novum autem spiritualia et aeterna, ut Aug. dicit contra Faustum l. 4, c. 2; ideo necessarium fuit ut in veteri lege populus instrueretur qualiter pugnare deberet etiam corporaliter pro terrena possessione acquirenda: in novo autem testamento instruendi fuerunt homines, qualiter spiritualiter certando ad possessionem vitae aeternae pervenirent.

(Q. 141.) DE TEMPERANTIA.

Vide Append. C. IV, § 4.

Consequenter considerandum est de temperantia; et primo quidem de ipsa temperantia; secundo de partibus ejus, tertio de praeceptis ipsius.

(a. 1.) In temperantiae nomine importatur quaedam moderatio, seu temperies, quam ratio facit. Et ideo temperantia est virtus.

(a. 6.) Temperantia accipit necessitatem hujus vitae sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitae requirit.

(a. 7.) Temperantia est virtus cardinalis, moderatio enim quae in omni virtute requiritur, praecipue laudabilis est in delectationibus tactus, circa quas *principaliter* est temperantia: tum quia tales delectationes sunt nobis magis naturales; et ideo difficilius est ab eis abstinere, et concupiscentias earum refraenare: tum etiam quia earum objecta magis sunt necessaria praesenti vitae. Et ideo temperantia ponitur virtus principalis seu cardinalis.

(Q. 144.) DE PARTIBUS TEMPERANTIAE.

Deinde considerandum est de partibus temperantiae. Partes integrales temperantiae, seu conditiones quas necesse est concurrere sunt duae, scilicet *verecundia*, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiae contrariam; et *honestas*, per quam scilicet aliquis amat pulchritudinem temperantiae.

(Q. 146.) DE PARTIBUS SUBJECTIVIS TEMPERANTIAE, ET PRIMO DE ABSTINENTIA.

Partes autem subjectivae temperantiae, *seu species ejus*, sunt circa delectationes ciborum, et circa delectationes venereorum. Circa primum considerandum est de abstinentia quae est circa cibos et potus; et de sobrietate, quae est specialiter circa potum.

Abstinentia ex suo nomine importat abstractionem ciborum, *estque virtus* si homo a cibis absti-

neat, prout oportet pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personae suae, et pro valetudinis suae necessitate.

(Q. 147.) DE JEJUNIO.

(a. 2.) Jejunium est actus abstinentiae... (a. 3.) Et utile est ad deletionem et cohibitionem culpae, et ad elevationem mentis in spiritualia; unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad praedicta. Et ideo jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae; sed determinatio temporis et modi jejunandi secundum convenientiam et utilitatem populi Christiani, cadit sub praecepto juris positivi, quod est a Praelatis Ecclesiae institutum: et hoc est jejunium Ecclesiae; aliud vero est naturae.

(a. 4.) Ad jejunia ab Ecclesia statuta omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum... *Sic pueri* quamdiu sunt in statu augmenti, quod est ut in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant, plus vel minus secundum modum suae aetatis.

Circa peregrinos autem et operarios distinguendum videtur. Quia si peregrinatio et operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, et exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, aut spiritualis vitae, non sunt propter hoc Ecclesiae jejunia praetermittenda. Si autem immineat necessitas statim peregrinandi; et magnas diaetas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitae corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, et simul cum hoc non possunt

Ecclesiae jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum: quia non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad superioris dispensationem: nisi forte ubi est ita consuetum; quia ex hoc ipso quod praelati dissimulant, videntur annuere.

Pauperes qui possunt sufficienter habere quod eis sufficit ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiae; a quibus tamen excusari videntur illi qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.

(a. 6.) Ecclesiae moderatione statutum est ut semel in die a jejunantibus comedatur.

Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus; qui magis sumitur ad alterationem corporis, et digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem; licet aliquo modo nutriat: et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis immoderate potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione sumat.

Quoad electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. (a. 7.) Communis consuetudo comedendi hominibus est circa horam sextam . . . sed ut jejunans aliquam afflictionem sentiat pro culpae satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam.

(a. 8.) *Quia* Ecclesia jejunium instituens intendit ad id quod communius accidit; esus autem carnium est magis delectabilis communiter quam esus

piscium; quamvis in quibusdam aliter se habeat; ideo Ecclesia magis jejunantibus prohibuit esum carnium, quam esum piscium. Ova *autem* et lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta carnem habentibus. Unde principalius interdicuntur carnes, quam ova et lacticinia.

(Q. 148.) DE GULA.

Deinde considerandum est de gula . . . (a. 1.) Gula *autem* non nominat quemlibet appetitum edendi; et bibendi, sed inordinatum . . . (a. 2.) Si inordinatio concupiscentiae accipiatur in gula secundum aversionem a fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit quando delectationi gulae inhaeret homo tamquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra praecepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur. Si vero in vitio gulae intelligatur inordinatio concupiscentiae tantum secundum ea quae sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei; est peccatum veniale.

(a. 4.) Species gulae distinguuntur a Gregorio, qui l. 30 Mor. c. 13 dicit: *Quinque modis nos gulae vitium tentat: aliquando namque indigentiae tempora praevenit; aliquando lautiores cibos quaerit; aliquando quae sumenda sunt, praeparari accuratius appetit; aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit; aliquando ipso aestu immensi desiderii aliquis peccat:* et continentur in hoc versu: *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

(a. 5.) Gula est vitium capitale; (a. 6.) *et* assignantur gulae quinque filiae, scilicet inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, et hebetudo mentis circa intelligentiam.

(Q. 149.) DE SOBRIETATE ET EBRIETATE.

Deinde considerandum est de sobrietate, et de vitio opposito, scilicet ebrietate.

(a. 1.) Specialiter sobrietas attenditur circa potum, non quemcumque, sed eum qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut vinum, et omne quod inebriare potest. Communiter autem sumendo nomen sobrietatis, potest in quacumque materia dici, sicut de fortitudine, et temperantia.

(Q. 150.) DE EBRIETATE.

(a. 1.) Ebrietas significat defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit ut non sit compos rationis. (a. 2.) Hoc contingit esse tripliciter. Uno modo sic quod nesciat potum esse immoderatum, et inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo sic quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen aestimet potum esse inebriare potentem: et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse quod aliquis bene advertat, potum esse immoderatum et inebriantem, et tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere: et talis proprie dicitur ebrius; . . . et sic ebrietas est peccatum mortale.

(a. 4.) Ex parte actus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare a peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus praecedentis videtur esse distinguendum: quia si ex actu illo praecedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur a culpa; sicut

forte accidit de Loth. Si autem actus praecedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti.

(Q. 151.) DE CASTITATE.

Deinde considerandum est de castitate: et primo de ipsa virtute castitatis; secundo de virginitate, quae est pars castitatis; tertio de luxuria quae est vitium oppositum.

(a. 1.) Nomen castitatis sumitur ex hoc quod per rationem concupiscentia castigatur quae ad modum pueri est refraenanda.

(a. 4.) Pudicitia attenditur praecipue circa signa venereorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus: et ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quamdam; interdum tamen unum pro alio ponitur.

(Q. 152.) DE VIRGINITATE.

(a. 1.) Virginitas consistit in integritate carnis. Nomen virginitatis a virore sumptum videtur: et sicut illud dicitur virens, et in suo virore persistere quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum; ita etiam virginitas hoc importat, quod persona cui inest, immunis sit a concupiscentiae adustione, quae esse videtur in consummatione maximae delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio. Unde Ambrosius dicit in l. 1 de Virg. quod *castitas virginalis est expers contagionis integritas.*

(a. 2.) *Et quia* ad hoc pia virginitas ab omni delectatione venerea abstinet, ut liberius divinae contemplationi vacet: dicit enim Apostolus 1 Cor.

7, 34 *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu: quae autem nupta est, cogitat quae mundi sunt, ut placeat viro;* unde relinquitur quod virginitas non est aliquid vitiosum, sed potius laudabile.

(a. 3.) *Et quia* conservare se immunem ab omni experimento venereae voluptatis, habet quamdam excellentiam laudis supra hoc quod est conservare se immunem ab inordinatione venereae voluptatis; ideo virginitas est quaedam specialis virtus habens se ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem.

(a. 4.) *Est etiam* excellentior matrimonio . . . *Et* error fuit Joviniani, qui posuit virginitatem non esse matrimonio praeferendam. Qui quidem error praecipue destruitur et exemplo Christi, qui et matrem Virginem elegit, et ipse virginitatem servavit; et ex doctrina Apostoli, qui I. ad Cor. 7, virginitatem consulit tamquam melius bonum; et etiam ratione, tum quia bonum divinum est potius humano bono, tum quia bonum animae praefertur bono corporis, tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae; Virginitas autem ordinatur ab bonum animae secundum vitam contemplativam.

(Q. 153.) DE VITIO LUXURIAE.

Deinde considerandum est de vitio luxuriae, quod opponitur castitati.

(a. 1.) Circa voluptates venereas maxime luxuria consideratur . . . (a. 2.) Usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo, et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae . . . (a. 3.) *Sed quia* pertinet ad rationem luxuriae ut ordinem et modum rationis excedat circa venerea, ideo absque dubio luxuria est peccatum.

(a. 4.) Luxuria est vitium capitale . . . (a. 5.) Filiae luxuriae *sunt* caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, et horror futuri.

(Q. 154.) DE LUXURIAE PARTIBUS.

(a. 1.) Assignantur sex species luxuriae, scilicet fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, et vitium contra naturam.

(a. 2.) Fornicatio simplex est peccatum mortale... *ut* dicitur Tob. 4, 13 *Attende tibi ab omni fornicatione, et praeter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire.* Crimen autem importat peccatum mortale . . . Praeterea nihil excludit a regno Dei nisi peccatum mortale. Fornicatio autem excludit, ut patet per Apostolum ad Gal. 5, 21, ubi praemissa fornicatione, et quibusdam aliis vitiis, subdit: *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Ad hujus evidentiam considerandum est quod peccatum mortale est omne peccatum quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem quae vergit in nocumentum vitae ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus . . . Manifestum est *enim* quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris a quo est instruendus, et defendendus, et in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est quod utatur vago concubitu; sed oportet quod sit maris ad determinatam feminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde est quod naturaliter inest maribus in specie humana solicitudo de certitudine prolis, quia

eis imminet educatio prolis. Haec autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Haec autem determinatio certae feminae matrimonium vocatur: et ideo dicitur esse de jure naturali.

Nec obstat si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit sub legis determinatione judicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere. *Vide 3 part. q. 50, et seq.* . . . (a. 4.) *Etiam* aspectus libidinosus est peccatum mortale; secundum illud Matth. 5, 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Multo magis osculum libidinosum et alia hujusmodi sunt peccata mortalia.

(a. 5.) Utrum *vero* nocturna pollutio sit peccatum, *dicendum* quod dupliciter potest considerari. Uno modo secundum se et hoc modo non habet rationem peccati . . . Id *enim* quod agit homo dormiens, qui non habet liberum judicium rationis, non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furiosus et amens.

Alio modo potest considerari nocturna pollutio per comparationem ad suam causam. Quae potest esse triplex. Una quidem corporalis, *et si* sit culpabilis (puta cum est ex superfluitate cibi vel potus) tunc nocturna pollutio habet rationem culpae ex sua causa. Si autem superabundantia vel resolutio humoris non sit ex aliqua causa culpabili, tunc nocturna pollutio non est culpabilis nec in se nec in sua causa.

Alia vero causa nocturnae pollutionis potest esse animalis et interior; puta cum ex cogitatione praecedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem quae in vigilia praecessit, quandoque est pure speculativa, puta cum aliquis causa disputa-

tionis cogitat de peccatis carnalibus; quandoque autem est cum aliqua affectione vel concupiscentiae, vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quae sunt cum concupiscentia talium delectationum quia ex hoc remanet quoddam vestigium et inclinatio in anima, ita quod dormiens facilius inducitur in sua imaginatione ad assentiendum actibus ex quibus sequitur pollutio... Et sic patet quod nocturna pollutio habet rationem culpae, ex parte suae causae. Quandoque tamen contingit quod praecedenti cogitatione carnalium actuum etiam speculativa, vel si sit cum horrore, sequitur in somnis pollutio: et tunc non habet rationem culpae nec in se, nec in sua causa.

Tertia vero causa est spiritualis extrinseca, puta cum ex operatione daemonis commoventur phantasmata dormientis in ordine ad talem effectum et hoc quidem quandoque est cum peccato praecedenti, scilicet negligentia praeparandi se contra demonis illusiones: unde et in sero canitur: *Hostemque nostrum comprime, Ne polluantur corpora*; quandoque vero est absque omni culpa hominis ex sola nequitia daemonis; sicut in Collat. patrum, collat. 22, c. 6. legitur de quodam, qui semper in diebus festis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante, ut impediretur a sacra communione. Sic igitur patet quod nocturna pollutio numquam est peccatum, sed quandoque est sequela peccati praecedentis.

(a. 6.) Stuprum proprie consistit in actu venereo, quo virgo defloratur . . . et habet duplicem injuriam adnexam. Unam quidem ex parte virginis, quam etsi non vi corumpat, tamen eam seducit, et sic tenetur ei satisfacere. Unde dicitur Exod. 22, 16. *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam,*

dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit uxorem. Si autem *pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Aliam vero injuriam facit patri puellae: unde et ei secundum legem tenetur ad poenam, Deut. 22, 28.

(a. 7.) Raptus est illicitus coitus, ut Isidorus dicit l. 5, ethym ... *Raptus autem committitur cum puella violenter a domo patris abducitur ut corrupta in uxorem habeatur,* Decret. 36, c. 1 ... Est species luxuriae: et quandoque quidem concurrit cum stupro; quandoque autem invenitur raptus sine stupro; quandoque vero stuprum sine raptu.

Aliter est dicendum de raptu puellarum quae sunt aliis desponsatae, et aliter de raptu illarum quae non sunt aliis desponsatae. Illae enim quae sunt aliis desponsatae, restituendae sunt suis sponsis, qui in eas ex ipsa desponsatione jus habent; illae autem quae non sunt aliis desponsatae, primo restituendae sunt patris potestati; et tunc de voluntate parentum licite possunt eas in uxores accipere. Si autem aliter fiat, illicite matrimonium contrahitur: tenetur enim qui quacumque rem rapit ad ejus restitutionem. Non tamen raptus dirimit matrimonium jam contractum, etsi impediat contrahendum.

(a. 8.) *Adulterium committitur, cum propriae libidinis instinctu, vel alieno consensu, cum altero, vel altera contra pactum conjugale concumbitur.* Aug. lib. de bono conjug. c. 4. Et hoc importat specialem deformitatem luxuriae.

(a. 9.) Incestus est abusus consanguinearum vel affinium, .. in quo invenitur aliquid incongruum commixtioni venereae triplici ratione. Primo quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consangui-

neis... in actibus *autem* venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria.

Secunda ratio est, quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari. Unde si homines non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereae commixtionis; et sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam.

Tertia ratio est quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consangninei uxoris. Addit autem Aristoteles quartam rationem, in II. Polit. c. 4 quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, et maximum libidinis incentivum; quod castitati repugnat. Unde manifestum est quod incestus est determinata luxuriae species.

(a. 10.) *Quia* observatio castitatis secundum quod ordinatur ad cultum Dei est actus religionis, ut patet in iis qui vovent et servant virginitatem,.. manifestum est quod luxuria secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii, et secundum hoc sacrilegium potest poni species luxuriae.

(a. 11.) *Etiam* vitium contra naturam est species luxuriae... Quod quidem potest pluribus modis contingere. Uno quidem modo si absque omni concubitu, causa delectationis venereae pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum *immunditiae*, quam quidam *mollitiem* vocant. Alio modo si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei, quod vocatur *bestialitas*. Tertio si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam, ut Ap. dicit ad Rom. I. quod dicitur *Sodomiticum vitium*. Quarto si non

servetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos et bestiales concumbendi modos.

(a. 12.) Quia in vitiis quae sunt contra naturam trasgreditur homo id quod est secundum naturam determinatum circa usum venereum, inde est quod in tali materia peccatum *contra naturam* est gravissimum. Post quod est *incestus* qui, sicut dictum est, est contra naturalem reverentiam quam personis conjunctis debemus . . . *Fornicatio simplex* quae committitur sine injuria alterius personae, est minima inter species luxuriae. Major autem injuria est si quis abutatur muliere alterius potestati subjecta ad usum generationis, quam ad solam custodiam. Et ideo *adulterium* est gravius, quam *stuprum:* et utrumque aggravatur per violentiam. Propter quod *raptus virginis* est gravius quam *stuprum*, et *raptus uxoris* quam *adulterium*, et haec omnia etiam aggravantur secundum rationem *sacrilegii.*

(Q. 155.) DE PARTIBUS POTENTIALIBUS TEMPERANTIAE, ET PRIMO DE CONTINENTIA.

Postea considerandum est de partibus potentialibus temperantiae: et primo de continentia, secundo de clementia, tertio de modestia.

(a. 1,) Nomen continentiae dupliciter sumitur a diversis. Quidam enim continentiam nominant per quam aliquis ab omni delectatione venerea abstinet: unde et Ap. ad Gal. 5 continentiam castitati conjungit . . . Alii vero dicunt continentiam esse per quam aliquis resistit concupiscentiis pravis, quae in eo vehementes existunt, *et hoc etiam modo longius* accipiendo nomen virtutis pro quolibet principio

laudabilium operum, possumus dicere continentiam esse virtutem.

(a. 4.) *Quia vero* plus viget bonum rationis in eo qui est temperatus, in quo etiam ipse appetitus sensitivus est subjectus rationi, et quasi a ratione edomitus, quam in eo qui est continens, in quo appetitus sensitivus vehementer resistit rationi per concupiscentias pravas: *ideo* continentia comparatur ad temperantiam sicut imperfectum ad perfectum.

(Q. 157.) DE CLEMENTIA ET MANSUETUDINE.

(a. 2.) Clementia diminuendo poenas aspicit ad rationem, ut Seneca dicit in II de Clem. c. 5; similiter etiam mansuetudo secundum rationem rectam moderatur iras, ut dicitur in 4 Ethic. c. 5. Unde manifestum est quod tam clementia quam mansuetudo est virtus, . . (a. 3.) adjunguntur vero temperantiae sicut virtuti principali.

(Q. 158.) DE IRACUNDIA.

(a. 2.) Iracundia opponitur mansuetudini; crudelitas opponitur clementiae . . . Si aliquis appetat quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis irae appetitus; et vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis (puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiae, et correctio culpae), erit appetitus irae vitiosus; et nominatur ira per vitium.

(a. 3.) Si aliquis appetit injustam vindictam, ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati et justitiae. Potest tamen contingere

quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus. Quae quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, puta cum motus irae praevenit judicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita quod etiam si actu inferatur, non esset peccatum mortale; puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi.

Si vero motus irae *sit tantum* inordinatus quantum ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa irae: sic ira secundum se non habet ex suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia irae aliquis excidat a dilectione Dei et proximi.

(a. 5.) Tres sunt irascibilitatis species, scilicet *ira* quae vocatur *fellea*, et *mania* quae vocatur *insania*, et *furor*. (a. 6.) *Quia* habet hoc ira quod ex ea multa vitia oriri possunt, *ideo* est vitium capitale, (a. 7.) *et* assignantur sex filiae irae, scilicet rixa, tumor mentis, contumelia, et clamor, indignatio, et blasphemia.

(Q. 159.) DE CRUDELITATE.

(a. 1.) *Opponitur clementiae crudelitas*, dicit Seneca in II de Clem. c. 5. *quae nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis poenis*... (a. 2.) Crudelitas a saevitia sive feritate differt... *nam* feritas vel saevitia dicitur, secundum quam aliquis in poenis inferendis non considerat aliquam culpam ejus qui patitur, sed solum hoc quod delectatur in hominum cruciatu.

(Q. 160.) DE MODESTIA, UBI DE HUMILITATE, ET SUPERBIA.

(a. 1.) Virtus moderativa in mediocribus, in quibus non est ita difficile moderari, vocatur modestia, et adjungitur temperantiae tamquam principali.

(Q. 161.) DE HUMILITATE.

(a. 4.) Humilitas est pars modestiae vel temperantiae.

(Q. 162.) DE SUPERBIA.

(a. 1.) *Ei opponitur* superbia, *quae* nominatur ex hoc, quod aliquis per voluntatem tendit supra id quod est.

(a. 4.) Quatuor superbiae species Gregorius assignat 23 Mor. c. 4. dicens: *Quatuor quippe sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: cum bonum aut a semetipsis habere aestimant; aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certe cum jactant se habere quod non habent; aut despectis caeteris, singulariter videri appetunt habere quod habent.*

(a. 5.) In hoc radix superbiae consideratur quod homo aliqualiter non subjicitur Deo, et regulae ipsius. Manifestum est autem quod hoc ipsum quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis, hoc enim est averti a Deo: unde consequens est, quod superbia secundum genus suum sit peccatum mortale.

Sicut tamen in aliis quae ex suo genere sunt peccata mortalia (puta fornicatione et adulterio),

sunt aliqui motus qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia scilicet praeveniunt rationis judicium, et sunt praeter ejus consensum; ita etiam et circa superbiam accidit quod aliqui motus superbiae sunt peccata venialia, dum eis ratio non consentit.

(a. 6.) *Et quia* averti a Deo, et ejus praeceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus; et id quod est per se, potius est eo quod est per aliud; consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum suum genus, quia excedit in aversione, quae formaliter complet peccatum . . . (a. 7.) *et* ut dicitur Eccli. 10, 15 *initium omnis peccati est superbia* . . . ut supra dictum est 1. 2, q. 84, a. 2, cum de causis peccati ageretur ex parte aversionis, quae est principalior in peccato.

(a. 8.) Gregorius considerans universalem superbiae influentiam quam habet in omnia vitia, non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed posuit eam reginam omnium vitiorum, et matrem.

(Q. 163.) DE PECCATO PRIMI HOMINIS.

Hoc loco considerandum est de peccato primi hominis quod fuit per superbiam.

(a. 2.) Cum diabolus et primus homo inordinate divinam similitudinem appetierint; neuter eorum peccavit appetendo similitudinem naturae. Sed primus homo peccavit principaliter appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei suggessit; . . . et secundario peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriae naturae operaretur ad beatitudinem consequendam.

Unde Aug. dicit 11 Gen. ad lit. c. 30, quod *menti mulieris inhaesit amor propriae potestatis.* Diabolus *autem* peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad potestatem.

(a. 3.) Peccatum primorum parentum non fuit caeteris gravius, quia major est superbia qua quis Deum negat vel blasphemat, quam superbia qua quis inordinate divinam similitudinem appetit, qualis fuit superbia primorum parentum. Sed secundum conditionem personarum peccantium, peccatum illud habuit maximam gravitatem propter perfectionem status ipsorum.

(a. 4.) Gravius *tamen* peccavit mulier, triplici ratione. Primo quidem quia major elatio fuit mulieris quam viri; mulier enim credidit verum esse quod serpens suasit, scilicet quod Deus prohibuerit ligni esum, ne ad ejus similitudinem pervenirent: et ita dum per esum ligni vetiti Dei similitudinem consequi voluit, superbia ejus ad hoc se erexit, quod contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit hoc esse verum: unde non voluit consequi divinam similitudinem contra Dei voluntatem; sed in hoc superbivit quod voluit eam consequi per seipsum. Secundo quia mulier non solum ipsa peccavit, sed etiam viro peccatum suggessit: unde peccavit et in Deum et in proximum. Tertio in hoc quod peccatum viri diminutum est ex hoc quod *in peccatum consentit amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus,* Aug. 11 super Gen. c. ult.

(Q. 164.) DE POENIS PECCATI PRIMI HOMINIS.

(a. 1.) Rebellio carnalis appetitus ad spiritum est poena peccati primorum parentum, *sicut* etiam mors et omnes corporales defectus.

(Q. 165.) DE TENTATIONE PRIMORUM PARENTUM.

(a. 1.) *Quia* pertinet ad conditionem humanae naturae ut ab aliis creaturis iuvari vel impediri possit, *ideo* conveniens fuit ut Deus hominem in statu innocentiae et tentari permitteret per malos angelos, et juvari eum faceret per bonos. Ex speciali enim beneficio gratiae hoc erat ei collatum ut nulla creatura exterior ei posset nocere contra propriam voluntatem, per quam etiam tentationi daemonis resistere poterat.

(a. 2.) *Circa modum* primae tentationis,... sicut Aug. dicit 11 super Gen. ad litt. c. 3, *non debemus opinari quod serpentem sibi, per quem tentaret, diabolus eligeret; sed cum esset in illo decipiendi cupiditas, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.* Et c. 27, et 29: *Sic locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam locuta est homini; nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum.*

(Q. 166.) DE STUDIOSITATE.

(a. 1.) Studiositas proprie dicitur circa cognitionem . . . (a. 2.) At moderatio appetitus *cognoscitivi* pertinet ad virtutem studiositatis: unde consequens est quod studiositas sit pars potentialis temperantiae, sicut virtus secundaria ei adjuncta ut principali virtuti; et comprehenditur sub modestia.

(Q. 167.) DE CURIOSITATE.

Studiositati opponitur vitium curiositatis.

(Q. 168.) DE MODESTIA SECUNDUM QUOD CONSISTIT IN EXTERIORI.

(a. 1.) Modestia consistit *quoque* in exterioribus motibus corporis . . . . *Et* circa horum motuum ordinationem lex moralis consistit. Ordinatio autem horum motuum attenditur quantum ad duo: uno quidem modo secundum convenientiam personae; alio modo secundum convenientiam ad exteriores personas, negotia, seu loca.

(a. 2.) *Etiam* circa ludos potest esse aliqua virtus, quam philosophus *Eutrapeliam* nominat: et dicitur aliquis eutrapelus a bona conversione, qua scilicet bene convertit aliqua dicta vel facta in solatium; et in quantum per hanc virtutem homo refraenatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur.

(Q. 169.) DE MODESTIA IN EXTERIORI APPARATU.

(a. 1.) *Maxime autem* circa exteriorem ornatum potest esse virtus et vitium, *unde* dicit Ambrosius 1. Offic. c. 19: *Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus, non pretiosis et albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati, vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.*

(a. 2.) Circa ornamenta mulierum sunt eadem attendenda quae supra, a. praec. communiter dicta

sunt circa exteriorem cultum; et insuper quoddam aliud speciale, quod scilicet muliebris cultus viros ad lasciviam provocat, secundum illud Prov. 7, 10. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio praeparata ad decipiendas animas.*

Potest tamen mulier licite operam dare ad hoc quod viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur. Unde dicitur I. Cor. 7, 34 quod *Mulier quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* Illae autem mulieres quae viros non habent, nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentivum peccandi: et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris.

Ut Aug. dicit in Ep. ad Possidium 245, al. 73 *fucari pigmentis, quo rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est; qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi quibus solis,* scilicet maritis, *permittendae sunt feminae ornari secundum veniam non secundum imperium.* Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali; sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum.

Sciendum tamen quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta aegritudine vel aliquo hujusmodi: hoc enim est licitum.

De se *pariter* vitiosum est quod mulier utatur veste virili, aut e converso: et praecipue quia hoc potest esse causa lasciviae: et specialiter prohibentur in lege, Deut. 22, quia Gentiles tali mutatione

habitus utebantur ad idololatriae superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi.

Utrum vero artifices hujusmodi ornamenta praeparantes mortaliter peccent, . . . dicendum quod si qua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccant; si qua vero ars sit, cujus operibus homines possunt bene et male uti (sicut gladii, sagittae, et alia hujusmodi) usus talium artium non est peccatum: et hae solae artes sunt dicendae . . . Si *tamen* operibus alicujus artis ut pluries aliqui male utuntur, quamvis de se, non sint illicitae, sunt tamen per officium principis a civitate extirpandae secundum documenta Platonis. Quia ergo mulieres licite se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere ut placeant viris, consequens est quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi forte inveniendo aliqua superflua et curiosa.

(Q. 170.) DE PRAECEPTIS TEMPERANTIAE.

(a. 1.) Praecepta temperantiae in lege divina traduntur, sed negativa: *sic quia* inter vitia temperantiae opposita, maxime dilectioni proximi videtur opponi adulterium, per quod aliquis sibi usurpat rem alienam, abutendo scilicet uxore proximi; ideo inter praecepta decalogi praecipue prohibetur adulterium, non solum secundum quod opere exercetur, sed etiam secundum quod corde concupiscitur . . . Non poterant autem aliqua praecepta communia af-

firmativa de temperantia dari, quia usus ejus variatur secundum diversa tempora, sicut Aug. dicit in l. de bono conjugali, c. 15, et secundum diversas hominum leges et consuetudines . . . Praecepta *vero* decalogi sunt quaedam universalia legis principia: unde oportet ea esse communia.

(a. 2.) Aliqua *etiam* praecepta in decalogo ponuntur pertinentia ad prohibendum effectus vitiorum oppositorum temperantiae partibus: sicut ex ira quae opponitur mansuetudini, procedit interdum aliquis ad homicidium (quod in decalogo prohibetur) aut ad subtrahendum debitum honorem parentibus; quod etiam potest ex superbia provenire, ex qua etiam multi transgrediuntur praecepta primae tabulae.

DE SPECIALIBUS HOMINUM STATIBUS

(Q. 171.) DE PROPHETIA.

Postquam dictum est de singulis virtutibus et vitiis, quae pertinent ad omnium hominum conditiones et status, nunc considerandum est de his quae specialiter ad aliquos homines pertinent. Invenitur autem differentia inter homines secundum ea quae ad habitus, et actus animae rationalis pertinent, tripliciter. Uno quidem modo secundum diversas gratias gratis datas: quia ut dicitur I ad Cor. 12 *divisiones gratiarum sunt:* et *alii datur per spiritum sermo scientiae etc.* Alia vero differentia est secundum diversas vitas, activam scilicet et contemplativam, quae accipiuntur secundum diversa operationum studia: unde et ibidem dicitur, quod *divisiones operationum sunt . . .* Tertio modo secundum diversitatem officiorum, et statuum, prout dicitur ad Eph. 4. 11 *et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores:* quod pertinet ad diversa ministeria, de quibus dicitur I. ad Cor. 12, 5 *divisiones ministrationum sunt.* Est autem attendendum circa gratias gratis datas, de quibus occurrit consideratio prima, quod quaedam earum pertinent ad cognitionem, quaedam vero ad locutionem, quaedam vero ad operationem. Omnia vero quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt.

(a. 1.) Prophetia primo et principaliter consistit in cognitione, quia videlicet prophetae cognoscunt

ea quae sunt procul, et remota ab hominum cognitione . . . Sed quia ut dicitur I. ad Cor. 12, 7 *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem:* et infra c. 14, 12 dicitur: *ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis:* inde est quod prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetae ea quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant . . . Ea autem quae supra humanam rationem divinitus revelantur non possunt confirmari ratione humana . . . unde tertio ad prophetiam pertinet operatio miraculorum, quasi confirmatio quaedam propheticae annuntiationis.

(a. 2.) Lumen propheticum inest animae prophetae per modum cujusdam passionis vel impressionis transeuntis . . . unde prophetia proprie loquendo non est habitus.

(a. 3.) *Quia* cognitio prophetica est per lumen divinum, quo possunt omnia cognosci tam divina quam humana, tam spiritualia quam corporalia, ideo revelatio prophetica ad omnia hujusmodi se extendit . . . *sed* ad prophetiam propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum: unde et nomen prophetiae sumi videtur.

(a. 4.) Non oportet quod *prophetae* omnia prophetabilia cognoscant; sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem hujus vel illius rei.

(a. 5.) *Ut autem* Gregorius dicit super Ezech. hom. 1 : *sciendum est, quod aliquando Prophetae sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt et se hoc ex prophetiae spiritu dicere suspicantur* . . . Mens *enim* prophetae dupliciter a Deo instruitur: uno modo per expressam revelationem; alio modo per quemdam instinctum occultissimum, *quem nescientes humanae mentes patiuntur,* ut Aug. dicit II. super

Gen. ad lit. c. 17. De his ergo, quae expresse per spiritum prophetiae propheta cognoscit, maximam certitudinem habet . . . Sed ad ea, quae cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet ut non plene discernere possit, utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium.

(Q. 172.) DE CAUSA PROPHETIAE.

(a. 1, 2.) Prophetia non est a natura, sed ex dono Spiritus S. . . . . illuminationes autem, et revelationes divinae a Deo ad homines per Angelos deferuntur.

(a. 3.) Non requiritur aliqua dispositio praecedens ad prophetiam, sed dependet ex sola voluntate Spiritus S.: de quo dicitur I. ad Cor. 12, 11 *haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

(a. 4.) *Etiam* Prophetia potest esse sine bonitate morum quantum ad propriam radicem hujus bonitatis. Si vero consideremus bonitatem morum secundum passiones animae, et actiones exteriores, secundum hoc impeditur aliquis a prophetia per morum malitiam. Nam ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem; quae quidem impeditur per vehementiam passionum, et per inordinatam occupationem rerum exteriorum.

(a. 5.) Prophetia proprie et simpliciter dicta fit per solam divinam revelationem: sed ipsa revelatio facta per daemones potest secundum quid dici prophetia. Unde illi, quibus aliquid per daemones revelatur, non dicuntur in Scripturis prophetae simpliciter, sed cum aliqua additione, puta *prophetae falsi, vel prophetae idolorum.*

(a. 6.) Prophetae daemonum non semper loquuntur ex daemonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divina, sicut manifeste legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus, Num. 22, licet esset propheta daemonum: quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenuntiat: tum ut credibilior fiat veritas, quae etiam ex adversariis testimonium habet: tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Unde etiam Sybillae multa vera praedixerunt de Christo . . . . . Ipsa *etiam* doctrina daemonum, qua suos prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quae receptibilis redditur.

(Q. 173.) DE MODO PROPHETICAE COGNITIONIS.

(a. 1.) Visio prophetica non est visio ipsius divinae essentiae, neque in ipsa divina essentia vident ea quae vident, sed in quibusdam similitudinibus, secundum illustrationem divini luminis.

(a. 2.) Prophetica revelatio quandoque quidem fit per solam luminis influentiam, quandoque autem per species de novo impressas, vel aliter ordinatas.

(a. 3.) Quando fit revelatio prophetica secundum formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem a sensibus, ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea que exterius sentiuntur . . . . Non autem fit abstractio a sensibus, quando aliquid repraesentatur menti prophetae per species sensibiles sive ad hoc specialiter formatas divinitus, sicut rubus ostensus Moysi, Exod. 3, et scriptura ostensa Danieli, Dan. 5, sive etiam per alias causas productas.

(a. 4.) Quia mens Prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt

quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit.

(Q. 174.) DE DIVISIONE PROPHETIAE.

(a. 1.) Dividitur prophetia in prophetiam praedestinationis Dei, praescientiae et comminationis.

(a. 2.) Prophetia per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur, secundum intellectualem visionem, est dignior quam illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum, secundum imaginariam visionem.

(a. 3.) *Quia* prophetia in qua per lumen intelligibile revelatur aliqua veritas supernaturalis per imaginariam visionem, medium gradum tenet inter illam prophetiam, in qua revelatur supernaturalis veritas absque imaginaria visione, et illam in qua per lumen intelligibile absque imaginaria visione dirigitur homo ad ea cognoscenda, vel agenda, quae pertinent ad humanam conversationem, ... ideo consequens est quod gradus prophetiae proprie dictae distinguantur secundum imaginariam visionem.

(a. 4.) Licet quantum ad aliquid aliquis alius prophetarum fuerit major Moyse, simpliciter tamen Moyses fuit omnibus aliis major... *ut* dicitur Deut. ult. 10: *non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moyses.*

(a. 5.) *Quia* prophetia importat visionem quamdam alicujus supernaturalis veritatis, ut procul existentis... nullo autem modo beati sunt procul *cum non peregrinentur a Domino*, unde sancti non possunt dici prophetae.

(a. 6.) Prophetia in quantum ordinatur ad finem Deitatis, crevit secundum tres temporum distinctiones; scilicet ante legem, sub lege et sub gratia.

Nam ante legem, Abraham et alii patres prophetice sunt instructi de his quae pertinent ad fidem Deitatis. Unde et prophetae nominantur, secundum illud Psal. 104, 15 *in prophetis meis nolite malignari*: quod specialiter dicitur propter Abraham et Isaac. Sub lege autem facta est revelatio prophetica de his quae pertinent ad fidem Deitatis excellentius quam ante: quia jam oportebat circa hoc institui non solum speciales personas, aut quasdam familias, sed totum populum. Unde Dominus dicit Moysi, Exod. 6, 2 *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente; et nomen meum Adonai non indicavi eis*: quia scilicet praecedentes patres fuerant instructi in fide de omnipotentia unius Dei; sed Moyses postea plenius fuit instructus de simplicitate divinae essentiae, cum dictum est ei Exod. 3, 14. *Ego sum qui sum*: quod quidem nomen significatur a Judaeis per hoc nomen *Adonai*, propter venerationem illius ineffabilis nominis. Postmodum vero tempore gratiae ab ipso Filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis, secundum illud Matth, ult. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Quantum vero ad fidem incarnationis Christi, manifestum est quod *prophetae* quanto fuerunt Christo propinquiores, sive ante, sive post, ut plurimum plenius de hoc instructi fuerunt; post tamen plenius quam ante, ut Ap. dicit, Ephes. 3.

Quantum vero ad directionem humanorum actuum, prophetica revelatio diversificata est, non secundum temporis processum, sed secundum conditionem negotiorum: quia ut dicitur Prov. 29, 18 *cum defecerit prophetia dissipabitur populus*. Et ideo quolibet tempore instructi sunt homines divinitus de agendis, secundum quod erat expediens ad salutem electorum.

(Q. 175.) DE RAPTU.

(a. 1.) Raptus violentiam quamdam importat... et ideo oportet quod ille qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur in aliquid quod est diversum ab eo in quod ejus inclinatio tendit... Anima hominis dupliciter dicitur rapi in id quod est praeter naturam: uno modo quantum ad terminum raptus; puta quando rapitur ad poenas, secundum illud Psal. 44, 22 *Ne quando rapiat, et non sit qui eripiat:* alio modo quantum ad modum homini connaturalem, qui est ut per sensibilia intelligat veritatem. Et ideo quando abstrahitur a sensibilium apprehensione, dicitur rapi, etiamsi elevetur ad ea, ad quae naturaliter ordinatur; dum tamen hoc non fiat ex propria intentione; sicut accidit in somno, qui est secundum naturam, unde non potest proprie raptus dici.

Hujusmodi autem abstractio, ad quaecumque fiat, potest ex triplici causa contingere. Uno modo ex causa corporali; sicut accidit in his qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur: secundo modo ex virtute daemonum; sicut patet in arreptitiis: tertio modo ex virtute divina: et sic loquimur nunc de raptu, prout scilicet aliquis spiritu divino elevatur ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus, secundum illud Ezech. 8, 3 *Spiritus elevavit me inter coelum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei.*

Sciendum tamen, quod rapi quandoque dicitur aliquis non solum propter alienationem a sensibus, sed etiam propter alienationem ab his quibus intendebat; sicut cum aliquis patitur vagationem mentis praeter propositum. Sed hoc non ita proprie dicitur.

(a. 3.) Paulus in raptu vidit Dei essentiam... *ut* Aug. determinat in lib. de videndo Deum ad Paulinam, Epist. 147, al. 112: *ipsa Dei substantia a quibusdam videri potuit in hac vita positis, sicut a Moyse et Paulo, qui raptus audivit ineffabilia verba quae non licet homini loqui* .... Hujusmodi autem videntur ea quae pertinent ad visionem beatorum, quae excedit statum viae secundum illud Isaiae 64, 4. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te... Et* quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit actum beatorum, consequens est ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei; fuit tamen simul tunc in eo fidei habitus.

(a. 4.) Paulus in illo statu fuit alienatus a sensibus ... (a. 6.) Utrum *autem* ignoraverit an anima ejus fuerit a corpore separata II. Cor. 12, 2 ... dicendum quod et prius et postea nescivit, utrum ejus anima fuerit a corpore separata. Unde Aug. dicit XII sup. Gen. ad litt. c. 5. post longam inquisitionem concludens: *Restat ergo fortasse ut hoc ipsum eum ignorasse intelligamus, utrum quando in tertium Coelum raptus est, in corpore fuerit anima, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur sive vigilantis, sive dormientis, sive in extasi a sensibus corporis alienati, an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret.*

(Q. 176.) DE GRATIA LINGUARUM.

Deinde considerandum est de gratiis gratis datis, quae pertinent ad locutionem: et primo de gratia linguarum; secundo de gratia sermonis sapientiae, seu scientiae.

(a. 1.) Dicitur Act. 2, 4, quod *repleti sunt omnes Spiritu S. et coeperunt loqui variis linguis, prout*

Spiritus S. dabat eloqui illis. Et sane primi discipuli Christi ad hoc fuerunt ab ipso electi, ut per universum orbem discurrentes, fidem ejus ubique praedicarent, secundum illud Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes* . . Illi etiam qui mittebantur, pauperes et impotentes erant; nec de facili a principio reperissent qui eorum verba aliis fideliter interpretarentur, vel verba aliorum eis exponerent, maxime quia ad infideles mittebantur. Et ideo necessarium fuit ut super hoc eis divinitus provideretur per donum linguarum.

(a. 2.) Apost. dicit I. ad Cor. 14, 5. *Major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis:* unde donum prophetiae excedit donum linguarum.

(Q. 177.) DE GRATIA GRATIS DATA, QUAE CONSISTIT IN SERMONE.

(a. 1.) Quia Spiritus Sanctus non deficit in aliquo quod pertineat ad Ecclesiae utilitatem, etiam providet membris Ecclesiae in locutione non solum ut aliquis sic loquatur ut a diversis possit intelligi, quod pertinet ad donum linguarum; sed etiam quod efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis.

(a. 2.) Apost. dicit 1. Cor. 14, 34. *Mulieres in Ecclesia taceant:* et 1. ad Tim. 2. 12. *Docere mulieri non permitto.* Hoc autem pertinet ad gratiam sermonis; ergo gratia sermonis non competit mulieribus . . . nisi privatim ad unum vel paucos, familiariter colloquendo.

(Q. 178.) DE GRATIA MIRACULORUM.

(a. 1.) Quia Spiritus S. sufficienter providet Ecclesiae in his, quae sunt utilia ad salutem ad quod ordinantur gratiae gratis datae, *et quia* necesse est ut sermo prolatus confirmetur, ad hoc quod credibilis fiat; hoc autem fit per operationem miraculorum, . . . ideo operatio miraculorum pertinet ad gratiam gratis datam.

(a. 2.) Ad veritatis praedicatae confirmationem... miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem praedicat et nomen Christi invocat: quod etiam interdum per malos fit . . . Ad demonstrationem autem sanctitatis alicujus . . . non fiunt miracula nisi a Sanctis, ad quorum sanctitatem demonstrandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam post mortem, sive per eos, sive per alios.

(Q. 179.) DE DIVISIONE VITAE IN ACTIVAM, ET CONTEMPLATIVAM.

Consequenter considerandum est de vita activa, et contemplativa.

(Q. 180.) DE VITA CONTEMPLATIVA.

(a. 1.) Gregorius hom. 14. in Ezech. constituit vitam contemplativam in charitate Dei, in quantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem conspiciendam.

(a. 4.) Ordine quodam quatuor ad vitam contemplativam pertinent: primo quidem virtutes morales: secundo autem alii actus praeter contempla-

tionem; tertio vero contemplatio divinorum effectuum; quartum vero completivum est ipsa contemplatio divinae veritatis.

(a. 1.) Utrum vita contemplativa secundum statum hujus vitae possit pertingere ad visionem divinae essentiae, . . . dicendum, quod sicut Aug. dicit XII sup. Gen. ad litt. c. 27: *nemo videns Deum vivit ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis; sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive alienatus a carnalibus sensibus, in illam non subvehitur visionem* . . . Et hic supremus gradus contemplationis praesentis vitae est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum praesentis vitae, et futurae.

(Q. 181.) DE VITA ACTIVA.

(a. 1.) Cum exterior operatio sit ad quam ordinatur vita activa, . . . manifestum est quod virtutes morales pertinent essentialiter ad vitam activam . . . (a. 2.) *Ut autem* Greg. dicit super Ezech. c. 14. *Activa vita est panem esurienti tribuere, verba sapientiae nescientem docere* . . . (a. 3.) et ibid. *Cum praesenti saeculo vita aufertur activa; contemplativa autem hic incipitur, ut in coelesti patria perficiatur.*

(Q. 182.) DE COMPARATIONE VITAE ACTIVAE AD CONTEMPLATIVAM.

(a. 1.) Dominus dicit Lucae 10, 43 *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea;* per Mariam autem significatur vita contemplativa; ergo contemplativa vita potior est quam activa . . (a. 2.) Est etiam majoris meriti . . . Radix *enim* meriti est charitas. Cum autem charitas consistat in dilectione

Dei, et proximi; Deum diligere secundum se est magis meritorium quam diligere proximum... Vita autem contemplativa directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei.

(a. 3.) Vita activa impedit contemplativam inquantum impossibile est quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, et divinae contemplationi vacet... *Sed* vita activa quantum ad hoc quod interiores animae passiones componit et ordinat, adjuvat ad contemplationem, quae impediretur inordinatione interiorum passionum.

(Q. 183.) DE OFFICIIS ET VARIIS STATIBUS HOMINUM IN GENERALI.

Consequenter considerandum est de diversitate statuum, et officiorum humanorum: et primo considerandum est de officiis, et statibus hominum in generali; secundo specialiter de statu perfectorum.

(a. 1.) Status proprie loquendo significat quamdam positionis differentiam, secundum quam aliquid disponitur secundum modum suae naturae.

(a. 2.) Diversitas statuum et officiorum in Ecclesia pertinet ad perfectionem ipsius Ecclesiae... et hoc est quod Ap. dicit Ephes. 4, 2 *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum.*

(a. 3.) Officia per actus distinguuntur... (a 4.) differentia *vero* statuum attenditur secundum incipientes, proficientes, et perfectos.

(Q. 184.) DE HIS QUAE PERTINENT AD STATUM PERFECTIONIS IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad statum perfectionis, ad quem alii status ordinantur. Nam consideratio officiorum, quantum quidem ad alios, pertinet ad legis positores; quantum autem ad sacra ministeria pertinet ad considerationem ordinum, de quibus in tertia parte agetur.

Circa statum autem perfectorum triplex consideratio occurrit: primo quidem de statu perfectionis in communi; secundo de his quae pertinent ad perfectionem Episcoporum; tertio de his quae pertinent ad perfectionem Religiosorum.

(a. 1.) Perfectio Christianae vitae attenditur specialiter secundum charitatem.

(a. 2.) Quia lex divina non inducit ad impossibile; inducit autem ad perfectionem; secundum illud Matth. 5, 48: *Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est;* ergo videtur quod aliquis in hac vita possit esse perfectus, . . . *non ea* perfectione, quae attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, . . . quae competit soli Deo, in quo bonum integraliter, et essentialiter invenitur . . . neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc quod semper actu feratur in Deum . . . quae perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria, . . . sed quantum ad hoc quod excludantur ea quae repugnant motui dilectionis in Deum, sicut Aug. dicit, 9. 36 quod *venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas.*

(a. 3.) Perfectio essentialiter consistit in praeceptis . . . . Secundario autem et instrumentaliter consistit in consiliis.

(a. 4.) In statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc quod habet actum dilectionis

perfectae, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea, quae sunt perfectionis . . . Et ideo nihil prohibet aliquos esse perfectos qui non sunt in statu perfectionis, et aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti.

(a. 5.) Religiosi et Episcopi sunt in statu perfectionis . . . Religiosi enim se voto astringunt ad hoc, quod a rebus saecularibus se abstineant, quibus licite uti poterant, ad hoc quod liberius Deo vacent: in quo consistit perfectio praesentis vitae... Similiter etiam Episcopi obligant se ad ea quae sunt perfectionis pastorale assumentes officium; ad quod pertinet *ut animum suam ponat pastor pro ovibus suis.*

(a. 6.) *Non tamen* omnes praelati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. . . . Sane in presbyteris et diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari, ordo et cura . . . Per hoc *autem* quod aliqui suscipiunt ordinem, accipiunt potestatem quosdam sacros actus perficiendi; non autem obligantur ex hoc ipso ad ea quae sunt perfectionis, nisi quatenus apud Occidentalem Ecclesiam in susceptione sacri ordinis emittitur continentiae votum, quod est unum eorum quae ad perfectionem pertinent, ut infra dicetur, q. 186, a. 4. Unde patet quod ex hoc quod aliquis accipit sacrum ordinem, non ponitur simpliciter in statu perfectionis; quamvis interior perfectio ad hoc requiratur quod aliquis digne hujusmodi actus exerceat.

Similiter etiam nec ex parte curae, quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis. Non enim obligantur ex hoc ipso vinculo perpetui voti ad hoc quod curam animarum retineant; sed possunt eam deserere, vel transeundo ad religionem, etiam absque licentia Episcopi, ut habetur in Decretis 19, q. 2, vel etiam cum licentia Episcopi potest aliquis Ar-

chidiaconus Archidiaconatum, vel Parochiam dimittere, et simplicem praebendam accipere sine cura: quod nullo modo liceret si esset in statu perfectionis. *Nemo enim manum mittens ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei,* ut dicitur Lucae 9, 62.

Episcopi autem quia sunt in statu perfectionis, nonnisi auctoritate summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt episcopalem curam deserere, et ex certis causis ut infra dicetur. Unde manifestum est quod non omnes praelati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi.

(a. 7.) In genere perfectionis, secundum Dionysium c. 5 et 6 Coel. Hier. Episcopi se habent ut perfectores, religiosi autem ut perfecti, quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem. Unde manifestum est quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in religiosis.

Quod si dicas: Status religiosorum ordinatur ad vitam contemplativam, quae potior est quam vita activa, ad quam ordinatur status Episcoporum, . . . respondeo quod hoc ipsum quod Episcopi intendunt his quae pertinent ad proximorum dilectionem, provenit ex abundantia dilectionis divinae. Unde Dominus primo a Petro quaesivit an eum diligeret, et postea ei sui gregis curam commisit . . . Hoc autem est majoris dilectionis signum ut homo propter amicum etiam aliis serviat, quam si soli amico velit servire . . . Dicendum *etiam* quod, sicut Greg. dicit in Pastorali, p. 2, c. 1: *sit praesul actione praecipuus, prae cunctis contemplatione suspensus:* quia ad ipsos pertinet non solum propter seipsum, sed propter instructionem aliorum contemplari.

(a. 8.) Religiosi vero sunt perfectiores quam Archidiaconi, vel Presbyteri curati.

(Q. 185.) DE HIS QUAE PERTINENT AD STATUM EPISCOPORUM.

(a. 1.) Appetere Episcopatum ratione circumstantium bonorum, manifestum est quod est illicitum, et pertinet ad cupiditatem vel ambitionem... Quantum autem ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum, est praesumptuosum... Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile et virtuosum.

(a. 2.) Sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc quod aliorum gubernationi praeficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis omnino contra superioris injunctionem, praedictum gubernationis officium finaliter recuset.

(a. 3.) Ille qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiae, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere, et defendere, et pacifice gubernare... Ex parte autem ejus qui assumitur, non requiritur quod reputet se aliis meliorem: hoc enim esset superbum et praesumptuosum; sed sufficit quod nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium.

(a. 4.) Episcopus tamdiu obligatur ad hoc quod curam pastoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem: quam quidem negligere non debet, neque propter divinae contemplationis quietem; cum Apostolus propter necessitatem subditorum etiam a contemplatione futurae vitae se differri patienter toleraret, Philip. 1, 22... neque propter quaecumque adversa vitanda, vel lucra conquirenda....

(a. 5.) Imo ubi subditorum salus exigit personae pastoris praesentiam, non debet Pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiae; vel propter personae periculum corporaliter gregem deserere.

(a. 6.) *Cum* Episcopi in sua ordinatione ad hoc non se obligent ut absque proprio vivant: neque etiam vivere absque proprio ex necessitate requiratur ad pastorale officium, ad quod se obligant; ideo non tenentur Episcopi ad hoc quod sine proprio vivant.

(a. 7.) Episcopi Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores vel procuratores ... Sunt autem bona ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum divinum, et necessitates ministrorum expendenda. Unde dicitur 12. q. 2. c. 28 *De redditibus Ecclesiae vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his una portio remittatur; duae ecclesiasticis Fabricis, et erogationi pauperum profuturae, a presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur; ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur.* Si ergo distincta sint bona, quae debent in usum Episcopi cedere, ab his quae sunt pauperibus, et ministris, et cultui Ecclesiae eroganda, et aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quae sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda, non est dubium quin contra fidem dispensationis agat, et mortaliter peccet, et ad restitutionem teneatur. De his autem quae sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse

eadem ratio quae est de propriis bonis ut scilicet, propter immoderatum affectum, et usum peccet quidem, si immoderate sibi retineat, et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.

Si vero non sunt praedicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur; et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonae fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet; si vero sit multus excessus, non potest latere: unde videtur bonae fidei repugnare: et ideo non est absque peccato mortali.

(a. 8.) Ille qui fit de Monacho Episcopus, absolvitur a jugo monasticae professionis non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quae officio pastorali repugnant . . : sicut est solitudo, silentium, et aliquae abstinentiae, vel vigiliae graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale officium . . . *Sed* ad continentiam, paupertatem, et alia hujusmodi, remanet religiosus etiam factus Episcopus obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae religionis, qui est hujus obligationis signum . . . Proprium nullo modo habere potest. Nec paternam haereditatem *potest* vindicare quasi propriam, sed quasi Ecclesiae debitam . . . Testamentum nullo modo facere potest . . . *nisi* ex concessione Papae.

(Q. 186.) DE HIS IN QUIBUS RELIGIONIS STATUS PRAECIPUE CONSISTIT.

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad statum religionis. Circa quod occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de his in quibus principaliter consistit religionis status. Se-

cunda de his, quae religiosis licite convenire possunt. Tertia de distinctione religionum. Quarta de religionis ingressu.

(a. 2.) Perfectio charitatis est finis status religionis. Status autem religionis est quaedam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi; ad quam quidem aliqui pervenire nituntur exercitiis diversis; sicut etiam medicus ad sanandum uti potest diversis medicamentis. Manifestum est autem quod ille qui operatur ad finem, non ex necessitate convenit quod jam assecutus sit finem, sed requiritur quod per aliquam viam tendat ad finem, et ideo ille qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem; sed tenetur ad hoc tendere, et operam dare ut habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc quod illa impleat quae ad perfectionem charitatis consequuntur; tenetur autem ut ad ea implenda intendat: contra quod facit contemnens; unde non peccat si ea praetermittat, sed si ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa quae determinate sunt ei taxata secundum regulam quam professus est.

(a. 3.) Paupertas voluntaria requiritur ad perfectionem status religiosi, (a. 4.) *etiam* perpetua continentia, (a. 5.) et obedientia, (a. 6.) *quae* cadant sub voto, (a. 7.) *et in* his tribus votis dicitur consistere religionis perfectionem . . . (a. 8.) Votum *vero* obedientiae est potissimum inter tria vota religionis, . . . quia per votum obedientiae aliquid melius homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem... et votum obedientiae est religioni essentialius.

(a. 9.) Trangressio horum trium votorum obligat ad mortale; aliarum vero exteriorum observantiarum transgressio non obligat ad mortale: nisi

vel propter contemptum regulae, quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam; vel propter praeceptum sive oretenus a praelato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiae votum . . : (a. 10.) dicendum *etiam quod* religiosus eodem genere peccati gravius peccat quam saecularis.

(Q. 187.) DE HIS QUAE COMPETUNT RELIGIOSIS.

(a. 1.) Religiosis licet docere, praedicare, et alia hujusmodi facere, . . . non licet autem Monachis . . . quia status religionis non dat eis potestatem hujusmodi faciendi.

(a. 2.) Causa cupiditatis saecularia negotia nec Monachis gerere, nec Clericis licet; causa vero charitatis se negotiis saecularibus cum debita moderatione ingerere possunt, secundum Superioris licentiam in ministrando et dirigendo.

(a. 3.) Religiosi non magis tenentur manibus operari quam saeculares . . . nisi forte ad hoc per statuta sui Ordinis obligentur.

(a. 4.) Religiosi licite possunt de eleemosynis vivere, (a. 5.) et mendicare, (a. 6.) *illisque* competit vilitas vestium: quia religio est status poenitentiae, et contemptus mundanae gloriae.

(Q. 188.) DE DIFFERENTIA RELIGIONUM.

(a. 1.) Status religionis est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis; sunt autem diversa charitatis opera, quibus homo vacare potest: sunt etiam diversi modi exercitiorum; et ideo religiones distinguuntur *ab invicem.*

(a. 2.) Convenienter religiones quaedam ad opera vitae activae ordinantur... (a. 3.) *et etiam* ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem divini cultus, et publicae salutis, vel etiam pauperum, et oppressorum, secundum illud Psal. 81, 4: *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* (a. 4.) *Etiam ad* docendum populum per praedicationem, et alia hujusmodi opera . . . (a. 5.) *et* ad studium litterarum.

(a. 6.) Summum gradum in religionibus tenent quae ordinantur ad docendum, et praedicandum, quae propinquissimae sunt perfectioni Episcoporum . . . . . Secundum autem gradum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quae occupantur circa exteriores actiones.

(a. 7.) Tribus gradibus religionum suprapositis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis religionibus quae ordinantur ad corporales actiones activae vitae, competit habere abundantiam divitiarum communium: illis autem religionibus quae sunt ordinatae ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas; nisi simul oporteat tales religiosos per se vel per alios hospitalitatem tenere, et pauperibus subvenire: illis autem quae ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maxime ab exterioribus sollicitudinibus expeditam: quod quidem fit dum modica quae sunt necessaria vitae, congruo tempore procurata conservantur . . . . *ita tamen* quod singuli utantur his, quae pertinent ad necessaria vitae, et quod communiter conserventur . . . *ut* Christus docuit suo exemplo, et discipuli post resurrectionem, a quibus omnis religio sumpsit originem, pretia praediorum conservabant, et distribuebant, prout cuique opus erat.

(a. 8.) Sicut id quod jam perfectum est, praeeminet ei, quod ad perfectionem exercetur; ita vita solitariorum, si debite assumatur praeeminet vitae sociali. Si autem absque praecedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per divinam gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur: sicut patet de beatis Antonio, et Benedicto.

(Q. 189.) DE RELIGIONIS INGRESSU.

(a. 1.) Religionem ingredi non solum expedit his qui sunt exercitati in praeceptis, ut ad majorem perfectionem perveniant; sed etiam his qui non sunt exercitati, ut facilius peccata vitent, et perfectionem assequantur.

(a. 2.) Obligari voto ad religionis ingressum est secundum se laudabile. Duplex *autem* est religionis votum: unum solemne quod hominem facit Monachum, vel alterius religionis Fratrem, quod vocatur professio: et tale votum debet praecedere annus probationis. Aliud autem est votum simplex, ex quo aliquis non fit Monachus, vel religiosus, sed solum obligatur ad religionis ingressum: et ante tale votum non oportet praecedere probationis annum.

(a. 3.) Ille qui se obligat ad religionis ingressum, tenetur religionem ingredi secundum quod se voto obligare intendit . . . (a. 4.) *Quod si* in vovendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam juris communis; quae est ut ingredientibus detur annus probationis. Unde non tenetur perpetuo in religione permanere.

(a. 5.) Legitima aetas ad hoc quod aliquis tondeatur cum voto solemni professionis, est tempus pubertatis, in quo homo potest uti spontanea voluntate; sed ante annos pubertatis potest esse legitima aetas ad hoc quod aliquis tondeatur in religione nutriendus . . . . Unde sicut B. Greg. dicit in II. Dial. c. 3. *B. Benedicto Romani nobiles suos filios omnipotenti Deo nutriendos dare coeperunt:* quod est valde expediens secundum illud Thren. 3, 27. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua* . . . Pueri *vero* sicut non coguntur ad jurandum, sicut Canon dicit, ita non coguntur ad vovendum. Si tamen voto, vel juramento se adstrinxerint ad aliquid faciendum, obligantur quoad Deum, si habeant usum rationis; sed non obligantur quoad Ecclesiam ante quatuordecim annos.

(a. 6.) Parentibus in necessitate existentibus; ita quod eis commode aliter quam per obsequium filiorum subveniri non possit, non licet filiis, praetermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt, praetermisso parentum obsequio, filii religionem intrare etiam contra praeceptum parentum: quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea, quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in his, quae sunt divini obsequii.

(a. 8.) Transire de religione ad religionem, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem, non est laudabile . . . Potest tamen aliquis laudabiliter de una religione transire ad aliam triplici ex causa. Primo quidem zelo perfectioris religionis . . . Secundo propter declinationem religionis a debita perfectione: puta si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad religionem etiam minorem, si melius observetur...

Tertio propter infirmitatem vel debilitatem; ex qua interdum provenit quod non potest aliquis arctioris religionis statuta servare, posset autem servare statuta religionis laxioris. Sed in his tribus casibus *requiritur licentia vel dispensatio.*

(a. 4.) Inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum praemium merentur. Dicitur enim Jac. ult. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum:* et Dan. 12, 3 dicitur, quod *qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Posset tamen contingere circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio. Primo quidem si violenter aliquis alium ad religionem cogeret: quod prohibetur in Decr. 20. q. 3, c. *praesens.* Secundo si aliquis simoniace alium ad religionem trahat, muneribus datis, ut prohibetur in Decr. ibid. q. 2. Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministrat in saeculo nutriens eum ad religionem, vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertio si mendaciis eum alliciat: imminet enim sic inducto periculum ne cum se deceptum invenerit, retrocedat; et sic *fiant novissima illius hominis pejora prioribus,* ut dicitur Luc. 11. 26.

APPENDIX

ADNOTATIONUM

IN SECUNDAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGICAE

D. THOMAE AQUINATIS

Si quid est quod in eximiam Angelici Doctoris admirationem alliciat, dubio procul principem sibi vindicat locum secunda ejus Theologicae Summae pars, qua divinorum humanorumque officiorum jura complectitur. Tanta siquidem est soliditas, ut omnes quotquot moralibus disciplinis operam navant, suas disquisitiones, decisionesque hoc D. Thomae opere fulciri glorientur, nec ab eo vel latum unguem discedere religioni sibi ducunt; rerum autem plerumque adeo dissitarum felicissima ab eo instituta connexio perspicacissimam penitusque singularem, ac Numinis claritate perfusam ejus mentem ostendit, nec alia unquam praestantior, et geometricae severitati conformior visa est methodus, cui et Schram nuperis annis in suis Theol. Instit. e vestigio inhaerere satius existimavit.

Bifariam haec altera Summae pars dispescitur: in prima inquirit prius de humanorum actuum fine, seu beatitudine, a q. 1 ad 5; dein de actibus humanis a q. 6 ad 21; postea de passionibus animae a q. 22 ad 54; subinde de virtutibus et vitiis, ac peccatis a q. 55 ad 89. De legibus autem a q. 90 ad 108; de Gratia a q. 109 ad 114, quae est postrema hujusce primae partis. In secunda vero agit de Virtutibus Theologicis a q. 1. ad 46; deinde de Virtutibus Cardinalibus a q. 47 ad 170; ultimo de specialibus hominum statibus a q. 171 ad ultimam secundae partis 189.

Huic porro amplissimae segeti collustrandae non nisi quatuor Capita apposuimus, videlicet tractatui de Legibus, de Gratia, de Virtutibus Theologicis, deque Virtutibus Cardinalibus. Reliqui vero tractatus sine adnotationibus reliquimus, cum iis minus indigere existimaverimus. Nihilominus haud silendum videtur, circa actus humanos praesertim plurimum dissidii proximioribus duobus saeculis inter Casuistas efferbuisse, invecta probabilismi, probabiliorismi, ac tutiorismi doctrina. Quidam arbitrati sunt licere ad agendum opinionem sequi minus probabilem in concursu alterius probabilioris; alii ex opposito nonnisi tutissimis fundamentis agere oportere dixerunt: primi probabilistae, alii tutioristae appellati. Qui vero inter opiniones utrinque rationum auctoritatisque momentis innixas, probabiliorem, immo aliquando tutiorem; e. g. ubi de valore Sacramenti agitur, sequendam esse pronuntiant, probabilioristae audiunt, et hi certe media tutaque incedunt via ab Ecclesia adprobata, dum alii utpote in adversos excessus ruentes, moralem deturparunt, ac plures eorumdem propositiones merito damnationem subiere, cujusmodi e. g. quaedam inter illas ab Innocentio XI die 2 Martii an. 1679 nu. 65 prohibitas, et inter 31 ab Alexandro VIII proscriptas 7 Dec. an. 1690, sicut antea idem Pontifex 24 Aug. ejusdem anni duas alias propositiones reprobaverat de peccatis; hasque omnes inspicito ad calcem Theol. Moral. P. Antoine, t. 3. et apud alios. Clerus Gallicanus praesertim in istiusmodi circa humanos actus novitates fortiter egit, et serpentes errores ad Apostolicam Sedem vigili detulit zelo. Caveas tamen ne quotquot probabilistas vulgo nuncupare audis, praefata opinionum laxitate foedatos existimes, sicut nec tutioristas quosdam latiori tantum sensu sic appellatos. Ingens librorum turbo a variis harumce opinionum sectatoribus, ac impugnatoribus prodiit, nec infrequenter calumniae veritatum loco in invidiam, ac dedecus horumce Scriptorum prolatae fuere.

Pro more praecipuos morum tractatores exhibere in praesentiarum nobis incumberet, at ad relativos potius tractatus in sequentibus Capitibus id praestabimus, indicatis mox dumtaxat cordatioribus hujusce scientiae Scriptoribus, cujusmodi Besombes, Antoine, Cuniliati, ac nuper P. Scarpazza in anonymo Opere *Teologia Morale, ossia Compendio di Etica Cristiana* pluries perpaucis hisce annis Venetiis cuso; etc.

CAPUT PRIMUM

§ 1.

De Legibus.

In Q. 90 usque ad 106.

Tractatum adnotationibus illustrandum aggredimur hodiernis Philosophis auspicatissimum, simulque eorum hallucinationibus foedatissimum, videlicet de Legibus, quibus hominum mores, ac societatis vincula continentur. Quamquam et in aliis sacrae doctrinae partibus erronum monstra per se pateant in iis qui a veritate auditum avertunt, et ad fabulas convertuntur, in hac speciatim majori quodam dedecore se produnt, justo equidem Dei judicio, ut qui ejus oraculis mentem submittere detrectant, pejores fiant equis et mulis quibus non est intellectus. Ita sane evenire ingemiscimus quotiescumque pseudo-Sapientum de legum principiis effata, et codices morum introspiciuntur: vix enim unquam Deum ceu primum legislatorem, legumque omnium nobilissimum finem nequidem nominatum reperias, immo potius Dei idea ceu liberis philosophis indigna, solisque pusillanimis propria theologis ablegata, vagas legum theorias, inanes definitiones, noxia consectaria, terrenum scopum offendes, prout ab iis expectandum necesse est qui dicunt in corde suo non est Deus, ac interim corrupti et abominabiles facti sunt in studiis suis; nec ideo mirum si talia legum documenta sibi cudere satagant quae a suis non discrepent moribus; et quamvis non omnes in hoc probrum acciendi sint, qui de natura legum philosophice disquisiere, nihilo secius haec duo generice tenenda sunt, videlicet si a Deo praescindunt, eos in hoc saltem necessario errare quod legibus intrinsecam vim, finem condignum, ac immobilem adimant sanctionem; si vero quidpiam recti proprio rationis acumine sese adinvenisse glorientur, atque proponant, perperam eos de hoc sibi blandiri, sed luci per J. C. in orbem illatae et librorum, ac educationi adminiculis

acquisitae totum deberi acceptum referre. Sat enim quae D. Thomas in hac prima secundae partis, ac in altera dein, de moribus mirifice tradit, perspicere, speciatim ubi de Beatitudine quae est ultimus hominis terminus, deque Legibus quae ad hunc finem aucupandum diriguntur, ut aliorum Legumlatorum vana intumescentia evanescat, vixque ultimo subsellio digni inveniantur. Neque heic veterum Populorum Sophorumque errores varios in hominum vitiis virtutibusque singillatim aestimandis lance exigemus, ac multo minus fabularum, ac supestitiosi cultus deliria impudentissima in deificandis quandoque criminibus, ideisque sacro-profanis impie commiscendis intuebimur, sed potius nonnullos praecipue aetatis nostrae de legum principiis errores in medium afferemus, ut quid ab hisce debacchantibus, ac ventosis Sycophantis nobis polliceri possimus, eluceat. Schmausius asseruit *hominem* exlegem fuisse a Deo conditum, malique metum esse fontem omnis obligationis. Lutherus vero et Calvinus dixerunt Christianos per Baptismum ab omni legum observandarum obligatione eximi dummodo fidem servent, immo et vota per illum irrita reddi; quos errores censorio mucrone perculit Trid. Conc. sess. 7, can. 7. 8, 9: Anabaptistae pariter legum jugum excussere, libertati evangelicae a Luthero praedicatae inhaerentes. Thomasius, ac Fleischerus leges divino-naturales intra solius consilii limites concludunt. Hobbes et Spinosa totius juris omniumque legum basim statuunt in sui ipsius conservatione, proindeque licere quidquid vires suppetunt, ac naturalem hominis statum bellicosum ponunt, sicut obligationem parendi in resistendi impotentia, adeout ipse Deus non aliunde imperandi jus habeat nisi quia omnipotens, et per consequens quia homo ei resistere nequit. Praefati Auctores cum aliis quibusdam jus omne adimunt dum humanas actiones necessarias esse garriunt. Pufendorfius et Wolfius jus naturae ad praesentis vitae felicitatem dirigunt, ac ideo epicureismo favere videntur, multoque magis Materialistae qui juris legumque vim a sensationibus derivant, quatenus quod displicet injustum reputemus, et justum quod placet, legumque obligationem in utilitate collocant, ut mala et contemptus effugiantur, benevolentia vero, laus et commoda concilientur; nec defuit etiam qui intrinsecum virtutis decus rejecerit, cujusmodi Hubnerus. Quidam primitivum hominis statum sylvestrem, ac solitarium et liberum somniantes, cum Hobbesio, Puffendorf, Rousseau, vel ferinum cum Vico, vel amori proprio, vel mutuarum necessitatum

commiserationi, vel praepotenti dominandi aestui, vel collatis pactionum statutis jus omne legumque auctoritatem attribuunt. Court de Gebelin in suo *Monde primitif* morum legumque vim in *magno ordine*, constituit; parum solicitus de hujusce magni ordinis intima significatione pandenda, etsi ejus nomine simul intelligat physicam et moralem rerum harmoniam, vultque homines a mundi exordio usque ad an. 800 ante aeram nostram juxta hunc ordinem vixisse, dein aberrasse, et bella emersisse etc.

Porro haec omnia multiplicia erronum monstra ex iis quae D. Thomas ea qua praecellit accurata subtilique abstrusiorum indagine rerum, in prima, et secunda secundae agit praesertim ubi de Beatitudine quae est ultimus hominis finis, nec non ubi de legibus, ac de jure, plurimum percelluntur, indeque velut nitidissimi eruuntur radii, qui oppositorum deliriorum tenebras disperdant; simulque putidam Pufendorfii, Thomasii aliorumque e Germanis Protestantibus juris peritis calumniam prodant, dum Ecclesiae Patres, ac Scholasticos omnes ante suum Grotium, qui separatim jus naturae et gentium enucleare coepit, velut eo ignaros obtrudere volunt, ut totam sibi in hac sparta adornanda gloriam exclusive vindicent, dum potius deflendi occasionem praebuerint viri isti caeteroquin eruditionis ingeniique laude praestantes, eo quod vaga nimis, ac plerumque abstracte a Deo, ac religione vera, juris principia pro homine generatim tradiderint, unde facilis incredulorum, Deistarum, Atheorumque abusus effluxit, alique potuit. Jamque Bayle possibilem Atheorum rempublicam sibi confingere est ausus, quasi vero verius non sit quod Lactantius, *de ira Dei*, c. 8 inquit: *Tolle hoc vinculum religionis, vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur.* Cordatiores idcirco neotericis dixeris veteres omnes sive Philosophos Lucianum, Platonem, Aristotelem, Socratem, Theophrastum, Pythagoram, Ciceronem, ut apud Brucker, Bonafede, Le Land, sive Populos generatim, qui legum vim a supremo Numinis imperio voluntateque derivarunt adnexa alterius vitae ultione vel praemio, internoque conscientiae testimonio. Quae quidem sublimis, ac necessaria idea non aliunde effluxisse credenda est nisi a primitiva aeterna lege omnium hominum cordibus a Creatore insculpta, adeo ut Gentes *quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes* (scriptam videlicet et positivam Divinam) *ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium red-*

dente illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus Rom. 2, 14. Haec porro naturalis lex ab ipsomet Creatore confirmata fuit, et contra philosophantium figmenta de primigenio hominum statu, legumque origine, videmus in primis Geneseos capitibus praecipua naturalis legis praecepta sanctionemque de praemiis aut poenis hominibus indictam. Jamque tota electi populi historia mirifica hujus primaevae legis testimonia exhibet adjectis etiam positivis praeceptis pro vario hominum statu, et ad tutanda ipsamet naturalia jura contra passionum, ignorantiae, corruptionis, ac idololatriae vulnera, ut apud eumdem D. Thomam in variis quaest. de Legibus; tutoque asserere licet, multo praestantius Patriarchas, Judaeos, et quotquot primis revelationis vestigiis pressius inhaesere, cujusmodi Job. c. 21, 36, leges naturales et rationabiles consecutiones earum calluisse, quam omnes Philosophos *de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere,* ut ait Aug. *tract. 45 in Joan.*

Verum haec eadem saluberrima, ac nitidissima naturalium positivarumque legum divina in Bibliis sacris explicita traditio, quin philosophorum mentes in admirantis gratique animi sensum attrahat, eorum potius furorem concitare videtur, utpote qui ne Deo quidem se submittere volunt, sed praetenso humanae investigationis acumini se devovere, adeoque leges ipsas in Scripturis expressas ad suum tribunal superbe nonminus quam et impie revocare praesumunt, solam naturae legem sufficere autumant: positivas vero explodunt, ac speciatim Mosaicas vituperant circa regimen et cultum religiosum Judaeorum; Evangelicas vero, multoque magis consilia, exprobrant; Ecclesiae legislativam auctoritatem cum Valdensibus, Wiclefitis, Hussitis, et Protestantibus adimunt; a Constantini M. aliorumque Principum favore legum ferendarum abusum inolevisse in Ecclesia volunt, quam in statu sitam considerant, seu civilibus legibus subjectam, et ad summum ejus ministris spiritualem tantummodo directionem concedunt, immo et hanc saepe saepius laico mancipatam.

Ast Censores nostri satne acuto pollent oculo, ut cuncta nativo in lumine videant? Nullane passionum titillatione obnubilantur? Severiores inhiant morum regulas? Vel ipsa

naturae dictamina uniformi calculo determinare legitime queunt? exemplis, executione corroborant? Quo jure prae aliis audiri ambiunt, et Dei oracula sua exigunt lance, et repellere audent? Multiplices sane eorum objectiones inde proprio corruunt pondere, nec nobis vacat eas singillatim persequi ut ignorantiae simul, ac temeritatis absolute eos revincamus; multijuga eruditionis copia, argumentorumque soliditate id praestitere celeberrimi viri de Religionis apologia optime meriti, et idem S. Thomas in hoc de Legibus specimine haereticorum, ac neotericorum philosophantium calumnias et ceratinas evertit. Legum positivarum utilitatem commonstrat q. 91. Legem veterem bonam fuisse comprobat q. 98 contra Marcionitas, aliosque dualistas, eam a principio malo invectam blasphemantes; multiplicitatem, utilitatemque caeremonialium praeceptorum expendit q. 101; difficultatem repetito plagio ab Adversariis reproductam, quod lex nova utpote perfecta, debuerit a mundi principio hominibus tradi, q. 101 exsufflat, atque consiliorum rationem innuit, ita ut ex germana horumce locorum lectione Calvini haeresis explodatur ajentis non dari consilia in Evangelio, sed praecepta, omnisque aliorum hostium impetus prorsus enervetur: et specialiter quoad Evangelica Consilia consulas l. 3 *contra Gentes* a cap. 130 ad 138 inclus., et in Opusc. *contra impugnantes Religionem*, etc. iterumque in 2. 2, q. 87 de voto, et 179 usque ad 182, et a q. 186 ad 189 ubi de statu religioso. Plura videas inter opuscula D. Bonaventurae mirifice id illustrantia. Quod vero attinet ad alia objecta circa Ecclesiasticarum vim legum, multus idem est in tota theologica Summa, sicut et aliis locis ubi praesertim R. Pontificis auctoritatem tuetur, jamque copiosa adeo, et clara sunt Scripturae oracula, quibus Ecclesiae summa potestas in legibus ferendis divinitus conlata patescit, e. g. Matth. 18, 17, Luc. 10, 16, Jo. 20, 21, Act. c. 15, et 16, in Epistolis Canonicis, ac primaeva Ecclesiae traditione, ut nonnisi per summam caecitatem haeretici superius allati eam inficiari potuerint, quos ideo Constantiense, et Tridentinum Concilium damnarunt. Relate ad Constantini M. protectionem Ecclesiae praestitam, adi Gusta *Vita di Costantino il Grande*, ubi objecta adversariorum conteruntur. Hinc nullo negotio caetera, quae a pseudopoliticis in Ecclesiae auctoritatem intorquentur, dilui queunt, probeque utriusque potestatis Ecclesiasticae et Civilis jura secernere est; et innotescet utramque summa pollere suis in limitibus auctoritate, pleneque expungendum de sola in mere spiri-

tualibus Ecclesiae auctoritate commentum, prout caeteris pressius Pey demonstrat in alias citato tractatu de utriusque potestatis auctoritate gallice conscripto, et italice verso a Cl. Caesare Brancadoro nunc inter S. R. E. Cardinales cooptato. Praestat excerptam e Synodo Pistoriensi propositionem ordine 4, et in Const. dogm. *Auctorem fidei* damnatam referre; et hoc uno mucrone pseudo-politicorum nostri aevi deliramentum confoditur. Ex decreto de Fide §§ 13, 14, Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione, et corde,* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis Decretis;* quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda, et sancienda; *Haeretica* et immediate num. V « Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones; sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus poenis coercendi atque cogendi* ex Bened. XIV in Brevi *Ad assiduas* an. 1755 Primati, Archiep., et Episcopis Regni Polon.; *inducens in Systema alias damnatum ut haereticum.* » Quid mirum si ex istiusmodi principiis quidam pseudo Canonistae, aliique in transversum acti Ecclesiae jura turbarint, ut praesertim exeunte mox elapso saeculo vidimus? satque esse poterit detegendis, ac propulsandis hostium recentiorum conatibus perlegere Cl. Stagni *Opera Teologico-Politica in risposta alle lettere Teologico-Politiche del Tamburini;* Vercelli 1795, praeter alia pene innumera apologetica scripta a Catholicis in Ecclesiae tutamen nuperis annis vulgata, ac nemini non nota.

Infiniti essemus si omnia quae ad hunc § scitu jucunda, ac utilia fari possunt, prosequeremur, quod ab instituto recederet. Juvat nihilominus indicare quoad praesentem tractatum de legibus plura apud D. Thomam reperiri in l. 3 *contra Gentes,* sicut apud S. Jo. Chrysost. in hom. *de unico utriusque testamenti Legislatore,* Theodoretum *in Sermone de Legibus,* Hugonem a S. Vict. *in tract. de*

Lege naturali et scripta, Natalem Alex. Calmet, aliosque in selectis Dissert. de lege veteri ac nova, Finetti *de principiis juris naturae et gentium adversus Hobbesium* etc., Franceschini *La legislazione dai principii dell' ordine dedotta*. Adsunt et Burlamachii ac Filangerii opera, caute tamen legenda. Adisis praecipuos Religionis Apologistas, ac moralis philosophiae et juris utriusque tractatores. Lectu digni se produnt PP. Ansaldi et Polini de juris derivatione ex primitiva traditione orta, quatenus scilicet *principia naturae, ut ait Apostolus, repetenda sunt a Deo, tradente illa homini primo, a quo deinceps per singulas aetates ad nos usque constanti prorsusque naturali traditione manarunt*. In sequenti capite § 4 et 5 de legum observantia ex divino munere gratiae agemus, nec non eodem § 1 de discrimine inter virtutes humano instinctu viribusque naturalibus peractas, et eas, quae a supernaturali principio procedunt, sicut de necessitate relationis operum in Deum, ut aeternae vitae praemio donentur.

CAPUT SECUNDUM

DE GRATIA DEI

§ 1.

De ejus necessitate.

Immensae profunditatis pelagus syrtibus, scopulis, ac procellis turbulentissimis agitatum nobis sese offert in abditissimo gratiae mysterio, cujus proinde tractatio ea qua par est animi humilitate, ac veneratione auspicanda est, ne majestatis scrutator opprimatur a gloria, dumque de gratia disquiritur, intemperantis indaginis vitio, gratiae beneficium amittatur. Triste nos terreat tot haereticorum naufragium, ac salubriter eorum casibus instructi, potius humanae fateamur ignorantiae defectum, quam periculosis ausibus aut quarumvis etsi liberarum, tamen inutilium partium studio, nosmet inflemus. Praesto nobis sit D. Augustini eloquium in l. *de Don. persev.* c. 7: *prorsus in hac re non operosas disputationes expectat Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas.* Hac autem orationes Ecclesiae ritibus expressae abunde nos edocent de gratiae necessitate ad salutis opera conficienda, liberum arbitrium a gratia non dirimi, sed adjuvari, petentibus adesse Deum, merita J. C. esse nostrae salutis fontem, jamque vel ipsa Dominica oratio praecipua gratiae divinae dogmata includit, ut post D. Cyprianum idem S. Augustinus Magnus Gratiae Doctor et Vindex praefato in opere demonstrat.

Ut in re tam ardua, ac periculosae plena aleae tuto et ex ordine incedamus, D. Thomae fidissimi Augustini interpretis quaestiones de gratia iter nobis aperiant. Necessitas gratiae tam nitide q. 100 asserta, et continuo nostrae imbecillitatis experimento comprobata, infensissimum nacta est hostem in Pelagio natione Britanno, professione Monacho, qui circa an. 405 Romam profectus loca sancta dein invisurus, impia sua dogmata spargere coepit, acceptisque in socios Coelestio, Juliano, aliisque, pestiferum suae versipellis,

ac dolosae sectae virus evomuit. Varii Pelagianae haereseos status a variis assignantur, prout ejus asseclae a strenuis gratiae defensoribus, Augustino praesertim, celebratisque hac de causa Conciliis adacti, nonnihil praedictos errores oblinire, et ad Catholicum sensum accedere simulabant. Paucis recensere juvat quod Pelagiani originalis peccati transfusionem in Adae posteros inficiantes, integras liberi arbitrii vires aestimarint et absque adjutorio gratiae posse naturaliter bonum peragi. Externas utique gratias fatebantur, cujusmodi legem, Evangelium, exempla Christi; quoad internas vero, etsi fortius a Catholicis pressi admittere viderentur illustrationem intellectus, et fortasse etiam aliquam voluntatis motionem; nihilosecius longe a recta fide aberrarunt, interioris gratiae necessitatem, gratuitatemque negantes, quatenus ad facilius tantum agendum, et ex bono liberi arbitrii usu eam dari arbitrabantur.

Jansenistae inter Pelagianos errores indifferentiam liberi arbitrii cum gratiae adjutorio enumerant, quod immo Catholicum est, non enim gratia libertatem aufert, sed perficit; in hoc autem damnandi erant Pelagiani, quod liberum arbitrium per se sufficere arbitrabantur ad bene agendum, perfectumque in voluntate aequilibrium, sive indifferentiam ad bene, aut male agendum statuebant, unde Augustinus ajebat lib. 2 *de Nupt.* c. 3: *si quis ad colendum recte Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Caelestianus, et Pelagianus vocatur.* Pelagio Ethnici praeiverunt originalis peccati labem ignorantes, humanisque virtutibus insistentes, nec non Origenes, ut ait D. Hieron. *in Epist. ad Ctesiphontem*, et D. Thomas l. 3 *contra Gentes* c. 89, licet alii id culpae ab Origene studeant avertere. Insuper Ruffinus quidam, ac Theodorus Mopsuestenus, qui tamen resipuit. Nuper Arminiani et Sociniani iis sociati sunt.

Semipelagiani tantisper ab eis recedebant gratiae necessitatem admittentes, praeterquamquod ad fidei initium, docentes insuper gratiam omnibus se ad eam praeparantibus concedi, nec peculiari perseverantiae dono eos indigere, qui gratiam antea recepissent. Non vero fidendum Jansenio est, e cujus opere *Augustinus* inscripto, quinque excerptae damnataeque propositiones fuere, quarum quarta sic habet: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana natura resistere, vel obtemperare:*

quae propositio *falsa* et *haeretica* proscripta fuit; quinta autem haec est: ***Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse; aut sanguinem fudisse: quae falsa, temeraria, scandalosa*** declarata fuit, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, ***impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, haeretica.***

Erroribus praefatis detegendis et extirpandis, plures Doctorum, Pontificum, Conciliorumque conatus inclaruere; e primis fuere Paulinus D. Ambrosii Diaconus, Orosius, Heros, Lazarus, sed praecipue SS. Hieronymus, et Augustinus, ille in tribus *dialogis contra Pelagianos*, iste vero in libris an. 412 *de peccatorum meritis et remissione, et de baptismo parvulorum ad Marcellinum*, ac *de spiritu et littera*, Epistola ad Hilarium, quae est 157, et ad Julianum, quae est 188, de *natura, et gratia; an.* 415 *de gestis Pelagii, de gratia Christi et peccato originali, de nuptiis et concupiscentia; an.* 419 *contra duas epistolas Pelagianorum*, l. 4 *ad Bonifacium Pp., contra Julianum* lib. 6, de quibus ipsemet in *retrac.* c. 62 ait esse *opus maxime elaboratum*, et Norisius in l. 1, *Hist. Pelag.* tuto asserit *cum in caeteris adversus Pelagianos editis libris mirabilis fuerit, in hoc opere pene divinus apparuit*. Cum vero per id temporis circa an. 425 in Monasterio Adrumeti in Africa, quidam putarent liberum negari arbitrium dum gratia praedicatur, ac istam ex meritis nostris dari contenderent, Augustinus librum *de gratia et libero arbitrio* ad Valentinum suosque Monachos Adrumetinos dedit; cumque dein concluderent frustra eum corripi, qui praecepta non implet, si ex gratia vere gratuita ea debeat implere, librum *de correptione et gratia* ad eosdem misit. Semipelagianis autem in Galliis, Massiliae praesertim, succrescentibus, duos libros confecit *de Praedestinatione Sanctorum*, ac *de dono Perseverantiae;* ultimo autem Juliani repullulantem audaciam compescuit in opere, quod *imperfectum* audit, eo quod morte praeventus, perficere illud nequierit. Sicque multiplicibus praestantissimisque hisce Augustini scriptis praefatae haereses radicitus convulsae fuere, atque hinc est quod omnium elogio ceu gratiae Doctor ipse habeatur, ejusque doctrina a Summis Pontificibus et Conciliis eximio honore sit habita, utpote quae germanam Ecclesiae fidem exprimat, et tueatur. Atque hinc summopere conquerendum de quibusdam intemperantibus ipsius Augustini interpretibus, qui pretiosa eius opera non ad immutabilem Ecclesiae fidei

normam, et dogmata exigunt, quibus gratiae necessitas, gratuitas, miraque cum libero arbitrio operatio tenetur, sed potius ipsius Ecclesiae fidem Augustini libris proprio marte elicere, immo confingere ad praeoccupatae mentis aestum sibi audacter proponuntur, quo fit ut e phrasibus nonnullis citra operum contextum et scopum excisis, et contra hermeneuticae regulas acceptis, in oppositum Pelagianis scopulum impingant humanum sustollentes arbitrium, dum gratiae totum tribuere sibi religioni ducunt; de quibus infra.

Praeter D. Augustinum in Semipelagianos praesertim stylum acuit S. Prosper Aquitanus in *Carmine de ingratis*, quod hisce diebus italo reddidit versu, notisque adornavit P. Anfossi Ord. Praed.; *in tractatu contra Collatorem*, et *Responsionibus ad Objectiones Vincentianas* etc. Legendus quoque S. Fulgentius Ruspensis *contra Faustum*, et *de praedestinatione, ac gratia;* Auctor *de Vocatione omnium gentium*, ac Arnobius Junior *de Grat. et lib. arb. concordia*, S. Bernardus *de gratia et lib. arb.* Alios passim reperias ex Historicis et Theol. Adest *Historia Pelagianismi* a Card. Norisio elucubrata, *Historia de gratia Christi* Auct. Scipione Maffejo, *dissert. de scriptis adversus haeresim Pelagianorum* ex Garnerio.

Pontificum quoque et Conciliorum anathemata in praefatos errores accessere. Concilia hac in re habita 24 numerantur, sed speciatim Pelagiana lues detecta ac repulsa fuit in Concil. Chartaginiensi 68 Episc., an. 416, et Milevitano 61 Episc., quae ab Innocentio I. confirmationem petiere; unde Aug. Serm. 131 ajebat: *jam de ea causa* (Pelagianorum) *duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam et error aliquando finiatur.* Cum autem Pelagius, et speciatim Caelestius, apud Rom. Pont. se purgare dolose studerent, simulatione detecta Zosimus Innocentii successor, eorum errata iterum proscripsit, celebremque ad Episcopos *Tractoriam* Epistolam direxit, cui se subscriberent pro horum haereticorum damatione. Hilarius, Gelasius Hormisdas, ac Bonifacius quoque et Caelestinus in eos egerunt, et hic quidem posterior confirmavit an. 830 Concilium Arausicanum II, quo Semipelagianorum errores evertuntur. Anno 840 habitum fuit Concilium Valentinum III. in Hispania contra praelatas haereses, quae in Conc. Trid. sess. 6 in tribus primis Can. iterato anathematizantur.

Quidam magni nominis viri Semipelagianismi notati fuere, cujusmodi S. Jo: Chrysost., Cassianus, Faustus Rejensis,

Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis, ac Gennadius. Primus communiter a Criticis ab impacta ei a Vasquesio labe purgatur, alii varie vel defenduntur vel excusantur, saltem citra errantis voluntatis piaculum, sed sola mentis incauta defectione, vel expressionum minus rigida praecisione. Eos enim viros sanctitate excelluisse, ac doctrina novimus, sed antequam exagitatae plene fuissent peracutae de divina gratia quaestiones, securius, ac fidentius antiqui loquebantur, ut idem Augustinus fatetur.

D. Thomas in q. 109, a. 1 mirifice gratiae necessitatem in utroque statu naturae sanae et corruptae evincit ad opera meritoria elicienda; istaque gratiae necessitas generatim pluribus SS. Bibliorum locis adstrui potest. Psal. 80, 89, 118, Malach. c. 3. v. 7, Thren. c. 5, v. 27. Ezech. 8. 19, Esth. 14, 13, Act. 16, 14. I. Cor. 5, 8, Philip. c. 1, et 2, et alibi passim. Pelagiani igitur, quibus manu junguntur Sociniani et Arminiani, atra caecitate vilescunt dum e sacris litteris gratiae supernaturalis necessitatem erui denegant; nec minus desipiunt dum haec ipsa loca metaphorice non litteraliter pro vera divinae gratiae actione accipere detrectant, eo modo inquiunt, quo nec litteraliter sumi debent ii textus, quibus videretur Deus excoecare, indurare homines etc. Verum hoc discriminis est quod hoc posterius repugnat immensae bonitati divinae, illud e contra quammaxime ei consonat, speciatim post Adae lapsum; ipsaque incarnationis oeconomia, ac efficacia reconciliationem, et gratiam importat, non solum ad facilius, sed immo absolute ad recte agendum. Hinc Concilium Arausicanum Can. 19 ait: *Natura humana etiam si in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quod accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod amisit;* et c. 20. *Multa in homine bona fiunt, quae non facit homo* (nempe virtutem infusam, quam *Deus operatur in nobis sine nobis,* ut Aug. ait). *Nulla vero homo facit bona, quae non Deus praestet ut faciat homo.* Can. 21. *Sicut eis, qui volentes in lege justificari, et a gratia exciderunt verissime dicit Apostolus: Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est, jam hic enim erat lex, et non justificabat, jam hic erat et natura, et non justificabat; ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex per ipsum impleretur, qui dixit: Non veni legem solvere sed adimplere: et natura per Adam perdita per illum repararetur, qui dixit venisse se*

quaerere, et salvare quod perierat. Can. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque justitiam, ab illo forte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Can. 23. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas est a quo praeparatur, et obitur quod volunt.* Can. 24. *Ita sunt in vite hi palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo discipulis prodest, et non Christo. Nam praeciso palmite, potest de viva radice alius pullulare. Qui autem praecisus est, non potest sine radice vivere.*

Speciatim perseverantiae donum, ut idem Angelicus q. 109, a. 10, et l. 3 *contra Gentes*, c. 155, ac *de Veritate* q. 24, a. 13 edisserit, ex singulari Dei largitione profluit, immo nec aliis bonis operibus etiam ex gratia factis, de condigno quis potest illud emereri, estque idcirco quammaxime necessarium atque gratuitum, ut eo aeterna vita obtineatur. Jamque Trid. Concilium Sess. 6, Can. 22 definit: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

Attamen dum gratiae necessitas ad verum operibus meritum, virtutisque germanae decus conciliandum adstruitur, haud consequens inde est, quod omnia opera absque Dei gratia facta sint peccata; idcirco Concilium Constant. Sess. 15 hanc Wiclefi prop. damnavit: *Omnia peccatoris opera sunt peccata*, et Conc. Trid. Sess. 6, can. 7 contra Calvinum decrevit: *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quaecumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Proscripta quoque fuit prop. 25 Baji asserentis: *Omnia infidelium opera sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia*, et alia 35: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Idipsum in Quesnello, ac in Synodo Pistoriensi, prop. 23, 24, damnatur. Rectissime S. Augustinus *de Spir. et litt.* c. 27 ait: *Etiam impiorum, neque Deum verum veraciter, pieque-*

colentium quaedam facta, vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemque mereantur; immo et aliquod praemium, temporale scilicet, hisce virtutum speciebus a Deo concedi observat, ut in Epist. 8 ad Marcellinum: *Deus ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes:* verumtamen idem S. Doctor arbitratur non sine aliqua superna illustratione istiusmodi opera peracta fuisse, et de Polemonis continentia speciatim ait Epist. 144: *tamen ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.* D. Thomas 2. 2 q. 10, a 4, et 3, p. q. 89, a. 6 praefatos errores Wicleffi etc. expellit. Respuendum etiam quod delirabat Jansenius in sua prop. prima: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest illis quoque gratia, qua possibilia fiant;* quae prop. ceu *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et haeretica* proscripta fuit, et hanc praeevomuerat Bajus prop. 84, et nuper iteravit Syn. Pistor.; estque prop. 19. Sane Concilinm Arausic. c. 25 inquit: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ea, quae ad salutem pertinent,* atque ob id. c. 20 dixerat: *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad fidei bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Tridentinum vero ita consonat Sess. 6, cap. 11: *Nemo autem quantumvis justificatus, liberum se ab observatione mandatorum putare debet* (siquidem Lutherus et Calvinus cum gregalibus quibusdam post baptismum nullo alio vinculo, aut obbligatione ligari hominem effutiebant nisi ad fidem, ut vidimus Cap. praeced.); *nemo temeraria illa, et a patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve;* unde Can. 1 statuit: *si quis dixerit Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

Neque hoc loco reticenda impudens ea contradictio apud hos posteriores hypocritas, qui ex una parte rigidissimi gratiae zelatores videri volunt, ex alia in absurdos damnatosque Semipelagianorum errores impingunt. Praeterquamquod enim ut in Append. T. I, C. IV, § 4 vidimus, praerogativas hominis in statu innocentiae ceu debitam humanae naturae conditionem, non peculiaris gratiae beneficium inducebant, in quo Bajus et Quesnellus, aliique Pelagio assimilantur, expresse Quesnellus in prop. 27 asserit, quod *fides est prima gratia et fons omnium aliarum*, illique inhaeret Syn. Pistor. *de fide* § 1, ubi adest propositio, quae innuit fidem *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem, et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt; perinde, ac prior non esset gratia illa, quae *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem*, declaraturque in Constit. Dogm. *Auctorem fidei, suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.* » Pariter ex eadem Synodo *de gratia* §. 10 damnata fuit in prop. 18 « Doctrina Synodi enuntians, *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam J. C. allaturus erat, tamen Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum*; ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, ut ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis*; Doctrina, ut jacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere, *suspecta, favens haeresi Semipelagianae.* » Idipsum in prop. 20. Quaedam etiam in §. 5 intuere ad hunc §. illustrandum utilia, ubi de gratia efficaci et sufficienti; atque de gratiae distributione, erroribusque Pelagianismo oppositis.

§ II.

De Gratiae essentia.

Ad q. 110.

Nil in anima reapse poni, aut mutari in collatione gratiae, sed eam per imputationem justitiae, ac sanctitatis J. C. acceptabilem Deo reddi, Lutherus cum aliis docuit; hanc vero imputationem conferri dum quis firma fide se eam adipisci certo tenet. Exitiosissimum hunc errorem, quo Sacramentorum vis eluditur, laxiorique vivendi rationi via sternitur, ut vel ipse Acatholicus Grotius in *Riveti Apol. discuss.* et Arnaud *Renversement de la Morale*, Bossuet *Histor. Variat.* probe adnotarunt, Concilium Trid. Sess. 6. cap. 7 confixit inquiens: *justificationis unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus nisi cui merita passionis D. N. J. C. communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae Passionis merito per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret*; idipsum in c. 16, Can. autem 10 ait: *Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.* Can. 11: *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Arausicanum quoque Conc. Can. 5 vocat *gratiae donum inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem.* Proinde,

ut D. Thomas. q. 110 ostendit, gratia aliquid ponit in anima, eamque realiter ornat, atque nobilitat, et edendis virtutum fructibus alit, ut dicit Sap. 16, 23 *omnium nutrici gratiae suae deserviebat*, nutrici scilicet omnium virtutum: atque hinc est, quod Apostolus gratiam suis discipulis, ceu bonorum omnium principium ab ipso Epistolarum exordio adprecatur.

Quod a. 3. D. Thomas de Magistro Sententiarum attingit, eo adduci potest, ut ipse Spiritus S. cum gratia sanctificante in homine inde confundatur, vereque idcirco ipsa Spiritus S. hypostasis justificatae animae inhaereat, ut idem S. Thomas 2. 2, q. 23, a. 2; quod ab eodem Magistro Sent. l. 1, dist. 17 assertum, etiam Petavio arrisit l. 8 de Trinitate c. 4. At licet Spiritus S. gratia justificatis infundatur, haec haud est ipsamet ejus persona, Rom. 55 innuitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis*, ubi charitas a Spiritu S. distinguitur, eaque, ut Augustinus ait *de Sp. et lit.* c. 2, est *non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Quod vero I. Jo. 4, 3 legitur: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo*, optime explanatur a D. Bernardo de dilect. Dei c. 3 *dicitur recte charitas est Deus, et Dei donum. Charitas dat charitatem; Substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est Substantiae, ubi donum, Qualitatis.* Clare haec omnia ex haece D. Thomae quaestione, moxque adjectis Conciliorum oraculis, quibus homini justificato utique participatio quaedam divinae asseritur naturae per Spiritus S. donum et gratiam animam exornantem, sed simul tanta elevatio nunquam ipsiusmet divinae hypostasis infusioni adjudicatur. Praestat denuo Conc. Trid. audire Sess. 6. c. 7: *cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo per J. C. cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. Nam fides nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Theologicas tantum virtutes infusas in justificatione memorat Trid. Conc., at de moralibus conjectari licet ex Viennensi an. 1311 sub Clemente V in Clementina de Sum. Trin. ubi ait: *Opinioni, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis Sanctorum, et modernorum Auctorum Theologiae magis consonam et concordem Sacro approbante Concilio ducimus eligendam.* Porro virtutes in genere complectitur, nec

ad solas theologicas restringi debere etiam ex eo apparet, quod agit de opinione, quae utique circa moralium virtutum infusionem vere intra opinionum limites concluditur. Esset vero fides, non opinio, si de theologicis sermo esset. Ex hac porro probabiliori moralium infusione habituum, major ea prodit facilitas in praeceptis divinis exequendis, quam post justificationem quisque feliciter experitur, qua fit ut jugum Dei suave ei sit, ac onus leve.

Quoniam D. Thomas hac q., a. 4, et *de veritate* q. 27, a. 2 gratiam habitualem in essentia animae ponit, charitatem vero ut virtutem infusam, ac in voluntate, non vero in essentia animae, ut in subjecto residentem considerat, ejus discipuli gratiam habitualem a charitate distinguunt, velut causam ab effectu: e contra Augustinenses eas unum idemque esse volunt; iterum ibi ubi de justificatione.

§. III.

De variis gratiarum divisionibus.

Ad q. III.

Praeter divisiones gratiae ab Angelico in q. 3 allatas, nempe gratiam gratum facientem et gratis datam, operantem et cooperantem, praevenientem et subsequentem, adsunt et aliae hodierna praesertim luce post tot errorum, opinionumque eruptionem in hac re, necessario idigitandae, cujusmodi distinctio gratiae habitualis et actualis, efficacis et sufficientis. Utraque etiam habitualis gratia et actualis sat exprimitur a Praeceptore nostro q. 110, a. 2, dum prima in quadam qualitate aut forma divinitus animae elargita constituitur, altera in motione supernaturali animae *ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum.* Actualis rursus dispescitur in gratiam Creatoris et Redemptoris; prima Angelis, et Adae in statu innocentiae collata fuit, altera naturae lapsae per merita J. C. donatur. Quoad postremam gratiae divisionem in efficacem et sufficientem, efficax ab Augustino definitur *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus* l. 4, c. 5 *contra duas Epi-*

stolas Pelagii, et ab Angelico q. 24 *de verit.* a. 4 vocatur *Misericordia Dei, per quam interius motum mentis operatur, et exteriora ordinat ad hominis salutem.* Sufficiens autem ea est, quae dat tantum posse, non autem velle, unde et inefficax audit, et primae quidem resistere potest humana voluntas, at non resistit, alteri autem reapse resistit. Solet quoque prima haec gratia, sive efficax, designari per adjutorium, *quo* aliquid fit, et altera, sive sufficiens, per adjutorium *sine quo* aliquid non fit, ex celebri eo textu D. Augustini, De Corrept. et grat. c. 10: *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, et aliud adjutorium, quo aliquid fit.* Utramque hanc gratiam secundum benignissimam divinae voluntatis rationem hominibus dari constat ex Scripturis, ac traditione. Efficax quidem gratia astruitur Psal. 118, 36, Prov. 21, 1, Ezech. 26, 26. Jo. 6, 44, I. Cor. 4, 7, Philip. 2, 13, Hebr. 13, 20, etc. Concors est etiam Ecclesiae praxis in orationibus Deo fusis, ut corda nostra convertat, amorem infundat, immo et rebelles ad se compellat voluntates; nec non Conciliorum, Patrumque doctrina. ut liquet ex dictis de Conc. Araus. et Trid., ac ex Aug. et Thoma praecipuis divinae gratiae assertoribus. Sufficiens quoque gratia innotescit Psal. 37, 56, Prov. 1, 24, Math. 11, 21, ubi exprobantur habitatores Corozaim, et Bethsaidae, quod miraculis, et praedicationi non cesserint, nec poenitentiam egerint, de quibus Aug. in lib. de *don. perseverantiae* c. 14 ait, *quod poterant credere,* nempe ex interiori sufficienti gratia, non autem credidisse, quia Deus *induratis cor lapideum noluit auferre,* denegata iis scilicet ob istiusmodi indurationem gratiae efficacia. Pariter ex Matth. 23, 27. Act. 9, 5, ac 7, 51, ubi Stephanus Judaeos arguit, *Vos semper Spiritui S. resistitis;* quibus verbis resistentiam quoque internis Spiritus S. stimulis designari tradit Conc. Senonense p. 1, c. 15 in Lutheranos coactum an. 1528. Adde II. Cor. 6, 1. Hebr. 6, 7 etc. Atque huc spectant quae ex Conc. Araus. c. 25, ac Trid. Sess. 6. c. 11 pro possibilitate mandatorum Dei contra primam Jansenii propositionem attulimus §. 1. Adde ex D. Thoma 1. 2, q. 106, ubi expresse gratiam sufficientem adnotat dicens: *Gratia novi Testamenti etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit; hoc enim pertinet ad statum gloriae. Et ideo si quis post acceptam gratiam novi Testamenti peccaverit, majori poena est dignus, tamquam majoribus beneficiis ingratus, et auxilio*

sibi dato non utens... quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum. Et in l. 4 Sent. dist. 17, q. 1, a. 1. *Vocatio est duplex, quaedam exterior, ut quae fit per praedicationem; quaedam vero interior, et haec quandoque quidem non pertingit in finem suum ex vocati defectu, et haec vocatio nihil aliud est, quam aliquis instinctus, vel motus ad bonum a Deo immissus.* Unde merito Apostolico mucrone confixa fuit altera Jansenii prop. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur;* immo et tertia, quae hanc consequitur, videlicet: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* et utraque *haeretica* fuit declarata. Diximus autem hanc illam consequi; ideo enim non resistitur, quia ut Jansenius ait l. 2 *Augustinus* c. 4, *gratia lapsae aegrotaeque voluntati nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deserat et arripiat si voluerit,* ac proinde vera libertas e medio tollitur, ut alias vidimus in Append. T. 1, c. 2; immo idipsum in quarta proposit. relata in §. 1, ubi de Semipelagianis, idem confirmat. Atque ex his quae vel summis labiis delibavimus colligitur Jansenium, aliosque gratiae necessitantis assertores in oppositum Pelagianae haeresi scopulum impegisse, horumque agmen ad haeresim praedestinatianam generico vocabulo referri potest, de qua nonnihil in Append. T. 1, c. 2: et licet circa ejus originem et primos fautores variae adsint sententiae, ea tamen certo infectos fuisse scimus Catharos, et Valdenses Saec. XI, et XII, quos Ven. Moneta quinque libris confutat, nec non Wicleffum Saec. XIV, et Jo. Hus, ac Hieron. a Praga a Constantiensi Concilio damnatos an. 1415; Lutherum, et Calvinum, quorum atrocissimos errores Tridentinum exhorruit, atque prostravit; Michaelem Bajum, cujus prop. a Pio V et Greg. XIII censoria nota mulctatae fuere; dein praefatum Jansenium, ac Quesnellum, pluries confixos, ut videre est apud Dechamps *De haeresi Janseniana ab Apostolica sede merito proscripta;* Lafiteau *Histoire de la Constitution Unigenitus;* Gerbert *Jansenilicarum Controversiarum ex doctrina S. Augustini retractatio;* Mozzi *Vera idea del Giansenismo, Compendio istorico-cronologico de' più importanti giudizj portati dalla S. Sede R. sopra il Bajanismo, Giansenismo, e Quesnellismo, Storia delle rivoluzioni della Chiesa d'Utrecht, etc.*

Adde et ingentem Novatorum manum, plerumque Jansenistarum titulo nuncupatorum, etsi non omnes haereticis

Jansenii propositionibus adhaereant, sed plerumque iis erroribus, ac innovationibus turbulentissimis foedentur, quibus Refractarii, et Appellantes a judiciis ab Apostolica Sede in Jansenium et Quesnellum latis, ad nostra usque tempora, infando crimine, ac scandalo sese immerserunt, quorum velut epilogum Synodus Pistoriensis an. 1786 instauravit, proscriptaque idcirco fuit a Pio VI in Const. dogm. *Auctorem fidei* an. 1794, ubi mira praecisione, ac opportunis relativis censuris 85 propositiones proscribuntur, quamque an. 1795 Emin. Card. Gerdil non minus purpura quam eximiis in Ecclesia meritis clarus defendit contra nonnullas notas quam Cl. Feller clarioris intelligentiae nomine eidem Constit. Dog. adjiciendas censuit, multoque fusius an. 1800 contra Oppositionem Episcopi Naulensis.

Contra istiusmodi pseudo Theologos, vel potius haereseon propalatores summo studio plurimos e Catholicis insurrexisse jam innuimus, ac neminem latet; sed insuper notandum, quod erumpentibus praesertim circa gratiam Lutheri et Calvini errorum monstris, quidam oppositam tenuere viam, qui proinde ad Pelagianorum castra deflectere istis aliisque similis farinae hominibus visi sunt, cum reapse eorum doctrina ab Apostolica Sede haud damnata fuerit, immo et vetitum ne ulla censoria virgula a privato partium studio eis apponeretur. Jamjam intelligis nunc de Lessio, Hamelio, Molina, aliisque haberi sermonem. E duobus primis Academia Lovaniensis an. 1586, 34 propositiones censura affecit, cui accessit et Duacena; sed Sixtus V hujusce rei summam penes se accersivit, nec ulla damnatio prodiit. Molina dein an. 1588 suo in libro *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis* etc. latius in arrepta hac provincia excurrere visus est, quapropter incendium ingens, nedum ab errantibus, sed et ab Scholis Catholicis, cujusmodi Augustinensium et Praedicatorum in Jesuitas consodali Molinae addictos fuit insufflatum, adeout Clemens VIII an. 1596 silentio primum partibus indicto, rem Romanae Sedis judicio subjecerit; celebresque Congregationes de Auxiliis Divinae gratiae ab eo institutae an. 1598, quae usque ad an. 1607 perdurarunt, quo Paulus V definitionem in opportunius tempus distulit, praecipiens ne alterutra interim schola aliam censuris vellicare praesumeret. De hisce autem congregationibus consulas e Dominicanis de Lamos, ac Serry, e Jesuitis Meyer.

Molina nullam gratiam ex semetipsa efficacem aut aliam alia majorem admittit, sed versatilem et aequalem, quae ab

assensu humano efficax, et a dissensu inefficax reddatur. Suarez aliique id temperare studentes, gratiae efficaciam in ejus congruitate relativa ad voluntatis, ac indigentiae humanae statum posuere, quam congruitatem, simulque futurum assensum praevidens Deus, misericorditer hanc gratiam congruam elargitur, unde Congruistae appellati sunt; hisque accensendus videtur P. Thomasinus, qui in plurium sive internorum, sive externorum collectione donorum gratiae efficaciam locavit, adeout seorsim sumpta haec dona fortasse a volutate respuerentur, junctim vero infallibiliter voluntatis sortiantur assensum. Hi omnes igitur gratiam intrinsece efficacem excludunt, cum ejus effectum ab assensu voluntatis repetant, ideoque gratiae nonnisi causam moralem seu allicientem attribuunt. Longe autem a damnatis Pelagianismi, vel Semipelagianismi erroribus distant, cum gratiae nesessitatem, gratuitatemque ad omnia prorsus opera, etiam ad fidei initium admittant: unde est quod liberae praefatae opiniones in scholis teneri queant.

Augustinienses ex opposito, ac Thomistae, admittunt gratiam ab intrinseco efficacem, quae juxta primos in absoluta delectationis vi erga bonum consistit, quae suapte natura humanae voluntatis assensum exigit. etsi reapse natura resistere possit, utpote quae est intrinsece libera, nec necessitate adigitur ad operandum. Berti autem ait gratiam esse victricem delectationem sive charitatem, quae superat contrariam cupiditatem, attamen citra liberi arbitrii laesionem; et in hoc Augustinensium systema omnino discrepat a Janseniano, ubi victrix delectatio necessitatem assensus importat, sicque praecitatus Berti tum a se, cum a concellita suo Bellelli impactam jansenismi maculam abstergit in opere *Augustinianum systema de gratia, ab iniqua Bajani, et Janseniani erroris insimulatione vindicatum.*

Thomistae autem hanc gratiae efficaciam in Omnipotentia Dei reponunt, qua Deus etiam humanae dominatur voluntati eam physice seu realiter, non necessario praemovendo, aut praedeterminando ad opus, absque liberi arbitrii jactura. Porro ambo istiusmodi gratiam efficacem ad opera elicienda requirunt; ex hac enim datur posse et velle operari; sufficientem vero utique fatentur, sed humana resistentia effectu frustratam.

Veruntamen Augustinenses communiter contendunt in statu naturae integrae solam sufficientem ad perseverandum necessariam fuisse, ac reapse Angelos hac sola praeditos stetisse, dum alii ejusdem gratiae sufficientis abusu ceciderunt,

sicut et protoparens noster. In statu autem naturae sauciatae, sive ad perseverandum, sive ad bonum quodvis operandum efficacem gratiam sanantem requiri ajunt, exceptis, juxta aliquos eorum scholae, quibusdam facilioribus actibus: ex. gr. ad orandum, quos nonnulli sola sufficienti gratia produci volunt. Thomistae e contra in quovis statu, et ad quodvis opus, efficacem exigunt gratiam. Juxta has de gratia intrinsece efficaci sententias, aliud genus causalitatis in gratia statuitur relate ad liberum arbitrium, quae nec moralis tantum est, nec etiam physica, siquidem physicae causalitatis nomine vulgo necessarium intelligimus effectum inde manantem, quod in gratia necessitante praedestinatianorum verificatur, non autem in efficaci Augustinensi, ac Thomistica, quae libertatem non tollunt, etsi infallibiliter effectum obtineant. Porro ex hoc ipso quod nec physica, nec moralis causalitas in eo sensu, quo in humanis usurpamus, ineffabili divinae gratiae actioni explicandae sufficiat, pronum est conspicere ideas comparativas nobis deesse, ac proinde inaniter teri tempus in tali abditissima humanoque captui impervia investigatione; simulque hinc inde mutuis accusationibus facile se vellicasse horum diversorum systematum patronos, quasi primi ad Pelagianismum deflecterent, alii ad Calvinismum, quod et falsum, et Romanae Sedis decretis, quibus cavetur, ne odiosa inuratur alicui ex hisce systematibus nota, contrarium; quae intemperans accusatio speciatim in Pistorien. Syn. prop. 79 damnatur in Bulla *Auctorem fidei*, ut in Append., T. 1, c. 1, §. 2 adnotavimus.

Quoad ipsiusmet gratiae collationem, iterato pariter digladiantes Theologos reperies: missis enim praefatis Pelagianorum contra gratiae necessitatem erroribus, nec non Praedestinatianorum sufficientis gratiae osorum; sufficientem gratiam omnibus prorsus, et indiscriminatim, saltem adultis, Moliniani conferri arbitrantur. Thomistarum quidam eam proxime vel remote universis donari ajunt, communius vero alii omnibus quidem esse paratam, immo et oblatam, sed non omnibus revera collatam contendunt, ut D. Thomas in l. 3 *contra Gentes* c. 119 ait: ***Deum in quantum in se est omnibus gratiam dare:*** vult enim omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire, ut dic. I. Tim. 2, 4. ***Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimenta praestant***; et 2. 2, q. 2, a. 5. de gratia fidei loquens, haec habet: ***quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur ex justitia non datur, in poena praecedentis, aut***

saltem originalis peccati, ut Aug. dicit l. de Correp. et Gr. Vide etiam 1. 2, q. 79, a. 3 de peccatoribus induratis et excoecatis. Quapropter juxta praefatos Theologos pueris sine baptismo decedentibus, nec non obduratis, excoecatis, infidelibus negativis, qui nempe fidem non norunt, supernaturale sufficientis gratiae donum negatur. Augustinenses pariter Thomistis junguntur. Adisis quae in Append. T. 1, c. 2 adjecimus, ubi de Scientia, et Voluntate Dei, ac Praedestinatione. Caeterum id cordi semper esto, ut intemperans sublimium divitiarum sapientiae ac scientiae Dei cusiositas compescatur, siquidem incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus, nec profundis scrutatoribus, sed humilibus operatoribus aeterna spondetur felicitas.

Qui rem tot disquisitionibus ventilatam, simulque indeclinabilibus obductam tenebris, de mira scilicet superni adjutorii operatione, penitius scrutari maluerit, praeter superius allatos Ecclesiae Patres, Concilia, ac Theologos, aliosque Scriptores, consulat de Lesma *de Divinis auxiliis*, Reginaldum *de Mente Conc. Trid. circa gratiam per seipsam efficacem*, Soto *de Natura, et gratia*, Massouliè *D. Thomas sui interpres*, Graveson *de Gratia Christi*, Daniel *de efficacia Gratiae*, Manso *de gratia auxiliante secundum mentem Augustini*, Manquinum *Vindiciae Praedestinationis, et Gratiae*, Zaccaria *diatriba de adjutorii* sine quo non, *et adjutorii* quo *vera germanaeque notione*, Mozzi *il Falso Discepolo di S. Agostino, e S. Tommaso convinto d'errore*, etc.

Lubet hunc § verbis Tridentini, ac Valentini Concilii absolvere. Ait illud Sess. 6, cap. 5: *Declarat praeterea* (S. Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo, et cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino neget, inspirationem illam recipiens, quippequi illam abjicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur; cum respondemus: Converte nos Domine ad te, et convertemur, nos gratia praeveniri*

confitemur. Valentinum autem Concilium III an. 855 habitum, can. 6 inquit: *Item de gratia, per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato, et sanato, idipsum constantissimi, et fide plena fatemur, quod Sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicae Sedis catholica fide tenuerunt: sed et de natura, et gratia in aliam partem nullo modo declinare praesumentes. Ineptas autem quaestiunculas, et aniles pene fabulas, Scotorumque pultes puritati fidei nauseam inferentes, quae periculosissimis, et gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum usque ad scissionem charitatis miserabiliter, et lacrymabiliter succreverunt, ne mentes Christianae inde corrumpantur, et excidant a simplicitate, et castitate fidei, quae est in Christo Jesu, penitus respuimus, et ut fraterna charitas cavendo a talibus auditum castiget, Domini Christi amore monemus. Recordetur Fraternitas malis Mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum, et paleis levium hominum se durissime suffocari. Haec vincere ferveat, haec corrigere laboret, et superfluis caetum pie dolentium, et gementium non oneret, sed potius certa, et vera fide, quod a SS. Patribus de his, et similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.*

§ IV.

De causa gratiae.

In Q. 112.

Ex dictis in praecedentibus §§ liquido elucet solius Dei esse, gratiam hominibus elargiri, proindeque Albanensium error, quod homo possit Spiritum S. ex semetipso conferre per se corruit. Similiter colligitur, quod gratia nulla praesupponat merita ex parte hominis, videlicet ex operibus antea sine gratia factis, alioquin *gratia jam non est gratia*, Rom. 11, 6, sed quaevis dispositio ab ipsa gratia promanare debet, sicque Isaias ait 26: *Omnia opera nostra ope-*

ratus es in nobis Domine. Araus. Conc. II, Can. 9: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur:* concluditque Trid. Sess. 6, c. 16. *Tanta est Dei erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.* Sed clarius: si loquamur de gratia praeveniente et excitante, haec praecise gratuita omnino est, nullamque dispositionem exigit, sed hanc ipsa efficit, et agit in nobis sine nobis, dum intellectum nostrum illuminat, et voluntatem movet; gratia vero subsequens, et cooperans, jam dispositionem in homine invénit, qui gratiae impulsibus libere assentiendo ad uberiora charismata divinitus recipienda dignus efficitur, ut D. Thomas exponit a. 4 et infra §. 4 ubi de Merito. Quapropter atrox Calvini et Lutheri haeresis abhorrenda prorsus est, dum ajunt liberum arbitrium mortaliter peccare dum agit quod in se est, et immo gravius, quo enixius se ad gratiam praeparare conatur, ut vidimus § 1, ubi de operibus sine gratia factis, ibique attulimus Can. 7, Trid. Conc. Sess. 6, quo hoc monstrum eliditur, addimusque hoc loco ex eodem Conc. Sess. 6. Can. 9: *Si quis dixerit sola fide impium justificari; ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam covsequendam cooperatur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari, atque disponi, anathema sit.*

Per id vero, quod D. Thomas ponit a. 3, magis, ac magis confirmatur gratuitas, nedum in ipsa gratiae collatione, sed et in ejus distributione. Sic Triden. ait Sess. 6, c. 7: *vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem, ac cooperationem.* Apage tamen quod Lutherus, Melancthon, Bucerus, aliique haeretice effutiunt de certitudine, qua homo potest, ac debet scire se gratia, justitiaque ditari, contra quos Trid. Syn. Sess. 6, Can. 13 statuit: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis, et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Can. 14. *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac justificari, ex eo quod se absolvi, ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum nisi qui credat esse justificatum, et hac sola fide absolutionem, ac justificationem perfici, anathema sit;* et Cap. 9 ejusdem Sess. agitur contra hanc *inanem haereticorum fiduciam.*

§. V.

De justificatione.

Lutherus hominem justificari asserit si fide teneat justitiam J. C. sibi imputari, ac Sacramenta nil reapse in nobis agere, nisi quod excitandae huic justificanti fidei juvet. Calvinus addit hanc fidem semel elicitam nunquam evanescere, et ideo gratiam inamissibilem, hominemque impeccabilem reddi, ac ad fidem dumtaxat, non ad legem ullam Christianos praecise teneri. Praeterquamquod, ut egregie adnotat Bossuet in *Hist. des Variations* l. 1, 7 etc., hujusmodi errorum monstra quae haud virtutum ornamenta apud Protestantes foverunt, utpote directe ante-christiana, exploduntur, et anathematizantur a Trid. Conc. in integra sublimissima Sess. 6 de justificatione, quae constat 16 Capit. et 33 Can., e quibus catholica, tum speciatim justificationis, quum generatim Divinae gratiae, theoria nitidissime explicatur. Sat nonnihil inde depromere, praeter id quod in §. 2, ac 4 retulimus, ut res pro patulo statuatur. Can. 12 legitur: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.* Can. 17. *Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, anathema sit.* Can. 19. *Si quis dixerit nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, caetera esse idifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Can. 20. *Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda, et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.* Can. 22. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Can. 27. *Si quis*

dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi, et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit. Quae autem D. Thomas tradit a. 4, et 5, ex q. 113 circa ordinem, ac normam justificationis, praecise a Trid. docentur Sess. 6. c. 6: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu: et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata.* Et cap. 7. *Hanc dispositionem, seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae.* Huic § jungi debet ille de gratiae essentia in antecessum n. 3 concinnatus, ut plenior gratiae justificantis notio habeatur.

§ VI.

De Merito.

Ad Q. 114.

Quoniam Lutheri, Calvini, aliorumque hujusce furfuris errantium insipiens, ac dogmatum morumque subversiva doctrina est, ut omnis justitia nostra ex imputatione Justitiae Christi sit, omniaque opera nostra nil nisi sordem, et peccatum ex se ipsis redolere arbitrentur, idcirco meriti

nomen penitus, ceu fastuosum nimis, et a *sophista rabula* invectum, ut Calvinus ait, indignanter repellunt. Id etiam ex eo repetere licet, quod primitus requisitas ad meritum qualitates, prout Romana tenet Ecclesia, minus calluerint, jamque re dein melius inspecta, ipsimet Protestantes, cujusmodi in *Apolog. Confessionis Augustanae* eorumdem, et alibi, meriti vocabulum deinceps adhibuere, nec adeo exosum illud habent sicut praefati haeresiarchae, ut adnotant Fratres Walenburchenses. Attamen longe adhuc sunt, ut cum Ecclesia Catholica de meriti doctrina consentiant. Illi plerumque ad verum meriti valorem requiri contendunt, primo ut opera sint omnino perfecta, secundo ut sint indebita, tertio ut a nobis primario sint, quarto quod cum mercede proportionem habeant aequalitatis, et quidam insuper addunt, ut nempe utilia sint ei cujus intuitu aguntur. Ideo omne veri nominis meritum in actibus nostris expungunt. Catholici e contra, quos perperam in invidiam revocare student heterodoxi, quod alii plures, alii pauciores ad meritum de condigno conditiones requirant, aliisque privatis in hac re quaestionibus discrepent, communi calculo statuunt opus de condigno meritorium debere esse bonum, liberum, ex gratia elicitum, in praesenti vita, in statu sanctificantis gratiae, et praesupposita divina promissione, quae omnia D. Thomas hacce quaest. a. 1, 2, et 3 summatim includit, dum a. 1 divinam promissionem mercedis, a. 2 gratiam moventem, et 3 habitualem gratiam exigit. Quidam insuper requirunt ad meritum de condigno ut opus a charitate procedat, nedum a charitate habituali, prout reperitur cum gratia sanctificante, sed etiam prout est sancta dilectio, et quidem saltem virtualiter, atque fulciuntur DD. Augustino, et Thoma; ille equidem inter alia in l. 4 contra Jul. c. 3 ait: *Amorem quo pervenitur ad Deum non esse nisi a Deo, et sine hoc amore Creatoris nullum bene uti creaturis;* Angelicus vero q. 114, a. 4 *vita aeterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur a charitate: et ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus a charitate imperantur; similiter etiam manifestum est, quod id quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus. Unde etiam secundum quod ad rationem meriti requiritur quod sit voluntarium, principaliter*

meritum charitati attribuitur. Nitide conditiones necessarias perstringit Trid. Conc. Sess. 6, c. 16, inquiens: *Cum ille ipse Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum merita semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plena illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, et divinae legi pro hujus statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam, vere promeruisse censeantur.* Ac ibidem paulo infra, pressius: *absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.* Eximia sane verba, queis germana totius tractatus de Gratia theoria continetur, quaeque a D. Aug. Epistola 194, c. 5 deprompta fuere, ubi ait: *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua.* Idipsum apud Arausicanos Patres Can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant.* Praeclare idcirco Bernardus *de Gratia, et lib. arb.* in verba Apost. II, Tim. 1 *scio cui credidi, et potens est depositum meum servare,* adnotat: *Dei promissum suum appellat depositum; et quia credidit promittenti, fideliter promissum repetit. Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum.* Permulta Patrum afferri possent testimonia mirifice hanc Ecclesiae doctrinam illustrantia, speciatim in ea Scripturae loca ut Gen. 15, 1, Psal. 7, et in alia passim, praecipue 118. Eccli. 16, 15, Math. 5, 12, Luc. 20, 35, I. Cor. 3, 8, ac 9, 24, II. Tim. 4, 8, Jac. 1, 12, Apoc. 3, 4 etc., quibus *mercedis, bravii, coronae, condignitatis* mentio occurrit; unde concludendum adeo falsa humilitate impiaque hypocrisi heterodoxos pollui, dum meritum de condigno operibus justificatorum denegant, ut ne quidem horum lux textuum eos irradiare possit ad nobilius de praefatis operibus sentiendum. Merito idcirco eos plectit Trid. Conc. Sess. 6. Can. 32: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi merita, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia de-*

cesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit. Alibi, in App. T. 3, C. II. ubi de poenitentia, meritorum reviviscentiam per eam obtineri videbimus, eorum scilicet, quae ante peccatum bonis operibus comparata fuerant; nec non in Cap. seq. § 2, et 3 agemus de relatione operum in Deum, ut veri valoris meritum nanciscantur, juxta plures. In T. 5 videas de Christi merito.

CAPUT TERTIUM

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

§. I.

De Fide.

A. Q. 1 ad 16 ex 2, 2.

Praecipua ad fidem spectantia circa ejus objectum, credibilitatis motiva, ac fontes, unde tuto hauriri queant, jam egimus in Append. T. 1, c. 1; nec est cur isthaec a D. Thoma in praesenti de Theologicis virtutibus tractatione exposita q. 1, denuo recenseamus; quia vero a. 8, 9, 10 de symbolo est sermo, operae pretium videtur nonnihil de tribus symbolis, Apostolico, Nicaeno-Constantinopolitano, et Athanasiano in Ecclesia receptis, adsuere.

Apostolicum, quod christiano populo commune est, Apostolis abjudicant Vossius, Dupinius, et alii quidam speciatim e Protestantibus, argumentis ut plurimum negativis quasi ejus mentio haud fiat primis Ecclesiae temporibus, et diversum extiterit apud Ecclesiam Orientalem, et Aquilejensem etc. Verum isthaec objecta facili negotio exsufflantur, cum Irenaeus l. 1, c. 10, ac Tertullianus contra Praxeam c. 1, multoque magis posteriores Patres SS. Ambrosius, Caelestin s, Leo, et alii passim, immo et Concilium Ephesinum ejus meminerint, et aliunde varietas quaevis in aliis Ecclesiis nil officit veritati symboli istius in usum Ecclesiae Rom. quae semper fuit centrum fidei, et doctrinae; proindeque Apostolis asserendum videtur, etiam ex celebri, et inconcussa ea regula a D. Aug. prolata, id nempe ad Apostolicam originem, vel traditionem spectare, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum fuit, cujusmodi est symbolum de quo agitur. Quoad Niceno-Constantinopolitanum, sat de hoc diximus in Append. T. I, C. III. § 4. Athanasianum vero, cujus initium *Quicumque*, divisum retinet criticorum

agmen, immo alii aliis illud attribuerunt, e. g. Card. Bona Eusebio Vercellensi, Muratori Venantio Fortunato, quidam Virgilio Tapsensi etc. Haud pauci vero D. Athanasio. Specialiter consulito Natalem ab Alex. *Disp. de symbolo Apost.; et Nic.* Lupum *de symbolo Apost. et Nic.*; Madrisium *de symbolo fidei*, Lazeri *Exercit. de antiquis formulis fidei*, etc. Egregie symbolum Apostolorum explicuit D. Thomas in apposito opusculo. Fusius Catechistae passim, immo et Theologi nonnulli e. g. Gerbert, qui juxta symboli ordinem dogmata prosequitur.

In q. 2. Necessitas fidei ad salutem expenditur, idque enucleatius patescet ex iis, quae in praeambulo ad Theologiam Cap. I Adnot. in Tom. I addidimus. Praeclare autem quae ad fidem pertinent, vel ad varios gradus pro assensu intellectus, explicita reperias in nupero opere *Epitome Veroniani Operis de regula fidei Catholicae edita Ticini Regii 1786, nunc ad utilitatem studiosae juventutis emendata, et illustrata a Petro Philalethe 1791.* Plures eximii tractatus de fide existunt, cujusmodi S. Basilii *hom. de fide*, S. Jo: Chrys. *hom. de fide, et lege naturae*, S. Aug. l. *de utilitate credendi*, l. *de symb.*, *de fide et operibus*, *de fide, spe, et charitate ad Laurentium*, S. Fulgentius, S. Jo: Damasc. S. Cyrill. Alex., S. Petrus Damiani, etc.

Quoad exteriorem actum fidei relate ad q. 3, ingens colluctatio nobis esset ineunda contra neotericos praecipue indifferentismo religionis addictos, qui cum externum religiosum exercent cultum, qui datis locis, personis, ac circumstantiis usuvenit, omnem simulant religionem, nullam corde profitentes; et licet nonnullos alicui intrinsece addictos audias, sed extrinsece tantum se localibus consuetudinibus accomodare, eo ipso pravos credentes dicas, et culpabili politices illusione corruptos, siquidem Math. 10, 32, et 33, ac Luc. 9, 26, etc. severe haec fictio in religionis negotio damnatur. Praestant luculentissima Martyrum innumerabilium exempla, constans Ecclesiae rigor in hujusmodi simulatores cujusmodi Libellaticos, qui persecutionis metu ficta fidei ejuratione libellos securitatis obtinebant, nec non in perversis istiusmodi principiis abhorrendis, ut apud Helcesaitas, Priscillianistas, Dulcinum initio Saec. XIV, Gregorium David Belgam Saec. XVI, qui insuper martyrium stultitiam idcirco appellabat; et signanter Paulus V Anglis vetuit Catholicis ne haereticorum Templis, ac sacris interessent, ac Innocentius XI propositionem praefatae simulationi faventem proscripsit, et Benedictus XIV *Inter omni-*

gena, interdixit Christicolis apud Turcas extantibus, ne declinandae suspicionis ergo Turcarum nomina imponerent. Adde celebres controversias de ritibus Sinensibus, ac Malabaricis, quas Apostolica diremit auctoritas, omnisque idololatricorum rituum, ac superstitionum usus et simulatio damnatur, ut in decretis, ac Constitutionibus Clementis XI, Benedicti XIII, Clementis XII, ac novissime Benedicti XIV; apud hunc insuper earumdem controversiarum historias offendes in duabus Constit. *Ex quo singulari* 1742, et *Omnium sollicitudinum* 1744. Ingens quoque dissidium inter Theologos non paucos hac nostra aetate efferbuit circa communicationem Armenorum Catholicorum in Turcica ditione existentium cum schismaticis quoad baptismum praesertim ab his recipiendum, quoad sepulturam, et matrimonium, evitandae gravissimae persecutionis causa; quam communicationem honestare studuit eorum Patrocinator Marchio de Serpos edita Venetiis, et missa hac de re ad Congregationem de propaganda Fide *Dissertazione Polemico critica*, an. 1783, vulgatisque tribus aliis tomis de Armenorum historia; a qua tamen Congregatione nondum emanavit responsum. Verumtamen Theologica facultas Senensis, vel ut ajunt Pr. del Marc. contrarium exaravit votum; illudque notis ampliavit Fabricius Dotto. Huic voto respondit Serpos. Etiam P. Albertini in T. 3, Acro. 9. *de incarn.* in Armenam se extulit Ecclesiam.

In q. 6 causa fidei expenditur, videturque addendum quod jam praecedenti Cap., § 2 adumbravimus, videlicet contra Pelagianos, ac Semipelagianos ex gratia esse *sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ac ipsum credulitatis affectum*, ut ajunt Arausicani Patres Can. 5, ac contra Quesnelli asseclas, fidem haud esse primam gratiam, prout in ipso damnavit Clemens XI in Bulla Unigenitus, ac recens Pius VI in alia Auctorem fidei, contra Syn. Pistor., ubi censura notatur: de Fide § 1, XXII « propositio, quae innuit fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei qua homines fideles nominantur, et sunt; proinde, ac prior non esset gratia illa, quae *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem*, ex S. Aug. de dono persev. c. 10, n. 41; suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea. » Hec et in App. T. II, C. II innuimus.

Superest modo, ut circa 9, 10, 11 etc. adnotemus permulta ex sacris canonibus provide ab Ecclesia sancita fuisse

ad infidelitatem, haeresim, omnemque fidei maculam, atque periculum arcendum; ex. g. excommunicationem majorem latae sententiae Pontifici reservatam, quam haereticus formalis, seu pertinaciter errans in fidem incurrit, si internam haeresim aliquo modo aut signo exterius manifestet, licet occulte, ac nemine observante; ubi observes etiam vere haereticum esse illum, qui deliberate dubitat de aliqua fidei veritate ab Ecclesia proposita, ut ait D. Thomas, q. 110, a. 1, *Dubius in fide, infidelis est.* Et Ecclesiae obsistit. Adsunt et aliae poenae, irregularitas, infamia juris, si haeresis innotescat, privatio jurisdictionis, beneficiorum, dignitatum, Sepulturae Ecclesiasticae, immo et aliae poenae temporales, de quibus, aliisque in Apostatas, ac alios in fidem noxios, Juris Canonici tractatores interroga, et Moralistas passim.

Nec satis Ecclesiae fuit hisce ultionibus in fidei praevaricatores animadvertere, sed et appositum Tribunal fidei integritati invigilans instituit, lectionemque librorum quoquomodo nocentium vetuit. In praenuntiati tribunalis, vulgo Inquisitionis, aut S. Officii, erectionem, (quod Episcopali muneri intrinsece inhaerens, crebrescentibus tempore Albigensium aliorumque Sacc. XII errantium venenosis periculis, provida ministrorum e Regularibus Ordinibus praesertim Praedicatorum, ac Franciscanorum accessione, Summorum zelo Pontificum distinctam, determinatam, ac uniformem nactum est formam) incredibili livoris eructatione male feriati christiani, multoque acrius effraenes Acatholici, Novatoresque, immensa librorum, calumniarumque colluvie nullo non tempore irruperunt. Verum quam immerito id egerint, vel ex ipsis Inquisitionis statutis licet concipere, e. g. ex opere Nicolai Eymerici *directorium Inquisit.*, Thomae del Bene, *de Officio S. Inquisitionis*, ac recens in moderno S. Palatii Apostolici Mag. P. Pani *della Punizione degli Eretici*, ubi nedum germana Tribunalis notio, ac utilitas, sed et vindiciae habentur. Speciatim vero ad elidenda putida, ac vili plagio ad nauseam repetita Voltairii, aliorumque virorum mendacia circa praetensas Hispanici tribunalis crudelitates, praesto tibi sunto monumenta a P. Faraldi vulgata, adnotationes P. Soldati in opus *Confutazione degli errori*, Nonnotte *Erreurs du Voltaire*, l. 1, Vayrac *Stato presente della Spagna*. Porro ecquis fremitum temperare valeat dum horumce pseudo philanthroporum exquisitam humanitatem super Inquisitionis victimis deflentem audierit, simulque eam longe atrociori cruentatione in in-

tegerrimos Altaris ministros, fideique immobiles assertores omni aevo, ut et nostris hisce diebus saevientem perpenderit! Oh Philosophicam tolerantiam quavis ecclesiastica intolerantia saeviorem!

Quoad vero librorum perniciosorum proscriptionem, nemo non intelliget intrinsece id juris pariter Ecclesiae inesse. Dedecet enim Christianum veritati inhaerentem errorum laqueis delectari; nec est societas luci ad tenebras, nec conventio Christi ad Belial, unde vel ipso Apostolorum aevo legimus in Act. 19, 19 quod praedicatione, ac signis D. Pauli commoti, *multi credentium veniebant, confitentes, et annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.* Porro in Ecclesia tale jus nunquam non viguisse novimus, quidquid perversi homines acri conatu opponere tentaverint, editis quoque scriptis, cujusmodi e recentioribus nonnulli, qui in Congregationem Indicis sic dictam, cui nempe incumbit post Tridentinum Concilium librorum examen, et vota pro eorumdem prohibitione statis regulis conformata elicere, furenter insurgunt, cujusmodi; e. g. Arnaldus *sulla proibizione de libri*, Tamburini in *vera idea della S. Sede, in Praelectionibus*, et alibi. At vel ipsa *Storia polemica sulla proibizione de' libri* Auctore Zaccaria, sat hoc jus perenni firmatum praxi sartum tectumque astruit, nec non quotquot in Tamburinum hisce annis calamum strinxere, ut Bolgeni, Cuccagni, etc. Adi quoque Mozzi *Trattenimenti famigliari*, etc., ubi librorum prohibitionem a detrectationibus rabularum purgat, et peculiariter Jansenisticae sectae libros vetitos recenset. Verum enimvero quod maxime praefatae Congregationi decus, et obsequium conciliare valet, est Benedicti XIV *Constitutio Solicita, qua methodus praescribitur in examine et proscriptione librorum servanda;* ubi prudentissimae, ac rigidissimae critices regulae, quales tanti momenti tribunal decent, traduntur. Haec Constitutio sicut et alia decreta permulta ad varias librorum prohibitorum classes, legentium, ac retinentium poenas etc. spectantia, apud Antoine *in Theologia morali universa,* aliosque Moralistas, ac Canonistas reperiuntur, sed signanter in *Indice librorum prohibitorum.*

Quia vero ex miserentis Dei munere nulla natio a fidei praedicatione excluditur, juxta J. C. praeceptum: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae,* idcirco omni tempore id summe cordi Ecclesiae fuit verbi Dei praecones etiam cum vitae discrimine ad infideles,

aliasque nationes mittere, maximeque ipsiusmet Ecclesiae Catholicitas inde firmatur, quae ut alias suo loco innuimus, universitatem tum locorum, tum personarum, et temporum complectitur, idque successiva praedicatione peragitur. Jamque praeter primitivae Ecclesiae missiones, quibus Asia, Europa, et Affrica veritatis lumen acceptum referunt, celebris memoratur missio Saec. VI S. Augustini, aliorumque D. Benedicti Monachorum in Angliam sub Gregorio M. Ex eodem etiam Ordine S. Bonifacius erudiendae Germaniae fuit destinatus Saec. VIII, S. Gerardus Sagredo pro Hungaria Saec. XI, S. Bonifacius D. Romualdi discipulus pro Russia Saec. XI, etc. Detecta vero America, illuc Missiones frequentes directae fuere, nec non in Asiam etc. Immo et insignis erectio Missionum seu Collegii, aut Seminarii *de propaganda fide* in urbe instituta fuit a Gregorio XV an. 1622, nec non Seminarium Missionum exterarum Parisiis fundatum an. 1663 a P. Bernardo Carmelita Excalceato, et utrinque optime meriti fidei propagatores inclaruere. Clemens vero XI an. 1707 quibusdam religiosis Ordinibus aliquot regionum missiones assignavit, adeout praecipue ab ipsis hujusmodi munus exerceatur. Lectu digni sunt *Stato presente della Chiesa Rom.*, nec non Fabricius, etsi in pluribus carpendus utpote nativa Protestantium invidia aliquando pollutus, in opere *Salutaris lux Evangelii.* Dixi ex invidia, non enim quidpiam simile Missionibus nostris praestare unquam Protestantes valuere, in variis eorum tentaminibus: nec enim apud eos, sed apud nos tantum divinae gratiae interior operatio, quae praedicationis irrigationi incrementum dat, simul cum legitima praedicatorum missione reperitur. Qui felicissimos religionis nostrae progressus, etiam grassantibus alicubi procellis, noscere aveat, historicos legat, et mirabili D. O. M. providentia videbit eo tempore felicius in alias regiones religionem diffundi, quo alibi dirius fuerit vexata: sic erumpentibus Lutheri aliorumque haeresibus, ingentes per D. Franciscum Xaverium conversiones, atque omnigēna prodigia apud Indos fiebant; et modo deficiente seu elanguente in pluribus fide in Europa, laetissimae propagationis in Sina aliisque locis nuntia venere, quae in Diario Ecclesias. Rom. relata admirabere.

§. II.

De Spe.

A Q. 17 ad 22.

Protestantes spem ad fiduciam, et quidem omnis timoris expertem, pertrahere volunt, qua J. C. sanctitatem sibi applicari firmiter tenent. Quesnellus vero spem cum charitate adnectit, ut in prop. 57: *Totum deest peccatori quando ei deest spes: et non est spes in Deum, ubi non est amor Dei;* quae in Bulla *Unigenitus* damnatur. Pariter Protestantes timorem servilem seu ex gehenna confundentes cum ipsius servilitate, timorem servilem absolute malum effutiunt, contra quod D. Thomas ait q. 19, a. 4; iisque succinunt Jansenistae, ac Quesnellistae, ac nuper Synod. Pistor. in prop. 25 de Timore Servili damnata in Constit. *Auctorem fidei,* dum quod ex charitate non est, malum traducunt ex famosa eorum doctrina de duplici amore dominantis cupiditatis, vel charitatis; porro timor servilis foras pellitur a charitate. Ast et timor servilis bonus est, ut antea cum D. Thoma observavimus, probaturque ex verbis J. C. Luc. 12, 5. *Timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis hunc timete,* etc.; nec non ex Aug. in Psal. 127 ubi de servili timore inquit: *bonus est et ille timor, utilis est, sed non est ille castus permanens in saeculum saeculi;* ac praecise id innuitur a Trid. Sess. 6, Cap. 6, ubi de dispositione ad peccatorum justificationem ita decernit: *disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati a divina gratia et adjuti .... a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt,* etc.

Alii in spem errores prolati a quibusdam pseudo-mysticis fuere, Saec. XIV, sed speciatim a Molinosio Hispano, Saec. XVII, ejusque asseclis, qui spem velut imperfectionem respuebant, solique purae charitati, absque proemii expectatione immo cum indifferentia ad ipsum, vel ad gehennam, inhiandum esse docebant; quo in statu perfectae contemplationis passivae et receptis divinis luminibus, ac charismatibus in anima, silentibusque potentiis ejus, Sacramenta

aliaque bona opera indifferentia asserebantur, immo et velut innoxiae turpitudines quaevis in parte sensitiva, seu in corpore exurgentes. Quae impudens doctrina ab Innocentio XI elisa fuit in 68 proposit. Hoc luto, absque tamen infandis hisce consectariis, foedata quoque fuit Matrona de Guyon, ab eaque ipsemet Fenelonius Archiep. Cameracensis pietatis specie deceptus id veneni hausit, unde tot ipsum inter et Bossuetum efferbuerunt digladiationes, resque ab Apostolica Sede dirempta fuit, damnato Fenelonii libro *Explications des maximes des Saints*, ab Innocentio XII, an. 1699, excerptisque ex eo 23 prop. quae *ut temerariae, scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, in praxi perniciosae, atque etiam erroneae*, plexae fuere. Porro summa Fenelonius docilitate, ac submissa Apostolicis oraculis obedientia e suggestu Bullam damnationis ipsemet pubblicavit, suosque errores est execratus. Vide Ramsay *la vie de M. de Fenelon;* et quoad controversiae naturam Bossuet *Avertissement sur les Ecrits*, etc.: ubi et pravas hujusce doctrinae consecutiones detegit, ac repellit, quas utique Molinosius et ejus gregarii, non vero Fenelonius admittebant, licet omnes communi vocabulo Quietistarum usuveniant, ab asserta eorum oratione quietis Deo passive inhaerente, et corporeo passionum pondere experte.

§ III.

De Charitate.

A Q. 23 ad 46.

Oppositum Quietistis iter agressus nuperrime fuit Bolgenius in Dissert. *della Carità*, ubi Deum unice ut nobis bonum diligendum perhibet, seu amore concupiscentiae sic dicto, non vero amore benevolentiae, prout est per se diligibilis, summeque intrinsece bonus, nititurque ostendere id apprime consonum esse sacris litteris, ac traditioni, proindeque solum amorem benevolentiae ceu a scholasticis confictum repellit. Muzzarelli ei restitit, nec non Cortez editis egregiis confutationibus, legitima asserta distinctione duplicis amoris benevolentiae, et concupiscentiae, etiam quoad

Deum, qualem D. Thomas q. 23, a. 1, et q. 27, a. 2. et 3, ponit, et qua permultae, alioqui inextricabiles veritates circa dispositionem ad justificationem, circa peccatorum opera, etc. facile habentur. Superest et alia in Catholicorum scholis agitata disputatio de necessitate relationis nostrorum actuum in Deum, ut ei placeant. S. Doctor q. 23, a. 7, relationem ad summum bonum per charitatem innuit, ut sit vera virtus. Ast *potest aliqua virtus dici sine charitate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum.* Insuper loquens de hac relatione in q. 1, de charitate inter disputatas, a. 11 ad 2, haud necessariam actualem relationem pronuntiat, sed satis esse virtualem aut etiam habitualem, ut ait quoque in l. Sent. dist. 1, a. unic., et 1, 2, q. 88, a. 1 : *ut habitualiter* (vel virtualiter, ut promiscue apud Veteres) *referat se et omnia sua in Deum.* At actualem relationem exigi ab Ariminensi quidam affirmant; recentiores vero Augustinenses Theologi cum Berti, et aliis, nedum necessitatem relationis virtualis in Deum ex formali praecepto asserunt, sed etiam ex motivo charitatis saltem imperfectae ad hoc ut verae virtutes sint. Aliter alii, remissius nempe dum non praeceptum sed consilium hac de re extare ajunt; immo et variae explicationum subtilitates invectae fuerunt, ut apud Theologos diversarum scholarum inspicere est. Haec porro dissensio quoad necessitatem alicujus charitatis ad veram virtutis naturam, jungitur quaestioni alias peractae in § 1, Cap. praec. de infidelium, ac peccatorum operibus. Praeter methodicae Theologiae tractatores, consulatur Cleri Gallicani explicatio in Bullam Unigenitus an. 1720, ubi oppositi hac de re errores Quesnelli confodiuntur, ac verae charitatis notio exhibetur. Vide quoque Bossuet *Traité de l'amour de Dieu,* et plura a Moralistis, ac Mysticis mutuare, unde ignis, quem venit Jesus mittere in terram, accendatur in corde in dilectione Dei, et proximi.

Permulta scitu digna de virtutibus Theologicis apud Moralistas extant, inter quae non reticenda damnatio perversae prop. ab Alexandro III : *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actus fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium,* cum potius certo asseri debeat quod tum initio usus rationis, quum in periculis tentationum, ac vitae, immo et alio quoque tempore praefati actus sint emittendi, quibus in spiritu alimur, et in Deum finem ultimum provehimur.

CAPUT QUARTUM

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

§. I.

De Justitia.

A Q. 57 ad 80.

Praeclare Bergier in *Encyclop. Method. Theol. art. Vertù* ait « D. Thomas prae omnibus Theologis virtutes morales melius distinxit, atque definiit, earumque officia melius exposuit in secunda parte Theologicae Summae; ac ratiocinii vi veteribus philosophis longe antecelluit, quia virtutem felicius noverat, deque ipsa juxta Evangelium scripsit, eamque in seipso ceu in exemplari perfectissimo expressit. » An in quopiam Sophorum aliquid hujusmodi plene invenitur? Ad nauseam usque a neotericis extollitur humanae vis mentis, adeo ut satis morales veritates ex ea nobis innotescere contendant. Veteres philosophos, ac Ethicae scriptores in medium proferunt Platonem, Aristotelem, Plutarcum, Epictetum, Ciceronem, Senecam, M. Aurelium Antoninum etc; multoque magis, posteriores novissimosque hujusce scientiae tractatores; at sicut alias ostendimus in Append. T. I, C. 1. heu! nimium caligat oculus in sauciata hominis natura, ut absque religionis face inter passionum fluctuantium tenebras tuto incedere queat, sicut infauste Gentium ut ut excultarum experimento compertum est, si verae religionis ductui non inhaeserint.

Porro ad quatuor virtutes cardinales sic dictas quaelibet morum officia ingeniose non minus, quam solide Angelicus redigit, suntque idcirco cardinales, seu primariae aut fundamentales nuncupatae. S. Thomas in qq. *disput.* q. 8, in Opusculo 71 *de vitiis et virtutibus*, sicut passim Patres, ac Theologi egregie de hisce virtutibus, earumque consectariis

locuti sunt; sed speciatim in hunc censum veniunt S. Martinus Ep. Bracarensis in tractatu de IV *Virtutum cardinalium differentia*. Alcuinus *de virtutibus, et vitiis*, Isaacus Jun. *de difficultate virtutum*, S. Bernardinus Senensis, S. Laurentius Justinianus, etc. Nobis vero S. Thomae vestigia prementibus, abundam adeo segetem ex eo derivamus, ut longior enucleatio superflua videri possit juxta institutum nobis propositum; siquidem non absolutum moralis doctrinae cursum exhibere mens est, sed nitida germanaque principia tradere, quibus reliquum aedificii liceat ex eodem D. Thoma, aliisque superstruere. Praestat nihilosecius vel obiter aliquid in praefatas virtutes adnotare. Juris justitiaeque theoria a D. Thoma expenditur a q. 57 ad 122, et specialiter ipsiusmet justitiae fundamenta relate ad proximum, ut reddatur unicuique suum, traduntur a q. 57 ad 80. Quae autem Angelicus q. 57 et 58 prosequitur relate ad jus, majus accipit robur ex dictis in 1. 2, ubi de virtutibus, ac legibus, nec non ex C. 1, § 1 hujus Append. Data opera S. Zeno scripsit *de justitia* sicut posterius de Lugo, Petrus a S. Joseph etc. Nuper prodiit *Tractatio de restitutionibus* Ven. Servi Dei Beati Angeli Carletti notis illustrata a Patre Marentini. Romae 1771, t. 2. Permultas porro inspicias apud Moralistas praesertim circa contractus et usuram, cui remedium attulere Concilia, et Pontifices. Legatur Benedictus XIV in *Syn. Dioec.* Peculiare Opusculum *de usura extat* apud D. Thomam, numero 73. Nuper Leotardi egregium tractatum hac super re concinnavit, atque usuram Societati noxiam evincit, utpote quae lucrum sine industria procuret.

§. II.

De Religione.

A q. 81 ad 100.

Inter ea permulta, quae uberioris illustrationis ergo huic de religione tractatui appendere possemus, haud reticendum, quoad q. 83, a. 1. 2, 3, Pelagianos, Hussitasque orationis necessitatem, vi suorum systematum de gratia, fuisse inficiatos; idipsum de perfectis senserunt Beguardi

Saec. XIV, quos in tali statu ab omni legum onere solutos putabant, ac citra piaculum posse sui corporis illecebris indulgere. Nec defuere veteres recentioresque Pseudo-mystici, quibus visum est oratione adeo proficere, ut passionum onus non amplius paterentur: praesertim Molinos Saec. XVI Orationem quietis sic dictam promovit, de qua in praec. Cap. ubi de Spe.

In articulo 4 hujusce quaestionis asseritur licitum esse Angelos et Sanctos orare. quod et sacris textibus apprime consonat: Gen. 48, 16. Exod. 23, et 32, Num. 11, Job. 5, II Machab. 15, 14 etc., atque adeo mirum Hussitas, aliosque Protestantium, queis praetensa Bibliorum lux vivide effulget, hunc veritatem velut idololatriam detestari. Concilia Aurelianense c. 23, Toletanum V c. 1. et pervetusta praxis constans, Litanias seu rogationes Sanctorum adprobant; Gangrense vero Conc. in Cap. 20 ait: *Si quis oblationes, quae in locis, et Basilicis Martyrum celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas, anathema sit.* Tridentinum in Sess. 25 Catholicum dogma enucleate exprimit, et ab haereticorum impetu tutatur. Praeclare de cultu Sanctorum egit Trombelli, et quidquid ad Sanctorum gloriam ordinat Ecclesia dedit in L. *de Beatificatione, ac Canonizatione Sanctorum Benedictus XIV.* Articulus II huic affinis est, Sanctorumque intercessio pro nobis etiam ex II Petri 1 patet, ubi ait: *Dabo operam, et frequenter habere vos post obitum meum.* Iterum de Sanctorum cultu agit D. Thomas in 3 p. q 25, a. 8. *V. App. T. III, C. 1,* § 1.

Ad q. 89, a. 2 praestat vexatissimi textus Math. 5, 34 *nolite jurare omnino* interpretationem apponere, quam D. Ludovicus Nachi Abb. Visit. Camald. dedit in Appendice Dissert. *dell'indissolubilità del Matrimonio* Venezia 1792. Inquit autem non prohibuisse Christum jurare, sed contra pseudo-justitiam Pharisaeorum, ac Scribarum, quam correxit in sermone Matth. 5, quamque hac in re detegit Matth. 23, docuisse juramenta sub cujuslibet creaturae denominatione vera juramenta esse, ideoque iis non utendum, quotiescumque non liceat jurare per Deum, quod juramentum nec Christus, nec Jacobus prohibuisse legitur; sicut praefatis Matthaei verbis, nec non Jacobi litteraliter serviliterque inhaerentes Quackeri, Anabaptistae, ac Sociniani nonnulli juramentum quodvis illicitum esse dixerunt. Proscripta inspicitur in Bulla Auctorem fidei in prop. 75 ex Syn. Pistor. « Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Eccle-

siae juramenta visa esse a documentis divini Praeceptoris, atque ab aurea Evangelii simplicitate adeo aliena, *ut ipsummet jurare sine extrema, et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus:* Insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare, juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse:* Indeque progreditur ad improbanda juramenta, quae Curia Ecclesiastica, jurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta, in Investituris, et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit, statuitque adeo implorandam a Saeculari Potestate legem pro abolendis juramentis quae in Curiis etiam Ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis, et officiis, et generatim pro omni actu curiali, *falsa, Ecclesiae injuriosa, juris Ecclesiastici laesiva, disciplinae per Canones inductae, et probatae subversiva.* »

Relate ad Simoniam, de qua loquitur D. Thomas q. 100, haec nomen sortita est a Simone Mago, qui prodigia a S. Philippo Apostolo peracta admiratus, eaque et ipse operari inhians, baptismo ablui voluit, et videns Petrum, et Joannem per manuum impositionem fidelibus Spiritum S. elargiri, pecuniam eis obtulit, ut idem privilegii assequeretur, cui Petrus dixit: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Siquidem Matth. 10, 8 dixerat Christus Apostolis: *gratis accepistis, gratis date.* Absit autem ut juxta quorumdam pseudozelatorum elapsi saeculi mentem Missarum eleemosynas, sacrorumque officiorum stipendia simoniae postulemus, qua de re extat prop. 54 damnata ex Syn. Pistor., videlicet: « Item quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *Stolae*, et generatim quodcumque stipendium, et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet Parochialis functionis occasione offerretur: Quasi turpis abusus crimine notandi essent Ministri Ecclesiae, dum secundum receptum, et probatum Ecclesiae morem, et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur, *Falsa, temeraria, Ecclesiastici, ac Pastoralis juris laesiva, in Ecclesiam, ejusque Ministros injuriosa.* Porro Canonistas, de variis hujusce criminis speciebus, ac poenis consulito. Simoniae labem heu! nimis grassantem legimus Saec. X, et XI, cui perimendae Pontificum, Conciliorum, Sanctorumque virorum zelus exarsit, ut apud Ecclesiasticos selectae frugis historicos.

§. III.

De Fortitudine, speciatim de Martyrio.

Quod maxime in Ecclesiae decus, ac validum credibilitatis ejus argumentum cedit, fatentibus cunctis, est Martyrum constantia, quam nonnisi divinitus repeti posse cognoscit pacata, ac rite instituta eorum actuum perpensio. Sat namque considerare sanctissimam Martyrii causam, quae sola verum Martyrium principalius discernit, ut Aug. inquit: *Martyrem non facit poena, sed causa:* sat immobilem Martyrum fere innumerabilium fortitudinem in qualibet aetate, conditione ac sexu, exquisitissimos inter cruciatus hilaritatem, ac virtutum generosissima specimina erga ipsos persecutores et carnifices exhibita; sat miracula extollendis Martyrum meritis a Deo patrata, nec non ingentem Paganorum hisce spectaculis ad fidem conversorum multitudinem, ut nostrae assertionis veritas ineluctabiliter eluceat. Nihilominus Dodwellus cum aliis e Protestantibus, Martyrum numerum imminuere satagit, sicuti Bayle, aliique increduli echo ei fecere: tormentorum etiam atrocitas, patiendi constantia, ac innocens Martyrii causa, ab anti-Christianis fuit impetita, ac instar fanatismi aliis sectis communis traducta, nec non erga reliquias Martyrum cultus exprobatus. Verum qui talium calumniarum putidam labilitatem dignoscere aveat, in Acta Apostolorum, priorum Patrum Apologias pro Christiana religione in App. T. I, C. I, § 1 citatas, Lactantium speciatim in *Instit. Divin. et de morte Persecutorum,* Prudentium, in graphicis Martyrum enarrationibus oculos injiciat, sicut et Papebrochii Acta Martyrum, et signanter Ruinart *Acta primorum Martyrum sincera,* ac Ansaldi *de Martyribus,* aliique qui Dodwellum refellunt, recentioresque religionis Assertores imbi relatos egregie istud quoque credibilitatis monumentum e Martyribus haustum adornantes, immo et ipsos Gentiles, Tacitum, Juvenalem, Senecam, Plinium, Celsum etc. Gallonius tractatum exhibuit *de Martyrum cruciatibus,* ubi instrumenta eorum pandit, sicut plura dedit Mamachi *in orig. Christ.*, et *Costumi de' Cristiani,* Peverelli *Storia delle Persecuzioni* etc.

Cultus autem Martyrum reliquiis praestitus apprime adprobatur a primitivo Ecclesiae usu, et luculenter in hujus

hostes anathema dixit Gangrense Concilium ineunte Saeculo IV ut supra, ubi de oratione, Sanctorumque cultu. Rem conficiemus verbis Tertulliani *in Apol.* c. 50, quibus mira Martyrum gloria in Ecclesiae utilitatem effertur: *Nec quidquam proficit exquisitior quoque crudelitas vestra. Illecebra est magis Sectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pirrhon, aut Callinicus; nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobatis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur, ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit? ubi accessit pati exoptat, ut Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Ut est aemulatio divinae rei, et humanae, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.*

§. IV.

De Temperantia; ubi de jejunio, ac caelibatu.

Non verborum fuco, sed operum lance anti-catholicos expende. An cohibendis passionum illecebris adeo insudant, ut verae religionis asseclae censeri queant? Infanda prorsus, ac belluina apud eos reperies, qui belluarum more a spirituali, divinoque actuum humanorum fine deficiunt, et si quos religione aliqua imbutos reprimendae carni intentos offendas, ni Catholici vere, et ex animo sint, in oppositos rigoris excessus eos impingere deprehendes. Siquidem veram temperantiae normam ab eo solo discere est, qui ait: *Ego sum via, veritas, et vita*, et omnimodae virtutis exempla nobis in seipso exibuit.

De jejunio, et continentia, quibus corpus castigatur, ac rebelles compescuntur passiones, nec non Dei furor placatur, et vegetior animae, ac corporis sanitas praeparatur, praeclara in utroque Testamento habentur specimina et laudes, ipseque J. C. isthaec exemplo suo sanctificavit. Nihi-

lominus liberiores philosophi nostri aevi, sublimioris moralis caeteroquin laudatores, jejunium ceu superstitiosum traducunt, utpote quia divinitatem dedeceat in humani corporis afflictatione delectari; Protestantes vero, ut Dallaeus, Binghamus, et alii, nonnisi delicatos cibos in veteri jejuniorum Ecclesiae praxi vetitos volunt. Quoad continentiam vero, caelibatum prasertim, Philosophi Recentiores haud minori furunt aestu, ac Matrimonii dignitati, Societatis incremento plurimam inde detrahi clamitant; nec Protestantes ab his recedunt, digni ejus discipuli, qui nova virtutis via reformationis munus obivit spreto solemni religionis voto, publice in matrimonium sibi adscita Moniali pari voto obstricta. Ast contra incredulos, quoad jejunium ipsos omnis aetatis philosophos adducere praestat, cujusmodi Pythagoram, Platonem, Zenonem, aliosque jejunii encomiastas, quos inter Porphyrium in suo tractatu *de Abstinentia*: Vide *Mem. Acad. des Inscript.* t. 8 in 12. Quoad continentiam vero, ac caelibatum omnes nationes, Egyptii, Persae, Indi, Graeci, Romani, etc. semper honore summo tantae virtutis cultores habuere: exemplo sint Vestales apud hos ultimos, nec inde jactura ulla humanis bonis pertimescenda, ut contra Warton, aliosque, Apologistae nostri ostenderunt rigidissimis populationum, artium, scientiarumque calculis comparativis inter regiones catholicum caelibatum admittentes vel respuentes. Legatur Zaccaria *Storia Polemica del Celibato sacro, Nuova giustificazione del Celibato sacro.*

Quoad Protestantes vero adnotare est carnem in jejuniis interdictam etiam antiquitus fuisse, et Concilium Laodicenum an. 366 circiter celebratum Xerophagiae observantiam praecipit, nempe ciborum exsiccatorum jejunium. Si vero abstinentiae regula generalis antiquitus lata non fuit, hoc praecavendis erroribus tribui debet. Sic in Can. Apost. poena depositionis infligitur Ecclesiasticis, qui a carne et vino abstinent, non mortificationis causa, sed ex horrore, quasi et haec non essent Creatoris dona; et scimus hos errores dualistis fuisse communes, et speciatim manichaeos carnem, et vinum a malo principio condita effutiisse. Successive autem elapso hujus haeresis periculo, universalior ciborum regula pro jejunantibus in Ecclesia obtinuit. Adi veterum disciplinae canonum scriptores. Recens vero extant, ac penes Moralistas passim reperiuntur responsiones Benedicti XIV ad Archiep. Compostellanum, et Clementis XIII Encyclica circa jejunii cibos, quibus relativae quaestiones provide enodantur, et tutae praxi consulitur. Perlegas e Patribus S. Ba-

silium, S. Leonem M. aliosque. Circa continentiam, ac caelibatum, mirum profecto quod ii qui clare omnia in Bibliis autumant intueri, praeter plurimas utriusque Testamenti praefatae virtutis laudes, ac congruentiam pro perfectiori hominum statu, sive pro Ecclesiasticis, non viderint Matth. 5, 18; 19, 12, I. Cor. 7. 6, I. Tim. 5, 22, ad Tit. 1, 8. Apoc. 14, 4. Adde Concilia permulta, cujusmodi Ancyranum an. 313, Neocaesariense an. 318, ac alia subinde, quae Cleri continentiae quammaxime consuluere. Vide S. Hieron. *ad Vigilantium*, S. Epiphanium *Haeres.* 59, n. 4. Hujusce virtutis, Virginitatis praesertim laudes, sive metrica, sive soluta oratione pro dignitate extulerunt Patres, S. Basilius, ejusque Frater, S. Cyprianus, S. Gregorius Nyssenus, S. Jo: Chrysost., S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Gregorius Nazianz., S. Ephrem, S. Zeno, S. Jo: Damascenus, S. Anselmus etc.

Non tacendum videtur quod novissime contendit Besozzi in opere *Sopra li voti Monastici*, videlicet Moniales non extantibus Monasteriis non amplius ligari continentiae voto; at fortiter huic errori resistit Cuccagni, et Auctor *Eccezioni legittime al libro, che ha per titolo: Sopra li voti Monastici.* Pius VI an. 1782 Vindobona misit Breve ad Episcopum Brunensem, quo declarat Regulares extinctis eorum Monasteriis haud posse nuptias inire, aut testamenta condere.

Finis Tomi Secundi.

ENCHIRIDION

DOGMATUM ET MORUM

TUTISSIMO AC UNIFORMI SCHOLARUM OMNIUMQUE ECCLESIASTICORUM USUI ACCOMODATUM

EX SUMMA THEOLOGIAE

D. THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

AD VERBUM DEPROMPTUM

NOTISQUE AUCTUM

AC

PIO VII. P. M.

DICATUM

A. D. PLACIDO ZURLA

MONACHO BENEDICTINO CAMALDULENSI
AD S. MICHAELIS DE MURIANO VENET. S. TH. L.

TOMUS TERTIUS

VERONAE

Typis Vicentini et Franchini

MDCCCLXI.

SYLLABUS

QUAESTIONUM

D. THOMAE AQUINATIS

IN TITULIS TERTII TOMI EXPOSITARUM

PARS TERTIA

DE INCARNATIONIS MYSTERIO

DE SACRAMENTIS

SUPPLEMENTUM TERTIAE PARTIS

DE VITA ÆTERNA

MONITUM

Ex Editione a P. Rubeis illustrata

SYLLABUS

APPENDICIS

C. I. DE INCARNATIONE

C. II. DE SACRAMENTIS

C. III. DE VITA ÆTERNA

DIVI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

SUMMAE THEOLOGIAE

PARS TERTIA

Prologus.

Quia Salvator noster D. N. J. C. teste Angelo, populum suum salvum faciens a peccatis eorum, viam veritatis nobis in seipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitae resurgendo pervenire possimus; necesse est, ut ad consummationem totius Theologici negotii, post considerationem ultimi finis humanae vitae, et virtutum, ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore, ac beneficiis ejus humano generi praestitis nostra consideratio subsequatur.

Circa quam primo considerandum occurrit de ipso Salvatore. Secundo de Sacramentis ejus, quibus salutem consequimur. Tertio de fine immortalis vitae, ad quam per ipsum resurgendo pervenimus. Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima est de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo. Secunda de his, quae per ipsum Salvatorem nostrum, idest Deum incarnatum, sunt acta, et passa.

DE INCARNATIONIS MYSTERIO

(Q. 1.) DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

Vide Append. C. I. § 1.

Circa primum tria consideranda occurrunt. Primo quidem de convenientia Incarnationis. Secundo de modo unionis Verbi incarnati. Tertio de his, quae consequuntur ad hanc unionem.

(a. 1.) *Quoniam* ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se creaturae communicet: quod quidem maxime fit per hoc, quod *naturam creatam sic sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima, et carne,* sicut dicit Aug. 13 de Trin. c. 16; *ideo* manifestum est quod conveniens fuit Deum incarnari.

(a. 2.) *Immo quamvis* Deus per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare, *tamen* necessarium fuit Deum incarnari ad humanae naturae reparationem *eo sensu quo* Aug. dicit 13 de Trin. c. 10. *Verum etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati omnia aequaliter subjacent; sed sanandae miseriae nostrae convenientiorem alium modum non fuisse... Et sane praeter alias rationes* homo purus satisfacere non poterat pro toto humano genere; Deus autem satisfacere non debebat: unde oportebat Deum et hominem esse Jesum Christum.

(a. 3.) Utrum *vero* si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset, . . aliqui circa hoc diversimode opinantur. Quidam enim dicunt, quod etiamsi homo non peccasset, Dei filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium asserunt: quo-

rum assertioni magis assentiendum videtur. Ea enim quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium propter peccatum; ita quod peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur: potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari.

(a. 4.) Certum est Christum venisse in hunc mundum, non solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros, sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quae postmodum superaddita sunt . . . (a. 5.) Cum autem opus Incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem humanae naturae per peccati abolitionem, manifestum est quod non fuit conveniens a principio humani generis ante peccatum Deum incarnatum fuisse. Non enim datur medicina nisi jam infirmis. Unde ipse Dominus Mat. 9, 12. dicit: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus: non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

Sed nec etiam statim post peccatum conveniens fuit Deum incarnari. Primo quidem propter conditionem humani peccati, quod ex superbia provenerat, unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret se liberatore indigere . . . Secundo propter ordinem promotionis in bonum, secundum quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Unde Apostolus dicit I. ad Cor. 15, 46, *Non prius quod spirituale est, sed quod animale,*

deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis. Tertio propter dignitatem Verbi incarnati: quia super illud Gal. 4. *At ubi venit plenitudo temporis,* dicit Glossa, Aug. tract. 31, In Jo: *Quanto major judex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat.* Quarto ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret, quia circa finem mundi frigescet caritas multorum. Unde Luc 18, 8 dicitur: *Cum filius hominis veniet, putas inveniet fidem in terra?*

(a. 6.) *Porro* sicut non fuit conveniens Deum incarnari a principio mundi; ita non fuit conveniens, quod Incarnatio differetur usque in finem mundi.

(Q. 2.) DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI.

Deinde considerandum est de modo unionis Verbi incarnati: et primo quantum ad ipsam unionem; secundo quantum ad personam assumentem; tertio quantum ad naturam assumptam.

(a. 1.) Unio Verbi incarnati non est facta in natura, *ut* dicitur in determinatione Concilii Chalcedonensis: *Confitemur in novissimis diebus filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, numquam sublata differentia naturarum propter unionem* . . . (a. 2.) *Sed* unio est facta in persona, *ut in eadem* Chalced. Syn. legitur Act. 5. *Non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum et eumdem Filium Unigenitum, Deum Verbum, D. N. J. C. confitemur* . . . (a. 3.) *Nempe* unio Verbi incarnati facta non est in supposito, sed in hypostasi, *unde* Damascenus dicit 3. lib. Orth. Fidei: *In Domino*

Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim.

Quidam vero ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, licet concederent in Christo unam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei, et aliam hominis, ac si unio sit facta in persona, non in hypostasi. Quod quidem apparet erroneum . . . . et hoc quod persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, secundum quod Boetius dicit in lib. de duabus naturis, quod *persona est rationalis naturoe individua substantia*: et ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanae naturae in Christo, et propriam personam. Quod intelligentes SS. Patres, utrumque in Concilio quinto apud Constantinopolim celebrato. Collat. 8. Can. 5. damnaverunt dicentes: *si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas; anathema sit. Nec enim adjectionem personae, vel subsistentiae suscepit S. Trinitas ex incarnato uno de S. Trinitate Deo Verbo.* Subsistentia autem idem est, quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, ut patet per Boetium in libro de duabos naturis.

(a. 4.) Sic persona vel hypostasis Christi post Incarnationem est composita, *ut* Damascenus dicit 3 lib. Orth. Fidei: *in Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam* . . . (a. 5.) *Et quia* pertinet ad rationem speciei humanae, quod anima corpori uniatur . . . *inde* necesse est dicere, quod in Christo fuerit anima corpori unita; et contrarium est haereticum, utpote derogans veritati humanitatis Christi.

(a. 6.) Circa mysterium unionis duarum naturarum in Christo duplex haeresis insurrexit. Una

quidem confundentium naturas; sicut Eutychetis, et Dioscori, qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta una natura; ita quod confiterentur Christum esse ex duabus naturis, quasi ante unionem distinctis, non autem in duabus naturis, quasi post unionem naturarum distinctione cessante. Alia vero fuit haeresis Nestorii, et Theodori Mopsuesteni separantium personas. Posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei, et Filii hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas, primo quidem secundum inhabitationem, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine, sicut in templo: secundo per unitatem affectus, in quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei: *tertio* secundum operationem, prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum: *quarto* secundum dignitatem honoris, prout omnis honor qui exhibetur Filio Dei coexhibetur Filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei: quinto secundum aequivocationem, idest communicationem nominum, prout scilicet dicimus, illum hominem esse Deum, et Filium Dei. Manifestum est autem, istos omnes modos accidentalem unionem importare.

Quidam autem posteriores magistri, putantes se has haereses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases, sive duo supposita, dicentes, hominem quemdam compositum ex corpore, et anima a principio suae conceptionis esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima opinio, quam Magister ponit in 6 dist. lib. 3. Sent. Alii vero nolentes servare unitatem personae, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed haec duo separata abinvicem esse

unita Verbo accidentaliter, ut sic non cresceret numerus personarum. Et haec est tertia opinio, quam Magister ibidem ponit. Utraque autem harum opinionum incidit in haeresim Nestorii. Prima quidem, quia idem est ponere duas hypostases vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, ut supra dictum est. *a.* 3 *hu. q.* Et si fiat vis in nomine personae, considerandum est, quod etiam Nestorius utebatur unitate personae, propter unitatem dignitatis, et honoris. Unde etiam quinta Synodus *sc. Constant.* 2 *gener.* 5 *collat.* 8 *can.* 5 definit anathema eum, qui dicit *unam personam secundum dignitatem, et honorem, et adorationem, sicut Theodorus, et Nestorius insanientes conscripserunt.* Alia vero opinio incidit in errorem Nestorii quantum ad hoc quod posuit unionem accidentalem. Non enim differt dicere, quod Verbum Dei unitum est homini Christo secundum inhabitationem, sicut in templo suo (sicut dicebat Nestorius) et dicere, quod unitum fuit Verbum Dei homini secundum induitionem, sicut vestimento, sicut dicit tertia opinio: quae etiam pejus dicit aliquid, quam Nestorius, scilicet quod anima, et corpus non sunt unita.

Fides autem catholica medium inter praedictas positiones tenens, non dicit unionem factam Dei, et hominis secundum essentiam, vel naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio modo secundum subsistentiam, seu hypostasim. Unde in quinta Synodo *loc. sup. cit.* dicitur: *Cum multis modis unitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinaris, et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quae convenerunt colentes,* idest interimentes utramque naturam, *unionem secundum confusionem dicunt: Theodori autem, et Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt.*

Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiae impietatem reijciens, unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Sic ergo patet, quod secunda trium opinionum, quas Magister ponit *l.* 3 *sent. dist.* 6 quae asserit unam hypostasim Dei et hominis, non est dicenda opinio, sed sententia catholicae fidei. Similiter etiam prima opinio, quae ponit duas hypostases, et tertia, quae ponit unionem accidentalem, non sunt dicendae opiniones, sed haereses in Conciliis ab Ecclesia damnatae.

(a. 7, 8.) *Quia* unio illa ab aeterno non fuit, sed incoepit esse ex tempore, *ideo* est aliquid creatum . . . Non dicitur divina natura assumpta ab humana, sed e converso: quia humana natura adjuncta est ad personalitatem divinam, ut scilicet persona divina in natura humana subsistat.

(a. 11.) Manifestum est, quod nulla Christi merita potuerunt praecedere unionem. Non enim ponimus quod antea fuerit purus homo, et postea per meritum bonae vitae obtinuerit esse Filius Dei sicut posuit Photinus; sed ponimus, quod a principio suae conceptionis ille homo vere fuerit Filius Dei, utpote non habens aliam hypostasim, quam Filii Dei, secundum illud Luc. 1, 45, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ideo omnis operatio illius hominis subsecuta est unionem. Ergo nulla ejus operatio potuit esse meritum unionis. Sed neque etiam opera alterius cujuscumque hominis potuerunt esse meritoria hujus unionis ex condigno . . . . Quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae, secundum illud Joan. 1, 17. *Gratia, et veritas per Jesum Christum facta est* . . . Ex congruo tamen meruerunt SS. Patres incarnationem

desiderando, et petendo: congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant . . . *Pariter* B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei.

(a. 12.) Gratia Christi sive unionis, sive habitualis, non potest dici naturalis quasi causata ex principiis humanae naturae in Christo; quamvis posset dici naturalis, quasi proveniens in naturam humanam Christi, causante divina natura ipsius. Dicitur autem naturalis utraque gratia in Christo, in quantum eam a nativitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinae personae unita, et anima ejus fuit munere gratiae repleta.

(Q. 3.) DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS.

Deinde considerandum est de unione ex parte assumentis . . . . (a. 5.) *Quoniam* quidquid potest Filius, potest Pater, et Spiritus Sanctus alioquin non esset eadem potentia trium personarum; sed Filius potuit incarnari; ergo similiter Pater, et Spiritus Sanctus. (a. 8.) Sed fuit magis conveniens, quod persona Filii assumeret humanam naturam, quam alia persona divina, *quia ut* Damascenus dicit in 3 lib. Orth. Fidei c. 1. *In mysterio Incarnationis manifestata est sapientia, et virtus Dei: sapientia quidem, quia invenit difficillimi solutionem pretii quam decentissimam; virtus autem, quia victum fecit rursus victorem.* Sed virtus et sapientia appropriantur Filio, secundum illud I. Cor. 1, 24, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Ergo conveniens fuit personam Filii incarnari.

(Q. 4.) DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURAE HUMANAE ASSUMPTAE.

Deinde considerandum est de unione ex parte assumpti. Circa quod primo considerandum occurrit de his, quae sunt a Verbo Dei assumpta. Secundo de coassumptis, quae sunt perfectiones, et defectus. Assumpsit autem Dei Filius humanam naturam, et partes ejus. Unde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantum ad partes ejus. Tertia quantum ad ordinem assumptionis.

(a. 1.) *Quoniam* creaturae irrationali deest congruitas dignitatis; naturae autem Angelicae deest congruitas necessitatis *reparationis ex originali peccato*, relinquitur, quod sola natura humana sit assumptibilis a Filio Dei . . . (a. 2.) *Non tamen* assumpsit personam . . . (a. 3.) *Sicut nec* hominem, *quia* hoc nomen *homo* significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse . . . (a. 4.) *Pariter* Filius Dei non debuit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis . . . *Non enim Incarnatio hoc, sed deceptio, et fictio Incarnationis esset, ut* dicit Damascenus in 3 lib. Orth. Fide. c. 11 . . . (a. 5.) *Neque* naturam humanam assumere debuit in omnibus individuis . . . Quia hoc derogaret dignitati Filii Dei incarnati, prout est primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturae secundum divinam; essent enim tunc omnes homines aequalis dignitatis.

(a. 6.) Conveniens *tamen* fuit quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adae . . . . Sicut Aug. dicit in lib. 13 de Trin. c. 18. *Pote-*

rat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adae qui suo peccato obligavit genus humanum; sed melius judicavit ut de ipso, quod victum fuerat, genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum . . . Sed quia Christus maxime debebat esse a peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quasi summam innocentiae obtinens, conveniens fuit ut a primo peccatore usque ad Christum perveniretur mediantibus quibusdam justis, in quibus praefulgerent quaedam insignia futurae sanctitatis. Et propter hoc etiam in populo, ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quaedam sanctitatis signa, quae incoeperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, et circumcisionem in signum foederis conservandi, ut dicitur Gen. 17.

(Q. 5.) DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE.

Deinde considerandum est de assumptione partium humanae naturae . . . (a. 1.) Dei Filius debuit assumere verum corpus, *quia* ut dicit Aug. quaest. 13. *si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit phantasma corpus ejus* . . . (a. 2) *Per consequens* debuit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem, *unde ipse* Dominus dicit Luc. ult. 39: *spiritus, carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere . . . Et* sicut veritas humanae naturae non salvaretur in Christo, si corpus ejus esset phantasticum, ut posuit Manichaeus; ita etiam non salvaretur, si poneretur coeleste, sicut posuit Valentinus . . . Hoc etiam derogaret veritati eorum quae Christus in corpore gessit . . . Non *enim* vere esu-

riisset, nec sitiisset, nec etiam passionem, et mortem sustinuisset.

(a. 3.) Filius Dei assumpsit *etiam* animam, *ut* Aug. dicit in lib. de Ag. Christ. c. 21. *Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum a Verbo Dei; et sic audiunt, quod dictum est, Verbum caro factum est, ut negent illum hominem, vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi solam carnem . . . Et* sicut dicit Aug. in l. de Haeres. Opinio fuit primo quidem Arrii, et postea Apollinaris, quod Filius Dei solum carnem assumpsit absque anima, ponentium quod Verbum fuerit carni loco animae. *Ex* quo sequebatur, quod in Chisto non fuerint duae naturae, sed una tantum: ex anima enim et carne, una natura humana constituitur. Sed haec positio stare non potest propter tria. Primo quidem quia . . . . sicut dicit Aug. quaest. 70; Evangelistae in Evangelica narratione narrant, quod miratus est Jesus, et iratus, et contristatus, et quod esuriit. Quae quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc, quod comedit, et dormivit, et fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum ... Secundo derogat praedictus error utilitati Incarnationis, quae est liberatio hominis. Ut enim argumentatur Aug. in lib. contra Felic. c. 13. *Si accepta carne Filius Dei animam omisit, aut innoxiam sciens, medicinae indigentem non credidit; aut a se alienam putans, redemptionis beneficio non donavit; aut ex toto insanabilem judicans, curare nequivit; aut ut vilem, et quae nullis usibus apta videretur, abjecit. Horum duo blasphemiam important in Deum . . . Duobus autem aliis, in uno animae causa nescitur, in altero meritum non tenetur ...* Tertio vero haec positio est contra ipsam Incarnationis veritatem. Caro enim et caeterae partes

hominis per animam speciem sortiuntur. Unde recedente anima, non est os, aut caro, nisi aequivoce.

(a. 4.) *Per consequens* Filius Dei assumere debuit quoque intellectum . . . *Si enim* Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem: quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali.

(Q. 6.) DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM.

Deinde considerandum est de ordine assumptionis praedictae . . . (a. 1.) Si attendamus gradum dignitatis, anima media invenitur inter Deum et carnem: et secundum hoc potest dici, quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. Sed et secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset asssumptibilis nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana.

(a. 3.) *Non tamen* anima a Dei Filio prius fuit assumpta, quam caro, *alioquin* ejus anima videretur esse non ejusdem naturae cum nostris quae simul creantur, dum corporibus infunduntur. Unde Leo Papa dicit in Ep. ad Jul. 35 alias. 11. quod *non alterius naturae erat caro ejus, quam nostra; nec alio illi quam caeteris hominibus, anima est principio inspirata.*

(a. 4.) *Neque* caro Christi fuit prius a Verbo assumpta, quam animae unita . . . *Nam* caro non debuit prius assumi, quam anima, quia non prius est caro humana, quam habeat animam rationalem,... in conceptione tamen Christi Spiritus Sanctus qui est agens infinitae virtutis, simul et materiam disposuit, et ad perfectum perduxit.

(Q. 7.) DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM SINGULARIS HOMO.

Deinde considerandum est de coassumptis a Filio Dei in humana natura: et primo de his, quae pertinent ad perfectionem; secundo de his, quae pertinent ad defectum. Circa primum consideranda sunt tria. Primo de gratia Christi. Secundo de scientia ejus. Tertio de potentia ipsius. De gratia autem Christi considerandum est dupliciter. Primo quidem de gratia ejus, secundum quod est quidam singularis homo. Secundo de gratia ejus, secundum quod est caput Ecclesiae: nam de gratia unionis jam dictum est q. 2.

(a. 1.) Dicitur Isa. 11, 2 *requiescet super eum spiritus Domini:* qui quidem in homine esse dicitur per gratiam habitualem. Ergo in Christo fuit gratia habitualis . . . Primo quidem propter unionem animae illius ad Verbum Dei . . . Secundo propter nobilitatem illius animae, cujus operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem, et amorem: ad quod necesse est elevari rationalem naturam per gratiam. Tertio propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim in quantum homo, est *mediator Dei, et hominum,* ut dicitur I, ad Tim. 2, et ideo oportebat quod haberet gratiam etiam in alios redundantem secundum illud Joa. 1, 16. *de plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

(a. 2.) Cum *vero* gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animae quantum ad omnes animae actus: et ita Christus habuit omnes virtutes . . . . (a. 3.) *Attamen sicut*

Fides est argumentum non apparentium, Hebr. 11, 1; Christo *autem* nihil fuit non apparens, secundum illud quod dixit ei Petrus Joan. ult. 17. *Tu omnia nosti;* ergo in Christo non fuit fides . . . (a. 4.) *Pariter* in Christo non fuit spes, *nam* Rom. 8. 24. *quod videt quis, quid sperat?*

(a. 5.) *Quoniam* dona proprie sunt perfectiones quaedam potentiarum animae, secundum quod sunt natae moveri a Spiritu Sancto; manifestum est autem quod anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur secundum illud Luc. 5. 1. *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane; et agebatur a Spiritu in desertum;* manifestum est quod in Christo fuerunt excellentissime dona . . . (a. 6.) *Etiam* donum timoris . . . prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiae movebatur in Deum a Spiritu Sancto acta. Unde Hebr. 5, 7. dicitur; quod in omnibus *exauditus est pro sua reverentia.*

(a. 7.) In Christo *pariter* excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae, sicut in primo, et principali fidei doctore . . . (a. 8.) In Christo fuit prophetia . . . et de eo praedicitur Deut. 18, 15. *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris:* et ipse de se dicit Mat. 13. 57. et Joa. 4. *non est propheta sine honore nisi in patria sua.*

(a. 5.) In Christo fuit plenitudo gratiae . . . *ut* dicitur Joa. 1, 14. *vidimus eum plenum gratiae et veritatis* . . . Sic enim recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios.

(a. 12.) Sic igitur manifestum est quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiae, sed neque etiam ex parte subjecti: quia Christus, secundum quod homo, a primo instanti suae conceptionis fuit verus et plenus comprehensor. Un-

de in eo non potuit esse gratiae augmentum; sicut nec in aliis beatis, quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino.

Quod autem dicitur Luc. 2. 52. *puer Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines, notandum* quod in sapientia, et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiae et gratiae augmentatos: et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora, et virtuosiora opera facit: et sic Christus proficiebat sapientia, et gratia, sicut et aetate: quia secundum processus aetatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum, et in his quae sunt ad homines.

(a. 13.) Gratia *autem* unionis secundum *intellectum* praecedit gratiam habitualem . . . . et gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem.

(Q. 8) DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE.

Deinde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est Caput Ecclesiae. (a. 1.) Christus est caput Ecclesiae, *ut* dicitur Ephes. 1. 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam* . . . (a. 3) Est *etiam* caput omnium hominum; *Ut enim* dicitur I. Tim. 4. 10. *est Salvator omnium hominum, et maxime fidelium:* et I. Joa. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Salvare autem homines, et propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo, secundum quod est caput; ergo Christus est caput omnium hominum . . . Attamen se-

cundum diversos gradus: primo enim et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam; secundo eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem; tertio eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem; quarto vero eorum, qui sibi uniuntur solum potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem; quinto vero eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quae nunquam reducetur ad actum; sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati: qui tamen ex hoc saeculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur.

(a. 4.) Christus est *etiam* caput Angelorum, *ut* Apostolus dicit Col. 2. 10. *Qui est caput omnis principatus, et potestatis*: et eadem ratio est de Angelis aliorum ordinum . . . quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines sed etiam quam Angeli, et de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli.

(a. 7.) Diabolus *e contra* est caput omnium malorum . . . *non* secundum interiorem influxum, et exteriorem gubernationem; sic *enim* Christus est caput Ecclesiae, *sed* secundum exteriorem gubernationem . . . pertinet *enim* ad gubernatorem, ut eos quos gubernat ad suum finem adducat. Finis autem diaboli est aversio rationalis creaturae a Deo . . . In quantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, sub diaboli regimine et gubernatione cadunt; et ex hoc dicitur eorum caput . . . Licet *enim* diabolus interius non influat rationali menti, tamen suggerendo inducit ad malum. (a. 8.) Antichristus potest etiam dici caput omnium malorum . . . propter malitiae perfectionem.

(Q. 9.) DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de scientia Christi: circa quam duo consideranda sunt. Primo quam scientiam Christus habuerit. Secundo de unaquaque scientiarum ejus.

(a. 1.) Filius Dei humanam naturam integram assumpsit, idest nom solum corpus, sed etiam animam, non solum sensitivam, sed etiam rationalem. Et ideo oportuit quod haberet scientiam creatam propter tria. Primo quidem propter animae perfectionem . . . alioquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum. Secundo quia cum quaelibet res sit propter suam operationem. frustra haberet Christus animam intellectivam si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scientiam creatam. Tertio quia aliqua scientia creata pertinet ad animae humanae naturam scilicet illa per quam naturaliter cognoscimus prima principia: scientiam enim hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Nihil autem naturalium Christo defuit, quia totam humanam naturam suscepit, ut supra dictum est q. 5; et ideo in sexta Synodo *Constantinopolitana* 3. damnata est propositio negantium in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias.

(a. 2.) *Quia* scientia beatorum in Dei cognitione consistit; sed Christus plene cognovit Deum, etiam secundum quod homo, secundum illud Joa. 8. 55. *scio eum, et sermonem ejus servo*; ergo in Christo fuit scientia beatorum.

(a. 3.) Oportet *etiam* in Christo ponere scientiam inditam, in quantum per Verbum Dei animae Christi sibi personaliter unitae, impressae sunt species intelligibiles ad omnia, ad quae intellectus

possibilis est in potentia . . . *Nempe* praeter scientiam divinam et increatam, est in Christo secundum ejus animam scientia beata, qua cognoscit Verbum, et res in Verbo; et scientia infusa, sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species humanae menti proportionatas.

(a. 4.) Dicendum est *etiam* in Christo fuisse scientiam acquisitam, quae proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subjecti recipientis, sed etiam ex parte causae agentis. Nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est humanae animae connaturale . . . *Tamen* Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inventionem, quam per disciplinam; praesertim cum ipse daretur a Deo omnibus in doctorem.

(Q. 10.) DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI.

Deinde considerandum est de qualibet praedictarum scientiarum . . . *Quoad scientiam beatam*, anima Christi non comprehendit Verbum, sive divinam essentiam . . . (a. 1.) eo quod infinitum non comprehenditur a finito . . . (a. 2.) Cognoscit *tamen* omnia in Verbo, *nempe* quae quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata a quocumque, secundum quodcumque tempus . . . *Non tamen quae* sunt in sola potentia divina . . . Hoc enim esset comprehendere omnia, quae Deus potest facere, quod esset comprehendere divinam virtutem, et per consequens divinam essentiam . . . Comprehendit *tamen* in Verbo omnis creaturae essentiam, et per consequens potentiam et virtutem, et omnia quae sunt in potentia creaturae.

(Q. 11.) DE SCIENTIA INDITA, VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI.

(a. 1.) *Secundum vero scientiam infusam, anima* Christi primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis; sicut sunt quaecumque pertinent ad scientias humanas: secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt . . . Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit, sed solum per primam, de qua supra dictum est q. praec.

(a. 2.) *Quoniam* animae beatae, et ante resurrectionem, et post, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata; hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quae plene habuit facultatem comprehensoris.

(a. 3.) *Et quia* propria operatio animae rationalis est conferre, et discurrere de uno in aliud; *ideo* in Christo fuit scientia discursiva vel collativa . . . *quatenus* poterat ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat; sicut Mat. 17. cum Dominus quaesisset a Petro, a quibus reges terrae tributum acciperent, a filiis suis, an ab alienis, Petro respondente, quod ab alienis, conclusit: *Ergo liberi sunt filii.*

(Q. 12.) DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI ACQUISITA.

(a. 1.) Sicut per scientiam inditam scivit anima Christi omnia illa, ad quae intellectus possibilis est quocumque modo in potentia, ita per scien-

tiam acquisitam scivit omnia illa, quae possunt sciri per actionem intellectus agentis. (a. 2.) *Et* Christus in hac scientia profecit . . . ex hoc scilicet, quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus, poterat etiam alias et alias abstrahere . , . quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientia et aetate . . . Habitus *tamen* scientiae infusae in eo non est augmentatus, cum a principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa; et multo minus scientia beata in eo augeri potuit.

(a. 3.) *Non vero* Christus aliquid ab homine didicit, . . (a. 4.) *neque* ab Angelis . . . et *dum* dicitur Luc. 22. 43, quod *apparuit Christo Angelus de coelo confortans eum* . . . ut Beda dicit super Luc. c. 92. *in documento utriusque naturae, et Angeli ei ministrasse, et eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturae suae non eguit praesidio; sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur;* ut scilicet in nobis fides Incarnationis ipsius confirmetur.

(Q. 13.) DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

Deinde considerandum est de potentia animae Christi. (a. 1.) Cum anima Christi sit pars humanae naturae, impossibile est, quod omnipotentiam habeat . . . Sed homo accepit ex tempore omnipotentiam, quam filius Dei habuit ab aeterno, per ipsam unionem personae; ex qua factum est, ut sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens; non quasi sit alia omnipotentia hominis, quam filii Dei, sicut nec alia deitas; sed eo quod est una persona Dei et hominis . . . (a. 4.) *Unde* resuscitationem proprii corporis, et alia hujusmodi mira-

culosa opera non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum divinitatis.

(Q. 14.) DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTI A FILIO DEI.

Deinde considerandum est de defectibus, quos Christus in humana natura assumpsit: et primo de defectibus corporis; secundo de defectibus animae.

(a. 3.) *Quoniam* proxima causa mortis, et aliorum defectuum est peccatum, per quod subtracta est originalis justitia; propter hoc quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse hujusmodi defectus, sed voluntate assumpsisse. (a. 4.) *Et quia* Christus defectus humanos assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanae naturae, ad quod requirebatur, quod haberet perfectionem scientiae. et gratiae in anima; illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturae; nec tamen repugnant perfectioni scientiae, et gratiae. Sic igitur non fuit conveniens, ut omnes defectus, seu infirmitates humanas assumeret . . . *sed solum eos* defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis, sicut mors, fames, sitis, et alia hujusmodi: et hos defectus omnes Christus suscepit, quos vocat Damascenus lib. 1. Orth. Fidei c. 14. *naturales et indetractibiles passiones:* naturales quidem quia consequuntur communiter totam naturam humanam; indetractibiles autem, quia defectum scientiae, et gratiae non important.

(Q. 15). DE DEFECTIBUS ANIMAE A CHRISTO ASSUMPTIS.

De defectibus animae a Christo assumptis, (a 1.) *dicendum quod* in Christo non fuit peccatum . . . . (a. 2.) *Nec* fomes peccati; (a. 3.) Nec ignorantia . . . (a. 4.) *Bene vero* quia corpus Christi fuit passibile, et mortale; necesse fuit, ut etiam ejus anima hoc modo passibilis esset . . . *Etiam* passiones animae, *seu* affectiones appetitus sensitivi in Christo fuerunt, sicut et caetera quae ad naturam hominis pertinent . . . *Ita tamen* quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quae conveniebant.

(a. 5.) *Et ideo* in Christo fuit dolor sensibilis . . . *nempe* virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ne ejus passibilitas, et mortalitas tolleretur: et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur.

(a. 6.) *Pariter* in Christo fuit tristitia; *hoc nempe* modo *quo* communiter de passionibus animae Christi *mox diximus*.

(a. 7.) in Christo fuit *etiam* timor, *scilicet* quantum ad hoc quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis laesionem, et per tristitiam si sit praesens, et per timorem, si sit futura . . . *Non autem* secundum incertitudinem futuri eventus . . . timor fuit in Christo; ut Damascenus dicit in 3 lib. Orth. Fidei c. 23.

(a. 8.) Fuit *etiam* admiratio, . . si *nempe* loquamur quantum ad scientiam experimentalem . . . *Et* ut dicit Aug. in princ. sup. Gen. con Manic. c. 8.

Quod admirabatur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri.

(a. 9.) In Christo fuit *quoque* ira . . . *sed* per zelum, *de qua* dicit Aug. sup. Joa. tract. 10., quod *zelo domus Dei comeditur, qui omnia perversa quae videt, satagit emendare; et si emendare non potest, tolerat et gemit.* Et talis ira fuit in Christo.

(a. 10.) *Quia* Christus ante passionem secundum mentem plene videbat Deum: sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae; sed quantum ad alia, deerat ei beatitudo, quia et anima ejus erat passibilis et corpus passibile et mortale, ut ex supradictis patet. Et ideo simul erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animae, et simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat

(Q. 16.) DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI.

Deinde considerandum est de his quae consequuntur unionem: et primo quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum se; secundo de his, quae conveniunt Christo per comparationem ad Deum Patrem; tertio de his quae conveniunt Christo per comparationem ad nos. Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima quidem de his quae conveniunt Christo secundum esse, et fieri; secunda de his quae conveniunt Christo secundum rationem unitatis.

(a. 1.) *Quia* secundum veritatem catholicae fidei, vera natura divina unita est cum vera natura humana non solum in persona, sed etiam in supposito vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram et propriam *Deus est homo* . . . Quia scilicet Christus est verus Deus, et verus homo . . . (a. 2.) *Et pari ratione* haec est vera et propria *homo est Deus* . . . Hoc enim nomen *homo* potest supponere pro qualibet hypostasi humanae naturae; et ita potest supponere pro persona filii Dei, quam dicimus esse hypostasim humanae naturae.

(a. 3.) *Non autem* Christus potest dici homo Dominicus . . . de persona enim filii Dei praedicatur *Deus et Dominus* essentialiter; et ideo non debet praedicari denominative, quia hoc derogat veritati unionis. Unde cum *dominicus* dicatur denominative a Domino, non potest vere et proprie dici, quod homo ille sit dominicus, sed magis quod sit Dominus . . . Illud *autem* quod qualitercumque est Domini *dominicum* dicitur; sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio.

(a. 4.) Ea quae conveniunt filio hominis possunt praedicari de filio Dei, et e converso . . . Et hujus ratio est, quia cum sit eadem hypostasis utriusque naturae, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturae. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinae et humanae naturae... *Et* ea quae sunt divinae naturae praedicantur de Christo secundum divinam naturam; ea autem quae sunt humanae naturae, praedicantur de eo secundum humanam naturam . . . (a. 5.) Ea *vero* quae conveniunt filio hominis, non possunt praedicari de divina natura, et de humana ea quae conveniunt filio Dei.

(a. 6.) *Quia* esse hominem vere praedicatur de Deo, sicut dictum est a. 1, 2., ita tamen quod

non convenit Deo esse hominem ab aeterno, sed ex tempore per assumptionem humanae naturae; ideo haec est vera, *Deus factus est homo, ut* dicitur Joa. 1. 13. *Verbum caro factum est* . . . (a. 7.) Ista *autem* propositio est falsa, *homo factus est Deus, quia* ly *homo* habet personalem suppositionem; non enim esse Deum verificatur de homine ratione humanae naturae, sed ratione suppositi sui. Suppositum autem illud humanae naturae, de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona filii Dei, quae semper fuit Deus. Unde non potest dici, quod iste homo incoepit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus . . . Si tamen poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari ut subjectum factionis; puta si dicatur, quod natura humana facta est filii Dei.

(a. 8.) *Pariter* haec non est concedenda, *Christus est creatura; nam* sicut Hieron. dicit in c. 5. ad Galat: *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis:* unde cum haereticis nec nomina habere debemus communia, ne eorum errori favere videamur. Arriani autem haeretici Christum dixerunt esse creaturam, et minorem Patre, non solum ratione humanae naturae, sed etiam ratione divinae personae. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus *sit creatura,* vel *minor Patre;* sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam.

(a. 9.) *Similiter* haec non est vera, *iste homo,* demonstrato Christo, incoepit esse . . . . Secundum *enim* sententiam catholicae fidei, qua ponimus in Christo unum suppositum, et unam hypostasim, sicut et unam personam . . . oportet quod in hoc quod dicitur *iste homo,* demonstrato Christo, designetur suppositum aeternum, cujus aeternitati re-

pugnat incipere esse: unde haec est falsa *hic homo* incoepit esse. (a. 11.) *Multo magis* haec est falsa, *Christus, secundum quod homo, est Deus* . . . (a. 12.) *Et* Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona.

(Q. 17.) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem in ispeciali, suis locis determinatum est, q. 9, quod in Christo non est una tantum scientia, et infra demonstrabitur, qu. 35. quod in Christo non est una tantum nativitas. Considerandum est ergo primo de unitate Christi quantum ad esse. Secundo quantum ad velle. Tertio quantum ad operari.

(a. 1.) Quia nos ponimus in Christo unam personam, et unum suppositum, ut ex supradictis patet . . . *et* in mysterio incarnationis non praedicantur ambae naturae in abstracto de Christo; ideo non potest simpliciter dici quod Christus sit duo . . . . (a. 2.) *Et sic* in Christo est tantum unum esse.

(Q. 18.) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD VELLE.

Deinde considerandum est de unitate quantum ad voluntatem . . . (a. 1.) Quidam posuerunt in Christo esse unam solam voluntatem, sed ad hoc ponendum, diversimode moti esse videntur. Apollinaris enim non posuit animam intellectualem in Christo, sed quod Verbum esset loco animae, vel

etiam loco intellectus. Unde cum voluntas sit in ratione, sequebatur quod in Christo non esset voluntas humana, ita in eo non esset nisi una voluntas. Et similiter Eutyches, et omnes qui posuerunt unam naturam compositam in Christo, cogebantur ponere unam voluntatem in eo. Nestorius etiam, quia posuit unionem Dei et hominis esse factam solum secundum affectum, et voluntatem, posuit unam voluntatem in Christo. Postmodum vero, Macarius Antiochenus Patriarcha, et Cyrus Alexandrinus, et Sergius Costantinopolitanus, et quidam eorum sequaces posuerunt in Christo unam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas in Christo secundum hypostasim unitas: quia opinabantur, quod humana natura in Christo numquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota a divinitate, ut patet ex epistola synodica Agathonis Papae. Et ideo in sexta Synodo apud Cpolim celebrata act. 18. determinatum est oportere dici quod in Christo sint duae voluntates; ubi sic legitur: *juxta quod olim Prophetae de Christo, et ipse nos erudivit, et SS. Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes praedicamus.* Et hoc necessarium fuit dici. Manifestum est enim quod filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam, sicut supra ostensum est. Ad perfectionem autem humanae naturae pertinet voluntas, quae est naturalis ejus potentia sicut et intellectus.

(a. 2.) *Et quia* in humana natura includitur etiam natura animalis, sicut in specie includitur genus; unde oportet quod filius Dei assumpserit cum humana natura, etiam et quae pertinent ad perfectionem naturae animalis; inter quae est appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur: ideo oportet

dicere quod in Christo fuit sensualis appetitus, sive sensualitas, . . . *quae tamen* quantum ad corruptionem fomitis, in Christo non fuit.

(a. 4.) Cum in Christo ponatur voluntas, ut ratio, necesse est etiam ponere electionem, et per consequens liberum arbitrium, cujus actus est electio.

(a. 5.) Christus secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationis, quae consideratur per modum naturae, aliud poterat velle quam Deus; sed secundum voluntatem quae est per modum rationis semper idem volebat, quod Deus: quod patet ex hoc ipso quod dicit Marc. 14. 36: *non sicut ego volo, sed sicut Tu.* Volebat enim secundum rationem voluntatem divinam impleri, quamvis aliud dicat se velle, secundum quamdam aliam ejus voluntatem . . . (a. 6.) *Unde* in Christo non fuit contrarietas voluntatum . . . *sicut* in determinatione sextae synodi act. 18. dicitur: *praedicamus duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii asserunt haeretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem, vel reluctantem, sed potius subjectam divinae ejus, atque omnipotenti voluntati.*

(Q. 19.) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM.

Deinde considerandum est de unitate operationis Christi . . . (a. 1.) In Christo non est una tantum operatio divinitatis et humanitatis . . . Ut Ambrosius dicit in 2. libr. ad Grat. Imper: *quomodo eadem operatio diversae est potestatis? numquid sic potest minor, quemadmodum major operari, aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?* . . Nam *vel* poneretur natura humana

in Christo esse imperfecta, *vel* poneretur confusio naturarum. Et ideo rationabiliter in sex. Syn. act. 18. haec opinio est condemnata: in cujus determinatione dicitur: *duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem D. J. C. vero Deo nostro glorificamus,* hoc est divinam operationem, et humanam operationem.

Dionysius *autem* ponit in Christo operationem theandricam, idest divinam virilem, vel divinam humanam, non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum utriusque naturae, sed per hoc quod divina operatio ejus utitur humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinae operationis.

(a. 2.) In Christo fuit tantum una operatio humana, *quia in homine* Jesu Christo nullus erat motus sensitivae partis, qui non esset ordinatus a ratione.

(a. 3.) Actio humana Christi potuit esse sibi meritoria . . . *unde* Apostolus dicit Philip. 2. 8: *factus est obediens usque ad mortem: propter quod et Deus exaltavit illum.* Meruit ergo obediendo suam exaltationem; et ita aliquid sibi meruit . . . *Non tamen* gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec divinitatem meruit . . . . *Sed* gloriam corporis, et ea quae pertinent ad exteriorem ejus excellentiam, sicut et ascensio, veneratio, et alia hujusmodi habuit per meritum.

(a. 4.) *Et quia* sicut supradictum est q. 8. in Christo non solum fuit gratia, sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiae, cui omnes uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona; exinde est, quod meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt membra ejus; sicut etiam in uno

homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra ejus, quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris.

(Q. 20.) DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBJECTUS.

Deinde considerandum est de his, quae conveniunt Christo per comparationem ad Patrem . . . Et primo de subjectione Christi ad Patrem; secundo de ejus oratione; tertio de ipsius sacerdotio; quarto de adoptione, an ei conveniat; quinto de ejus praedestinatione.

(a. 1.) Dominus dicit Joa. 14. 28: *Pater major me est*: et Aug. dicit in 1. de Trin. c. 7: *non immerito Scriptura utrumque dicit, et aequalem Patri Filium, et Patrem filio majorem: illud enim propter formam Dei; hoc autem propter formam servi sine ulla confusione intelligitur.* Sed minor est subjectus majori. Ergo Christus secundum formam servi est Patri subjectus. *Et sane* natura humana ex sui conditione habet subjectionem ad Deum. Et *quamvis* non sit simpliciter intelligendum quod Filius sit subjectus, sed solum secundum humanam naturam, etiamsi haec determinatio non apponatur: tamen convenientius est eam apponere, ad evitandum errorem Arrii, qui posuit Filium minorem Patre.

(a. 2.) Secundum diversitatem naturarum in una persona vel hypostasi, dicere possumus secundum unam earum, in qua cum Patre convenit, simul eum cum Patre praeesse, et dominari; secundum vero alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsum subesse, et servire: et per hunc modum dicit Aug. Filium esse *seipso minorem*. Sciendum tamen, quod cum hoc nomen *Christus* sit no-

men personae, sicut et hoc nomen *Filius*, illa per se et absolute possunt dici de Christo, quae conveniunt ei ratione suae personae, quae est aeterna; et maxime hujusmodi relationes, quae magis proprie videntur ad personam vel hypostasim pertinere. Sed ea quae conveniunt sibi secundum humanam naturam, sunt ei potius attribuenda cum determinatione, ut videlicet dicamus Christum esse simpliciter maximum, et dominum, et praesidentem; quod autem sit subjectus, vel servus, vel minor, est ei attribuendum cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam.

(Q. 21.) DE ORATIONE CHRISTI.

(a. 1.) Quia in Christo est alia voluntas divina, et alia humana, et voluntas humana non est per seipsam efficax ad implendum, quae vult, nisi per virtutem divinam, inde est quod Christo secundum quod est homo, et humanam voluntatem habens, competit orare.

(a. 3.) Christus pro se oravit dupliciter: uno modo exprimendo affectum sensualitatis, vel etiam voluntatis simplicis, quae consideratur ut natura; sicut cum oravit, a se calicem passionis transferri: alio modo exprimendo affectum voluntatis deliberatae, quae consideratur ut ratio; sicut cum petiit gloriam resurrectionis.

(a. 4.) *Quoniam* secundum voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle; ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana fuit impleta, quia fuit Deo conformis; et per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita. Nam et secundum hoc aliorum orationes implentur, quod sunt eorum voluntates Deo conformes...

Unde Apostolus dicit ad Hebr. 5. 7: *cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

(Q. 22.) DE SACERDOTIO CHRISTI.

Deinde considerandum est de sacerdotio Christi... (a. 1.) *Quoniam* proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum, et populum, in quantum scilicet divina populo tradit .... et iterum in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit . . . Hoc autem maxime convenit Christo: nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata . . . *Et* ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit . . . *ideo* Christo maxime convenit esse sacerdotem.

(a. 2.) *Immo* Christus simul fuit sacerdos, et hostia, sicut Apostolus dicit ad Eph. 5. 2: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

(a. 3.) *Hoc autem* Christi sacerdotium habet plenam vim expiandi peccata . . . (a. 4.) Effectus *autem* sacerdotii Christi solum ad alios pertinuit non ad ipsum, *ut* in Ephesina Synodo gen. III. par. 3. c. 1. can. 10.: *si quis dicit Christum pro se obtulisse oblationem, et non magis pro nobis solum (non enim indiguit sacrificio, qui peccatum nescivit) anathema sit.*

(a. 5.) Sacerdotium Christi permanet in aeternum, *quia* finis sacrificii quod Christus obtulit, non fuerunt bona temporalia, sed aeterna, quae per ejus mortem adipiscimur . . . *Et* licet passio et mors Christi de caetero non sint iteranda; tamen virtus illius hostiae semel oblatae permanet in aeternum: quia ut dicitur Hebr. 10. 14: *una*

oblatione consummavit in aeternum sanctificatos . . . (a. 6.) Sacerdotium *autem* Christi dicitur esse secundum ordinem Melchisedech, propter excellentiam veri sacerdotii ad figurale sacerdotium legis.

(Q. 23.) DE ADOPTIONE CHRISTI.

Deinde considerandum est an adoptio Christo conveniat . . . (a. 1.) In quantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis haereditatem, dicitur eos adoptare . . . (a. 4.) Et *quia* filiatio proprie convenit hypostasi vel personae, non autem naturae . . . . in Christo autem non est alia persona, vel hypostasis, quam increata, cui convenit esse filium per naturam, . . ideo Christus qui est filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus.

(Q. 24.) DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI.

Deinde considerandum est de praedestinatione Christi . . . (a. 1.) Praedestinatio proprie accepta est quaedam divina preordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus esset homo . . . et ideo oportet dicere quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub aeterna Dei praedestinatione: et ratione hujus, Christus dicitur esse praedestinatus . . . *Sic* Apostolus dicit Rom, 1. 4. de Christo loquens: *qui praedestinatus est filius Dei in virtute.*

(a. 2.) Solum *autem* ratione humanae naturae praedestinatio competit Christo. Unde Aug. dicit in libr. de praed. Sanc. c. 15: *ipsum Dominum glo-*

riae in quantum homo factus est Dei filius, praedestinatum esse dicimus. (a. 3.) *Et* praedestinatio Christi est nostrae praedestinationis exemplar . . . (a. 4.) *et causa* . . . sic enim Deus praeordinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando, ut per Jesum Christum compleretur . . . *unde* dicitur Eph. 1. 5: *praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.*

(Q. 25.) DE ADORATIONE CHRISTI.

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad Christum in comparatione ad nos: et primo de adoratione Christi, qua scilicet nos eum adoramus; secundo de hoc quod est mediator noster ad Deum.

(a. 1.) Cum in Christo sit tantum una persona divinae et humanae naturae, et etiam una hypostasis, et unum suppositum, est quidem ejus una adoratio, et unus honor ex parte ejus, qui adoratur; sed ex parte causae qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, ut scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, et alio propter sapientiam creatam . . . (a. 2.) *Et sic* adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo ut sit ejus, sicut rei adoratae: et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem Regis nihil est aliud quam adorare Regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi quae fit ratione humanitatis Christi perfectae omni munere gratiarum: et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriae, sed adoratio duliae; ita scilicet quod una et eadem persona Christi adoretur adoratione latriae propter

suam divinitatem, et adoratione duliae propter perfectionem humanitatis. Nec hoc est inconveniens: quia ipsi Deo Patri debetur honor latriae propter deitatem, et honor duliae propter dominium, quo gubernat creaturam . . . *Attamen* non quasi seorsum adoratur caro Christi ab ejus divinitate: hoc enim posset contingere solum hoc modo, si esset alia hypostasis Dei, et hominis.

(a. 3.) Adoramus *etiam* adoratione latriae imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem, cujus imago est . . . . *Quod si* dicitur Exo. 20. 4: *non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, ... ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem Deorum suorum, idest daemonum. Et ideo praemittitur: *non habebis deos alienos coram me.* Ipsi autem vero Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni: quia ut Damascenus dicit lib. 4 orth. Fidei c. 17: *insipientiae summae est et impietatis, figurare quod est divinum.* Sed quia in novo testamento Deus factus est homo, potest in sua imagine corporali adorari.

(a. 4.) Si *autem* loquamur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, *duplici* modo est a nobis veneranda. Uno scilicet modo in quantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae. Et propter hoc etiam crucem alloquimur et deprecamur quasi ipsum crucifixum. Si vero loquamur de effigie crucis Christi in quacumque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri; sic veneramur crucem tantum, ut imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriae, ut supradictum est . . . *Pariter* quan-

tum ad rationem contactus membrorum Christi, adoramus non solum crucem, sed etiam omnia quae sunt Christi: unde Damascenus dicit in 4 lib. orth. Fidei c. 12: *pretiosum lignum, ut sanctificatum tactu sancti corporis, et sanguinis, decenter adorandum, clavos, indumenta, lanceam, et sacra ejus tabernacula, quae sunt praesepe, spelunca, et hujusmodi.* Ista tamen non repraesentant imaginem Christi, sicut crux, quae dicitur signum filii hominis, quod apparebit in coelo, ut dicitur Matth. 24 . . , et inde est quod crucem Christi veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque hujusmodi.

(a. 5.) *Quia* nulli purae creaturae rationali debetur cultus latriae; cum B. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae; eminentius tamen quam caeteris creaturis in quantum ipsa est mater Dei. Et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia.

(a. 6.) *Etiam* sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios et amicos, et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, et praecipue eorum corpora, quae fuerunt templa et organa Spiritus Sancti in eis habitantis, et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in earum praesentia miracula faciendo.

(Q. 26.) DE EO QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM DICITUR.

Deinde considerandum est de hoc quod dicitur Christus, Dei et hominum mediator .... (a. 1.) Solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator, in quantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Unde cum Apostolus dixisset *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, subjunxit: *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Nihil tamen prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive, vel ministerialiter.

(a. 2.) Christus *autem*, secundum quod homo, est mediator ... nam secundum quod Deus, non differt a Patre, et Spiritu Sancto in natura et potestate dominii... sed secundum quod est homo, distat a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate et gratiae et gloriae.

(Q. 27.) DE B. V. MARIÆ SANCTIFICATIONE.

Vide App. C. I. § 2.

Post praedicta, in quibus de unione Dei, et hominis, et de his quae unionem consequuntur, tractatum est, restat considerandum de his, quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita gessit, vel passus est. Quae quidem consideratio quadripartita erit. Nam primo considerabimus de his, quae pertinent ad ingressum ejus in mundum. Secundo de his quae pertinent ad progressum vitae ipsius in hoc mundo. Tertio de exitu ipsius ab hoc mundo. Quarto de his quae pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo quidem de conceptione Christi. Secundo de ejus nativitate. Tertio de ejus circumcisione. Quarto de ejus baptismo.

Circa conceptionem autem ejus oportet primo aliqua considerare quantum ad matrem concipientem. Secundo quantum ad modum conceptionis. Tertio quantum ad perfectionem prolis conceptae.

Ex parte autem matris occurrunt quinque consideranda. Primo quidem de sanctificatione ejus. Secundo de virginitate ejus. Tertio de desponsatione ejusdem. Quarto de annuntiatione ipsius. Quinto de praeparatione ipsius ad concipiendum.

(a. 1.) De sanctificatione B. Mariae, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in scriptura canonica traditur, quae etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sicut tamen Aug. (alius auctor in sermone de assumpt. ipsius Virginis) rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in coelum (quod tamen scriptura non tradit); ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis*, prae omnibus aliis majora privilegia gratiae acceperit. Unde, ut legitur Luc. 1. 28: *Angelus ei dixit: ave gratia plena.* Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegium esse concessum, ut in utero sanctificarentur; sicut Jeremiae, cui dictum est Jer. 1. 5: *antequam exires de vulva, sanctificavi te:* et sicut Joanni Baptistae, de quo dictum est Luc. 1. 15: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Unde rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur . . . *unde et* Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis. (*Vide App. T. 1., Cap. I. § 4; et in T. 2. l. 2. q. 81. a. 3.*).

(a. 3.) Per sanctificationem in utero, non fuit sublatus B. Virginis fomes secundum essentiam, sed remansit ligatus: non quidem per actum rationis suae, sicut in viris sanctis, quia non habuit usum liberi arbitrii adhuc in ventre matris existens, hoc enim est speciale privilegium Christi; sed per abundantiam gratiae, quam in sanctificatione recepit, et etiam perfectius per divinam providentiam, sensualitatem ejus ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est quod ex prole rendundaverit in matrem, totaliter fomite subtracto.

(a. 4.) Per hujusmodi *autem* sanctificationem fuit consecuta ut numquam peccaret . . . . *ut* Aug. dicit in lib. de Nat., et Gr. c. 36: *de sancta Virgine Maria propter honorem Christi nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum* . . . Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit nec mortale, nec veniale; ut sic in ea impleatur, quod dicitur Can. 4. 7: *tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.*

(a. 5.) In B. Virgine fuit triplex perfectio gratiae. Prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc, quod esset Mater Christi: et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiae fuit in B. Virgine ex praesentia Filii Dei in ejus utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria . . . Prae caeteris *autem* majorem a Christo gratiae plenitudinem obtinuit . . . *unde* Angelus ad eam dixit Luc. 1. 28: *ave gratia plena.*

(Q. 28.) DE VIRGINITATE B. MARIÆ.

Deinde considerandum est de Virginitate Matris Dei . . . (a. 1.) B. Maria fuit Virgo in concipiendo, . . . Isai. 7. 14: *ecce virgo concipiet* . . . . Contrarium pertinet ad haeresim Ebionitarum, et Cerinthi, qui Christum purum hominem arbitrabantur, et de utroque sexu eum natum putaverunt. Quod enim Christus sit conceptus ex Virgine, conveniens est propter quatuor. Primo propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus, et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. Secundo hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quinimmo cordis corruptio, perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit, quod etiam ipsa sine corruptione Matris conciperetur. Tertio hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Joan. 1. 29: *ecce Agnus Dei*, scilicet innocens, *qui tollit peccatum mundi*. Non poterat autem esse, quod in natura jam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sine infectione originalis peccati . . . Quarto propter ipsum finem incarnationis Christi; quae ad hoc fuit, ut homines renascerentur in filios Dei, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo*, idest ex ipsa Dei virtute: cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi . . . *pater* autem *Salvatoris appellatur Joseph, non quod vere juxta Photinianos pater fuerit ei, sed quod ad famam*

Mariae conservandam, pater sit ab omnibus existimatus. Bed. sup. Luc. lib. 1. c. 7.

(a. 2.) Mater Dei fuit *etiam* virgo in partu . . . nam Propheta non solum dicit: *ecce virgo concipiet,* sed etiam addit: *et pariet Filium* . . . unde in sermone quodam Ephesini Concilii legitur: *quae parit carnem puram, a virginitate cessat. Sed quia natum est in carne Verbum Dei, custodit virginitatem, seipsum per hoc ostendens Verbum. Neque enim nostrum verbum, cum paritur, corrumpit mentem: neque Deus verbum substantiale, partum eligens, perimit virginitatem* . . . *Deinde ut* Aug. (vel alius auctor) dicit in quodam sermone de Nati. Dom: *fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. Demum* fuit conveniens, ne matris honorem nascendo diminueret qui parentes praeceperat honorandos . . . (a. 3.) Mater Dei permansit virgo etiam post partum . . . *et* absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, et alios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni: qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia filius ejus; ita decuit, ut esset unigenitus matris, tamquam perfectissimum germen ejus. Secundo hic error injuriam facit Spiritui Sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat quod de caetero violaretur per commixtionem virilem. Tertio derogat dignitati, et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto etiam ipsi Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si

eam quam, revelante Angelo, Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est asserendum, quod mater Dei sicut virgo concepit, et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit.

Dum autem Evangelista dicit, Matth. 1. 18: *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, intelligendum est* non quia postea convenerint, sed quia dum viderentur conventuri, praevenit conceptio per Spiritum Sanctum; ex quo factum est ut ulterius non convenirent . . . *Pariter dum* Evangelista nominat Christum primogenitum matris ejus , . . dicendum quod mos divinarum scripturarum est, ut primogenitum vocent non solum eum quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit: alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tandiu secundum legem primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata: quod patet esse falsum, cum intra unum mensem primogenita redimi mandentur secundum legem.

Sic etiam *dum* Joa. 2, 12. dicitur: *post haec descendit Capharnaum ipse,* scilicet Christus, *et mater ejus, et fratres ejus, . .* dicendum quod *quidam,* sicut Hieronymus dicit super Matth. c. 12, *fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur. Nos autem fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, filios Mariae materterae Domini intelligimus.* Quatuor enim modis in scripturis fratres dicuntur, scilicet natura, gente, cognatione, et affectu. Unde fratres Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem matre nati, sed secundum cognationem, quasi consanguinei ejus existentes. Joseph autem sicut Hieronymus dicit contra Helvidium c. 9. *magis credendus est virgo permansisse: quia aliam uxorem habuisse non scribitur, et fornicatio in sanctum virum non cadit.*

(a. 4.) Mater Dei virginitatem vovit, *ut* Augustinus dicit in lib. de San. Virginitate c. 4: *annuntianti Angelo*, *Maria respondit: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profecto non diceret, nisi prius se virginem Deo vovisset.* Et *sane* sicut in secunda parte habitum est, perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur; virginitas autem in Matre Dei praecipue debuit pollere, ut ex supradictis rationibus patet. Et ideo conveniens fuit, ut virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata. Verum quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres, quam viros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur; mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit . . . Nempe quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei genitrix, sed sub conditione, si Deo placeret; postquam autem ei innotuit hoc esse acceptum, absolute vovit, antequam ab Angelo annuntiaretur

(Q. 29.) DE MATRIS DEI DESPONSATIONE.

Deinde considerandum est de desponsatione matris Dei .... (a. 1.) Conveniens fuit Christum de desponsata virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione. Primo quidem ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abjiceretur ... Secundo ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur ... Tertio ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Et ideo Ignatius dicit, ipsam fuisse desponsatam, *ut partus ejus diabolo celaretur.* Quarto ut a Joseph nutriretur: unde et pater ejus dictus est, quasi nutritius. Fuit etiam conveniens ex parte virginis. Primo quidem quia per hoc redditur immunis a poena, *ne scilicet lapidaretur a Judaeis, tamquam adultera,* ut Hieronymus dicit sup. Matth. c. 1. Secundo ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Ambrosius sup. Luc, c. 1: quod *desponsata est, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre.* Tertio ut ei a Joseph ministerium exhiberetur, ut Hieron. dicit loc. cit. Ex parte autem nostra hoc fuit conveniens. Primo quidem quia testimonio Joseph comprobatum est, Christum ex virgine natum. Unde Ambrosius dicit sup. Luc. loc. cit.: *locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et delere injuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* Secundo quia ipsa verba virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis. Unde Ambros. dicit sup. Luc. ibidem: *fides Mariae verbis major adsciscitur, et mendacii causa removetur. Videretur enim culpam*

obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans. Causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum conjugii praemium, et gratia nuptiarum partus sit foeminarum: quae quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostrae. Tertio ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam . . . Quarto quia per hoc significatur universa Ecclesia; quae *cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo,* ut Aug. dicit in lib. de San. Virgin. c. 12. Potest etiam, et quinta ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata, et virgo, quia in persona ipsius et virginitas, et matrimonium honoratur contra haereticos alteri horum detrahentes.

(a. 2.) Inter Mariam et Joseph fuit verum matrimonium . . . Unde Aug. dicit in lib. 1. de nup. et concup. c. 2.: *omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptiarum concubitus non fuit . . . Et idem* Aug. dicit in lib. 2. de Cons. Evang. c. 1: *non erat fas, ut Joseph ob hoc a conjugio Mariae separandum Evangelista putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu . . . Quod vero* Angelus dixit Joseph: *ne timeas accipere Mariam conjugem tuam, intelligi debet: non timeas nuptias ejus solemniter celebrare.* Licet alii dicant, quod nondum erat in domum inducta, sed solum desponsata: primum tamen, magis consonat Evangelio.

(Q. 30.) DE BEATAE M. V. ANNUNTIATIONE.

Deinde considerandum est de annuntiatione B. Virginis . . . (a. 1.) Congruum fuit B. Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura. Primo quidem ut servaretur congruus ordo conjunctionis Filii Dei ad Virginem, ut scilicet prius mens ejus de ipso instrueretur, quam carne eum conciperet . . . Secundo ut posset esse certior testis hujus sacramenti, quando super hoc divinitus erat instructa. Tertio ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret: ad quod se promptam obtulit dicens: *ecce Ancilla Domini.* Quarto ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, et humanam naturam. Et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae.

(a. 2.) Conveniens *quoque* fuit Matri Dei annuntiari per Angelum divinae incarnationis mysterium, propter tria. Primo quidem ut in hoc etiam servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus Angelis, divina ad homines perveniunt. Secundo hoc fuit conveniens reparationi humanae, quae futura erat per Christum: unde Beda dicit in Hom. in Fes. Annun.: *aptum humanae restaurationis principium, ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino: quia prima perditionis humanae fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam.* Tertio quia hoc congruebat virginitati Matris Dei: unde Hieron. (alius auctor) dicit in serm. Assumpt.: *bene Angelus ad Virginem mittitur; quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis . . . Ut autem* Gregorius di-

cit Hom. 34. in Evang: *summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat...* Et Greg. ipse dicit in Hom. de centum ovibus, quod *Archangeli dicuntur, qui summa nuntiant.* Satis est ergo credibile, quod sit summus in ordine Archangelorum. Et sicut Greg. dicit ibidem, hoc nomen officio suo congruit. *Gabriel* enim, *Dei fortitudo nominatur; per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, et potens in praelio ad debellandas aereas potestates veniebat.*

(a. 3.) *Angelus autem non in somnis, immo visibiliter Virgini astitit, nam quia magnam valde revelationem excipiebat ab Angelo, egebat ante tantae rei eventum, visione solemni,* ut Chrysost. dicit sup. Matth. Hom. 4. Beata autem Virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem. Unde talis apparitio nobilior fuit. Fuisset tamen nobilior, si ipsum Angelum intellectuali visione in sua substantia vidisset. Sed hoc non patiebatur status hominis viatoris quod Angelum per essentiam videret.

(Q. 31.) DE CONCEPTIONE SALVATORIS QUOAD MATERIAM, DE QUA CORPUS EJUS CONCEPTUM EST.

Deinde considerandum est de ipsa conceptione Salvatoris, primo quantum ad materiam, de qua ejus corpus conceptum est; secundo quantum ad conceptionis auctorem; tertio quantum ad modum, et ordinem conceptionis.

(a. 1.) Conveniens fuit, ut carnem sumeret ex materia ab Adam derivata, ut ipsa natura per assumptionem curaretur... *Hinc* Apost. dicit ad Hebr. 2, 16: *nusquam Angelos apprehendit,* scilicet

filius Dei, *sed semen Abrahae apprehendit.* Semen autem Abrahae sumptum est ex Adam.

(a. 2.) Christus specialiter duorum antiquorum Patrum filius dicitur esse, Abrahae scilicet, et David, ut patet Matth. 1. Cujus est multiplex ratio. Prima quidem quia ad hos specialiter de Christo promissio facta est . . . . Secunda ratio est, quod Christus futurus erat Rex, Propheta, et Sacerdos. Abraham autem Sacerdos fuit, ut patet ex hoc, quod Dominus dixit ad eum Gen. 15, 9: *sume tibi vaccam triennem* etc. Fuit etiam Propheta, secundum illud quod dicitur Gen. 20, 7: *propheta est, et orabit pro te.* David autem rex fuit, et propheta. Tertia ratio est, quia in Abraham primo incoepit circumcisio, in David autem maxime manifestata est Dei electio, secundum illud quod dicitur I. Reg. 13, 14: *quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum.* Et ideo utriusque filius Christus specialissime dicitur, ut ostendatur esse in salutem et circumcisioni, et electioni gentium . . .

Objici potest, quod Matthaeus genealogiam Christi texens eam ad Joseph perducit; Joseph autem non fuit pater Christi; non ergo videtur, quod Christus de genere David descenderit. Praeterea Aaron fuit de tribu Levi, ut patet Exod. 6.; Maria autem Mater Christi cognata dicitur Elisabeth, quae est filia Aaron, ut patet Luc. 1. Cum ergo David fuerit de tribu Juda, ut patet Matth. 1., videtur quod Christus de semine David non descenderit. Praeterea Jer. 22. 30. dicitur de Jechonia: *scribe istum virum sterilem: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David.* Sed de Christo dicitur Jsa. 9. 7: *super solium David sedebit.* Ergo Christus non fuit de semine Jechoniae, et per consequens nec de semine David: quia Matthaeus a David per Jechoniam, seriem generationum perducit.

Ad primum dicendum, quod haec objectio fuit Fausti Manichaei volentis probare Christum non esse filium David, usque ad quem seriem generationis Matthaeus perducit. Contra quem Aug. respondet lib. 23. con. Faust. c. 8. 9., quod *cum idem Evangelista dicat et virum Mariae esse Joseph, et Christi Matrem Virginem esse, et Christum esse ex semine David, quid restat, nisi credere Mariam non fuisse extraneam a cognatione David; et eam Joseph conjugem non frustra appellatam propter animorum confoederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus; et quod potius propter dignitatem virilem ordo generationum usque ad Joseph perducitur? Sic ergo nos credimus etiam Mariam fuisse de cognatione David, quia scripturis credimus, quae utrumque dicunt, et Christum ex semine David secundum carnem, et ejus matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem.* Ut enim dicit Hieron. sup. Matth. c. 1.: *ex una tribu fuit Joseph, et Maria; et secundum legem eam accipere cogebatur, ut propinquam: propter quod et simul censentur in Bethleem, quasi de una stirpe generati.*

Ad secundum dicendum quod huic objectioni Greg. Nazianzenus (in carm. 38. (et Aug.) de Cons. Evang. lib. 1. 2.) respondet dicens, quod *hoc nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi jungeretur, ut Christus qui Rex est, et Sacerdos, ab utrisque nasceretur secundum carnem.* Unde et Aaron, qui fuit primus sacerdos secundum legem, duxit ex tribu Juda conjugem Elisabeth filiam Aminadab. Sic ergo potuit fieri, ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cujus B. Virgo Maria, quae fuit de stirpe David, esset Elisabeth cognata: vel potius e converso, quod pater B. Mariae de stirpe David existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron: vel

sicut Augustinus dicit XXIII. con. Faust. c. 9. si Joachim pater Mariae de stirpe Aaron fuit (ut Faustus haereticus per quasdam scripturas apocryphas asserebat) credendum est quod mater Joachim fuerit de stirpe David, vel etiam uxor ejus, ita ut per aliquem modum Mariam dicamus fuisse de stirpe David.

Ad tertium dicendum, quod per illam auctoritatem propheticam, sicut Ambros. dicit sup. Luc. c. 3: *non negatur ex semine Jechoniae posteros nascituros: et ideo de semine ejus Christus est. Et quod regnavit Christus, non contra prophetiam est: non enim saeculari honore regnavit; ipse enim dixit: regnum meum non est de hoc mundo.*

(a. 3.) *Contra vero* genealogiam Christi quae ab Evangelistis texitur, *opponunt, quod* Matthaeus dicit c. 1. 16. quod *Jacob genuit Joseph virum Mariae;* Lucas autem dicit c. 3. Joseph fuisse filium Eli; ergo contraria sibi invicem scribunt.

Praeterea videtur in quibusdam in se invicem diversificari. Matthaeus enim in principio libri incipiens ab Abraham descendendo usque ad Joseph, quadragintaduas generationes enumerat. Lucas autem post baptismum Christi generationem Christi ponit, incipiens a Christo, et perducens generationum numerum usque ad Deum; ponens generationes septuagintaseptem, utroque extremo computato.

Praeterea 4. Reg. 8. legitur quod Joram genuit Ochoziam; cui successit Joas filius ejus: huic autem successit filius ejus Amasias: postea regnavit filius ejus Azarias, qui appellatur Ozias: cui successit Joathan filius ejus. Matthaeus autem dicit, quod *Joram genuit Oziam.* Ergo videtur inconvenienter generationem Christi describere, tres reges in medio praetermittens.

At ad primum dicendum, quod ad hanc objectionem, quam movit Julianus Apostata, diversimode ab aliquibus respondetur . . . Aug. vero in lib. 2. de quaes. Ev. q. 5. tripliciter solvit dicens: *tres causae occurrunt, quarum aliquam Evangelista secutus est. Aut enim unus Evangelista patrem Joseph, a quo genitus est, nominavit; alter vero vel avum maternum, vel aliquem de cognatis majoribus posuit: aut unus erat Joseph naturalis pater, et alter eum adoptaverat: aut more Judaeorum, cum sine filiis unus decessisset, ejus uxorem propinquus accipiens, filium quem genuit, propinquo mortuo deputavit:* quod etiam quoddam genus adoptionis legalis est, ut ipse Aug. dicit. in 2. de Cons. Ev. c. 3. Et haec ultima causa est verior, quam et Hieron. sup. Matth. c. 1. ponit, et Eusebius Caesariensis in Eccl. His. lib. 1. c. 7. ab Africano Historiographo traditam asserit.

Ad secundum dicendum, quod sicut dicit Aug. in lib. 2. de Cons. Ev. c. 4, *Matthaeus regiam in Christo instituerat insinuare personam, Lucas autem sacerdotalem: unde in generationibus Matthaei significatur nostrorum susceptio peccatorum a D. J. C.* in quantum scilicet per carnis originem similitudinem carnis peccati assumpsit; *in generationibus autem Lucae significatur nostrorum abolitio peccatorum, quae est per sacrificium Christi.*

Ad tertium dicendum quod sicut Hieron. sup. Matth. dicit. c. 1: *quia Joram Rex generi se miscuerat impiissimae Jezabelis, idcirco usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in sancto nativitatis ordine poneretur* . . . Est etiam attendendum, quod et alii reges fuerunt peccatores, qui in genealogia Christi ponuntur; sed non fuit eorum continua impietas. Nam ut dicitur in lib. quaest. N. et V. Test. q. 81: *Salomon merito pa-*

tris sui dimissus in regno est, Roboam merito Asa filii sui. Horum autem trium continuavit impietas.

(a. 6.) Christus dicitur fuisse in Adam originaliter secundum corpulentam substantiam, non autem secundum seminalem rationem, . . et mediante B. Virgine Christus secundum carnem dicitur esse ex semine David per modum originis . . . (a. 7.) *Et quia* tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid a peccato immune de quo postmodum corpus Christi formaretur, . . ideo caro Christi secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia . . . Assumpsit *autem* carnem peccato non infectam sicut fuerat caro hominis ante peccatum.

(Q. 32.) DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM.

Deinde considerandum est de principio activo in conceptione Christi . . . (a. 1.) Spiritus Sanctus fuit principium activum conceptionis Christi . . . Luc. 1, 35: *Spiritus Sanctus superveniet incte etc.* . . *nempe etsi* conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata, attribuitur tamen hoc Spiritui Sancto, triplici ratione. Primo quidem quia hoc congruit causae incarnationis, quae consideratur ex parte Dei; Spiritus enim Sanctus est amor Patris, et Filii, ut in prima parte habitum est. q. 37. Hoc autem ex maximo Dei amore provenit, ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali; unde dicitur Joa. 3. 16: *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Secundo quia hoc congruit causae incarnationis ex parte naturae assumptae. Per hoc enim datur intelligi, quod humana natura assumpta est a Filio Dei in unitatem

personae, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quae Spiritui Sancto attribuitur, secundum illud I. ad Cor. 12. 5: *divisiones gratiarum multae sunt, idem autem Spiritus* . . . Tertio quia hoc congruit termino incarnationis. Ad hoc enim terminata est incarnatio, ut homo ille, qui concipiebatur, esset sanctus, et filius Dei. Utrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto. Sicut *enim* alii per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii adoptivi; ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset filius Dei naturalis . . . *Unde* et Angelus annuntians ex hoc quod praemiserat, *Spiritus Sanctus superveniet in te*, concludit: *ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

(a. 2.) *Dicimus* Christum esse conceptum *de* Spiritu Sancto, hoc modo quod efficientia Spiritus Sancti referatur ad corpus assumptum, consubstantialitas vero ad personam assumentem.

(a. 3.) Spiritus Sanctus *nihilominus* non debet dici pater Christi secundum carnem. Nam Christus est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis, unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus, et justificatus; non tamen debet dici filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius Spiritus Sancti, neque etiam totius Trinitatis.

(a. 4.) Quia B. Virgo non hoc accepit, ut esset pater Christi sed mater, consequens est, quod non acceperit potentiam activam in conceptione Christi; *sive* aliquid egerit, ex quo sequitur ipsam fuisse patrem Christi, *sive* nihil egerit, ut quidam dicunt, ex quo sequitur hujusmodi potentiam activam sibi frustra fuisse collatam. Et ideo dicen-

dum est quod in ipsa conceptione Christi, B. Virgo nihil operata est, sed solam materiam ministravit.

(Q. 33.) DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI.

Deinde considerandum est de modo, et ordine conceptionis Christi . . . (a. 1.) Corpus Christi fuit formatum in primo instanti conceptionis . . . et *ut* Damascenus dicit in lib. 3. Orth. Fid. c. 2: *simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali, et intellectuali . . . Et sane,* ad hoc quod conceptio ipsi filio Dei attribuatur, ut in symbolo confitemur dicentes, quod *conceptus est de Spiritu Sancto,* necesse est dicere, quod ipsum Corpus Christi dum conciperetur, esset a Verbo Dei assumptum. Ostensum est autem supra q. 6. quod Verbum Dei assumpsit corpus mediante anima, . . . unde oportuit quod in primo instanti conceptionis corpus Christi esset animatum anima rationali . . . (a. 4.) Conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa, et supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis, *nempe* ex parte materiae, quam mater ministravit . . . Unde Ambros. dicit in lib. de Incar. c. 6: *multa in hoc mysterio et secundum naturam invenies, et ultra naturam.*

(Q. 34.) DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTAE.

Deinde considerandum est de perfectione prolis conceptae . . . (a. 1.) Ostensum est supra, quod in primo instanti suae conceptionis corpus Christi animatum fuit, et a Verbo Dei assumptum; unde

consequens est quod in primo instanti conceptionis Christus habuerit plenitudinem gratiae sanctificantis animam, et corpus ejus . . . (a. 2.) *Et quia, ut* Aug. dicit in lib. de Trin. (id habet Greg. in registro lib. 9. ep. 61): *mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriae naturae, factum est caro, et perfectus homo;* sed perfectus homo habet usum liberi arbitrii; ergo Christus habuit in primo instanti suae conceptionis usum liberi arbitrii . . . (a. 3.) *Et etiam* mereri potuit . . . (a. 4.) Fuit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis.

(Q. 35. DE NATIVITATE CHRISTI.

Consequenter post Christi conceptionem agendum est de ejus nativitate: et primo quantum ad ipsam nativitatem; secundo quantum ad nativitatis manifestationem.

(a. 2.) *Quia* in Christo sunt duae naturae, divina scilicet, et humana, quarum unam accepit ab aeterno a Patre, alteram accepit temporaliter a matre, ideo necesse est attribuere Christo duas nativitates, unam qua aeternaliter natus est a Patre, aliam qua temporaliter natus est a matre.

Quod si dicatur: nativitas proprie personae convenit; sed in Christo est una tantum persona; ergo in Christo est tantum una nativitas, . . dicendum quod nativitas est personae ut subjecti, naturae autem ut termini: possibile est autem uni subjecto plures transmutationes inesse; quas tamen necesse est secundum terminos variari: quod tamen non dicimus, quasi aeterna nativitas sit transmutatio aut motus, sed quia significatur per modum mutationis, aut motus.

(a. 3.) B. Virgo est vera, et naturalis mater Christi. Sicut enim supra dictum est q. 5. corpus Christi non est de coelo allatum, sicut Valentinus haereticus posuit, sed de Virgine matre sumptum, et ex purissimis sanguinibus ejus formatum. Et hoc solum requiritur ad rationem matris; unde B. Virgo vera est mater Christi, *ut etiam* dicitur Matth. 1. 17. *Christi generatio sic erat: cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph* etc. B. Virgo debet dici mater Dei, *ut* in Capitulis Cyrilli approbatis in Ephesina Synodo parte 1. c. 26. legitur: *si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emanuelem, et propter hoc Dei Genitricem sanctam Virginem (genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum) anathema sit . . . Et sane* quidquid convenit divinae naturae, vel humanae, potest attribui illi personae, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem, et nasci personae attribuitur et hypostasi, secundum naturam illam, in qua concipitur, et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona, sicut praedictum est q. 33., consequens est quod vere possit dici Deum esse conceptum, et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicujus mater, quod eum concepit, et genuit. Unde consequens est quod B. Virgo vere dicatur mater Dei. Solum enim sic negari posset B. Virginem esse matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subjecta conceptioni et nativitati, quam homo ille fuisset filius Dei, sicut Photinus posuit; vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personae, vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Utrumque autem horum est erroneum. Unde haereticum est negare B. Virginem esse matrem Dei.

(a. 5.) *Quia* sicut Damascenus dicit in lib. 3. Orth. Fid. c. 13. ea qua sunt naturae, multiplicantur in Christo, non autem ea quae sunt personae; sed filiatio maxime pertinet ad personam: est enim proprietas personalis; ergo in Christo est una tantum filiatio . . . *Attamen* quidam attendentes ad causam filiationis, quae est nativitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut et duas nativitates. Et quantum ad aliquid, utraque opinio verum dicit. Nam si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas filiationes secundum dualitatem nativitatum; si autem attendamus ad subjectum filiationis, quod non potest esse nisi suppositum aeternum, non potest in Christo esse realiter nisi filiatio aeterna . . . Christus *tamen* dicitur realiter filius virginis matris, ex relatione reali maternitatis ad Christum.

(a. 6.) *Quia* ut dictum est supra q. 28. a 2, *Mater Dei fuit Virgo etiam in partu*, propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio; sed ibi fuit maxima jucunditas ex hoc, quod homo Deus natus est in mundum, secundum illud Isa. 35. 2: *germinans germinabit sicut lilium, et exultabit laetabunda, et gaudens.*

(a. 7.) Christus *autem* in Bethleem nasci voluit, duplici ratione. Primo quidem quia *factus est de semine David secundum carnem*, ut dicitur Rom. 1. 3. cui etiam facta fuerat repromissio specialis de Christo, secundum illud II. Reg. 23. 1: *dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob.* Et ideo in Bethleem, de qua natus fuit David, nasci voluit, ut ex ipso loco nativitatis promissio ei facta, impleta ostenderetur: et hoc designat Evangelista dicens Luc. 2: *eo quod esset de domo, et familia David.* Secundo, quia ut Greg. dicit in Hom. 8. in Evang: *Bethleem domus panis inter-*

pretatur. Ipse autem Christus est, qui ait: *ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.*

(a. 8.) *Ideo autem* Christus regis Herodis alienigenae tempore nasci voluit, ut impleretur prophetia Jacob dicentis Gen. penul. 10: *non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*: quia ut Chrysostomus (alius auctor) dicit sup. Matth. Hom. 2. in op. imp: *quamdiu Judaica gens sub Judaicis regibus, quamvis peccatoribus, tenebatur, prophetae mittebantur ad remedium ejus; nunc autem quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, nascitur Christus; jam magna et desperabilis infirmitas, medicum artificiosiorem quaerebat.*

(Q. 36.) DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI.

Deinde considerandum est de manifestatione Christi nati . . . Nativitas Christi non debuit esse communiter omnibus manifesta. Primo quidem quia per hoc impedita fuisset humana redemptio, quae per crucem ejus peracta est: quia ut dicitur I. ad Cor. 2, 8: *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Secundo quia hoc diminueret meritum fidei . . . Tertio quia per hoc venisset in dubium veritas humanitatis ipsius, unde Aug. dicit in Ep. ad Volusianum 136, al. 102: *si nullas ex parvulo in juventutem mutaret aetates, nullos cibos, nullos caperet somnos, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum ullo modo suscepisse crederetur? et dum omnia mirabiliter facit, auferret, quod misericorditer fecit?*

(a. 2.) Sed *quia* Christi nativitas nulli fuisset proficua, si omnibus esset occulta, . . . *ideo* videtur, quod aliquibus manifestari debuerit Christi

nativitas . . . *At* sicut Apostolus dicit Rom. 13. 1: *quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Pertinet autem ad divinae sapientiae ordinem, ut Dei dona, et secreta sapientiae ejus non aequaliter ad omnes, sed immediate ad quosdam perveniant, et per eos ad alios deriventur. Unde et quantum ad resurrectionis mysterium, dicitur Act. 10. 40: quod *Deus dedit,* Christum resurgentem *manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo.* Unde hoc etiam debuit circa ipsius nativitatem observari, ut non omnibus Christus manifestaretur, sed quibusdam, per quos posset ad alios devenire.

(a. 3.) Et quia salus quae futura erat per Christum, ad omnem diversitatem hominum pertinebat: quia sicut dicitur Col. 3. 11: *in Christo Jesu non est masculus, et foemina, Gentilis, et Judaeus, servus, et liber:* et sic de aliis hujusmodi, *sic ut hoc in ipsa Christi nativitate praefiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus:* quia ut Aug. dicit in serm. de Epiph: *pastores fuerunt Israelitae, Magi Gentiles, illi prope, isti longe; utrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt.* Fuit etiam inter eos alia diversitas: nam Magi fuerunt sapientes, et potentes; pastores autem simplices, et viles. Manifestatus etiam est justis, Simeoni et Annae, et peccatoribus, scilicet Magis. Manifestatus est etiam et viris, et mulieribus, ut per hoc ostenderetur, nullam conditionem hominum excludi a Christi salute.

(a. 4.) Christus non per seipsum suam nativitatem manifestavit, sed per quasdam alias creaturas . . . (a. 5.) Quia viris justis est familiare, et consuetum interiori Spiritus Sancti instinctu edoceri absque signorum sensibilium demonstratione, ideo justis, scilicet Simeoni et Annae, manifestata est Christi nativitas per interiorem instinctum Spi-

ritus Sancti secundum illud Luc. 2. 26: *responsum accepit a Spiritu Sancto non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini.* Pastoribus autem et Magis tamquam rebus corporalibus deditis, manifestata est Christi nativitas per visibiles apparitiones. Et quia nativitas non erat pure terrena, sed quodammodo coelestis, ideo per signa coelestia utrisque Christi nativitas revelatur . . . . . Rationabiliter autem pastoribus, tamquam Judaeis, apud quos frequenter factae sunt apparitiones Angelorum, revelata est nativitas Christi per Angelos; Magis autem assuetis in consideratione coelestium corporum, manifestata est per signum stellae.

(a. 7.) *Stella, quae Magis apparuit, non fuit una coelestium stellarum,* sicut Chrysost. dicit sup. Matth. hom. 6. Primo quidem quia nulla aliarum stellarum hac via incedit: haec enim stella ferebatur a Septentrione in Meridiem: ita enim Judaea jacet ad Persidem, unde Magi venerunt. Secundo apparet hoc ex tempore, non enim solum apparebat in nocte, sed etiam in media die; quod non est virtutis stellae, sed neque Lunae. Tertio, quia quandoque apparebat, et quandoque occultabatur: cum enim intraverunt Jerosolimam, occultavit seipsam; deinde ubi Herodem reliquerunt, seipsam monstravit. Quarto quia non habebat continuum motum; sed cum oportebat ire Magos, ibat . . . Unde videtur haec stella virtutis invisibilis fuisse in talem apparentiam transformata.

(Q. 37.) DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM JESUM OBSERVATIS.

(a. 1.) Pluribus de causis Christus debuit circumcidi. Primo quidem ut ostendat veritatem carnis humanae, contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale; et contra Valentinum, qui dixit Christum de coelo corpus attulisse. Secundo ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertio ut comprobaret, se esse de genere Abrahae, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quarto ut Judaeis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumsisus.

(a. 2.) Quia Christo munus gratiae collatum erat, ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter vocatum est nomen ejus Jesus, idest *Salvator*, Angelo hoc nomen praenuntiante, non solum matri, sed etiam Joseph, qui erat futurus ejus nutritius.

(a. 3.) Quia Christus ex muliere natus erat quasi primogenitus, et voluit fieri sub lege, haec duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit: primo quidem, id quod pertinet ad primogenitos, cum dicit Luc. 2. 22: *tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scripsum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;* secundo, illud quod pertinet communiter ad omnes, cum dicit: *ut darent hostiam, secundum quod dictum erat in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

(a. 4.) Et sicut Christus, licet non esset legi obnoxius, voluit tamen, circumcisionem et alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis, et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et

ut calumniae occasionem Judaeis tolleret; propter easdem rationes voluit et matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.

(Q. 38.) DE BAPTISMO JOANNIS.

Primo considerandum est de baptismo Joannis in communi; secundo de baptizatione Christi.

(a. 1.) Conveniens fuit Joannem baptizare, propter quatuor. Primo quidem, quia oportebat Christum a Joanne baptizari, ut baptismum consecraret, ut Aug. dicit super Joa. tract. 5. Secundo, ut Christus manifestaretur, . . . concurrentibus enim turbis ad baptismum, annuntiabat Christum . . . Tertio, ut suo baptismo assuefaceret homines ad baptismum Christi . . . Quarto, ut ad poenitentiam homines inducens, homines praepararet ad digne suscipiendum baptismum Christi.

(a. 2.) Ritus baptizandi non fuit ex hominibus, sed a Deo, qui familiari Spiritus Sancti revelatione, Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine: quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset . . . (a. 3.) Baptismus *siquidem* Joannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam praeparabat . . . (a. 6.) Unde illis qui tantum in aqua baptizati erant baptismo Joannis, non solum erat supplendum quod deerat, (ut scilicet daretur eis Spiritus Sanctus per impositionem manuum;) sed erant iterato totaliter baptizandi in aqua, et Spiritu

(Q. 39.) DE BAPTIZATIONE CHRISTI.

(a. 2.) Cum Christus baptizaret baptismo proprio, consequens est quod non fuerit baptizatus suo baptismate, sed baptismate Joannis. Et hoc fuit conveniens. Primo quidem, propter conditionem baptismi Joannis, qui non baptizavit in Spiritu, sed solum in aqua. Christus autem spirituali baptismate non indigebat, qui a principio suae conceptionis gratia Spiritus Sancti repletus fuit . . . Secundo, ut Beda dicit c. 4. in Mar: *baptizatus est baptismo Joannis, ut baptismo suo baptismum Joannis comprobaret.* Tertio, sicut Gregorius Nazianzenus dicit in orat. 39: *accedit Christus ad baptismum Joannis, sanctificaturus baptismum.*

(a. 4.) Christus fuit in trigesimo anno baptizatus Luc. c. 3. . . . (a. 4.) in Jordane *Marc. c. 1. Ubi notandum* quod fluvius Jordanis fuit, per quem filii Israel in terram promissionis intraverunt; hoc autem habet baptismus Christi speciale prae omnibus baptismatibus, quod introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis significatur . . . Et ideo conveniens fuit, ut Christus in Jordane baptizaretur.

(a. 5.) Baptizato *autem* Christo apertum est coelum Luc. c. 3. ut ostenderetur, quod de caetero coelestis virtus baptismum sanctificaret . . . *et* ut ostenderetur, quod baptizatis patet via in coelum . . . (a. 6.) Dicitur Luc. 3. 22: *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum* . . . . et ideo descendit, ut super omnes baptizatos invisibiliter postea credatur descendere . . . (a. 7.) Quia Spiritus Sanctus dicitur *spiritus veritatis,* ut patet Joan. 16. ideo etiam ipse veram columbam formavit, in qua appareret; licet non assumeret ipsam in unitatem personae . . . Dicitur *autem* descendisse

in specie vel similitudine columbae, non ad excludendam veritatem columbae, sed ad ostendendum, quod ipse non apparuit in specie suae substantiae.

(a. 8.) Convenienter Christo baptizato fuit vox Patris audita Filium protestantis . . . *nam* in baptismo Christi, qui fuit exemplar nostri baptismi, demonstrari debuit, quod in nostro baptismo perficitur. Baptismus autem quo baptizantur fideles, consecratur in invocatione et virtute Trinitatis, secundum illud Mat. ult. 19: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti.* Et ideo *in baptismo Christi,* ut Hier. dicit super illud Mat. 3: *et ecce aperti etc., mysterium Trinitatis monstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur; Spiritus Sanctus descendit in specie columbae; Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur.*

(Q. 40.) DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI.

Consequenter post ea quae pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad ejus principium, considerandum restat de his, quae pertinent ad progressum ipsius: et primo considerandum est de modo conversationis ipsius; secundo de tentatione ejus; tertio de doctrina; quarto de miraculis.

(a. 1.) Conversatio Christi talis debuit esse, ut conveniret fini Incarnationis, secundum quam venit in mundum. Venit autem in mundum primo quidem ad manifestandum veritatem, sicut ipse dicit Joa. 18 . . . et ideo non debebat se occultare vitam solitariam agens, sed in publicum procedere, publice praedicando . . . Secundo venit ad hoc, ut homines a peccato liberaret, secundum illud I. ad Tim. 1. 15: *Christus Jesus venit in hunc mundum*

peccatores salvos facere; et ideo ut Chrys. dicit, *licet in eodem loco manendo posset Christus ad se omnes attrahere, ut ejus praedicationem audirent; non tamen hoc fecit, praebens nobis exemplum ut perambulemus, et requiramus pereuntem, sicut pastor ovem perditam, et medicus accedit ad infirmum.* Tertio venit, ut per ipsum habeamus accessum ad Deum, ut dicitur Rom. 5. et ideo familiariter cum hominibus conversando, conveniens fuit, ut hominibus fiduciam daret ad se accedendi.

(a. 2.) *Et quia* qui cum aliquibus conversatur, convenientissimum est, ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apos. I. ad Cor. 9. 22: *omnibus omnia factus sum;* ideo convenientissimum fuit, ut Christus in cibo, et potu communiter se, sicut alii, haberet.

(a. 3.) Christum *autem* decuit in hoc mundo pauperem vitam ducere. Primo quidem, quia hoc erat congruum praedicationis officio . . . . Secundo, quia sicut mortem corporalem assumpsit, ut nobis vitam largiretur spiritualem; ita corporalem paupertatem sustinuit, ut nobis divitias spirituales largiretur . . . Tertio, ne si divitias haberet, cupiditati ejus praedicatio adscriberetur . . . . Quarto, ut tanto major virtus divinitatis ejus ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abjectior.

(a. 4.) Voluit autem Christus secundum legem conversari: primo quidem ut legem veterem approbaret; secundo, ut eam observando, in seipso consummaret, et terminaret, ostendens quod ad seipsum erat ordinata; tertio, ut Judaeis occasionem calumniandi subtraheret; quarto, ut homines a servitute legis liberaret, secundum illud Galat. 4. 4: *misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.*

(Q. 41.) DE TENTATIONE CHRISTI.

(a. 1.) Dicitur Mat. 4. 1. *Ductus est Jesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a Diabolo.* Christus *vero* tentari voluit, primo quidem ut nobis contra tentationes auxilium ferret... Secundo propter nostram cautelam, ut nullus quantumcumque sanctus, se existimet securum, et immunem a tentatione... Tertio propter exemplum, ut scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus... Quarto, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur.

(a. 4.) Convenienter est descripta Christi tentatio Matth. 4. et Luc. 4. *Etenim* tentatio, quae est ab hoste, fit per modum suggestionis, ut Greg. dicit, *hom.* 16. *in Evang. paulo a princ.* Non autem eodem modo potest aliquid omnibus suggeri; sed unicuique suggeritur aliquid ex his, circa quae est affectus. Et ideo diabolus hominem spiritualem non statim tentat de gravibus peccatis, sed paulatim a levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Unde Greg. 31. moral. c. 17. *vers. fi.* exponens illud Job. 39: *procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus,* dicit: *bene duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare: quia prima vitia deceptae menti quasi sub quadam ratione se inserunt; sed innumera, quae sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt.*

Et hoc idem diabolus observavit in tentatione primi hominis. Nam primo sollicitavit mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens Gen. 3: *cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Secundo, de inani gloria, cum dixit: *aperientur oculi vestri.* Tertio, perduxit tentationem ad extremam superbiam, cum dixit: *eritis, sicut Dii, scientes bonum, et malum.*

Et hunc etiam tentandi ordinem servavit in Christo. Nam primo, tentavit ipsum de eo, quod appetunt quantumcumque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturae per cibum. Secundo processit ad id, in quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio perduxit tentationem ad id, quod jam non est spiritualium virorum, sed carnalium, scilicet ut divitias, et gloriam mundi concupiscant usque ad contemptum Dei. Et ideo in primis duabus tentationibus dixit, *si Filius Dei es*, non autem in tertia, quae non potest convenire spiritualibus viris, qui sunt per adoptionem filii Dei, sicut duae primae.

His autem tentationibus Christus restitit testimoniis legis, non potestate virtutis, *ut hoc ipso et plus hominem honoraret, et adversarium plus puniret, cum hostis generis humani non quasi a Deo, sed quasi ab homine vinceretur*, sicut dicit Leo Papa. *serm. 1. de Quadrag. c.* 3.

(Q. 42.) DE DOCTRINA CHRISTI.

(a. 1.) Conveniens fuit praedicationem Christi tam per ipsum, quam per Apostolos, a principio solis Judaeis exhiberi. Primo quidem, ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas Judaeis, non autem Gentilibus . . , . Secundo, quia debitus ordo exigebat, ut Judaeis qui Deo erant propinquiores per fidem, et cultum unius Dei, prius doctrina Christi proponeretur, et per eos transmitteretur ad Gentes . . . Tertio, ut Judaeis auferret calumniandi materiam . . . Quarto, quia Christus per crucis victoriam meruit potestatem et dominium super Gentes . . . et ideo ante Passionem

suam noluit Gentibus praedicari suam doctrinam; sed post Passionem dixit discipulis Mat, ult. 19: *euntes docete omnes gentes.*

(a. 2.) Dominus, non obstante offensione *quorundam Judaeorum*, publice veritatem docebat, quam illi oderant, et eorum vitia arguebat .... (a. 3.) *Atque* ipse dicit Joa. 18. 20: *in occulto loquutus sum nihil; nisi dicatur quod* quantum ad modum docendi, Christus quaedam turbis loquebatur in occulto, parabolis utens ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quae capienda non erant idonei, vel digni: et tamen melius erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum spiritualium doctrinam audire, quam omnino ea privari. Harum tamen parabolarum apertam, et nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deveniret ad alios, qui essent idonei, secundum illud II. Tim. 2. 2: *quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*

(a. 4.) Nulli *autem* libri ab eo scripti habentur in canone scripturae ... *et sane* Christo tamquam excellentissimo doctori hic modus competebat, ut doctrinam suam auditorum cordibus imprimeret. Propter quod dicitur Mat. 7. 29, *quod erat docens eos, sicut potestatem habens.* Unde etiam apud Gentiles, Pythagoras et Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nihil scribere voluerunt.

(Q. 43.) DE MIRACULIS A CHRISTO FACTIS IN GENERALI.

Deinde considerandum est de miraculis a Christo factis: et primo in generali; secundo in speciali de singulis miraculorum generibus: tertio in particulari de transfiguratione ipsius.

(a. 1.) *Quia* circa Christum, erat hominibus manifestandum quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis, et quod ejus supernaturalis doctrina esset a Deo; ideo convenientissimum fuit, ut miracula faceret: unde ipse dicit Joa. 10. 38: *si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Joa. 5 36: *opera, quae dedit mihi Pater, ut faciam, ipsa sunt, quae testimonium perhibent de me.*

(a. 2.) Christus fecit miracula divina virtute... *unde* dicit Joa. 14. 10: *Pater in me manens ipse facit opera... et sane* sicut in prima parte habitum est (Q. 110. a. 4.) vera miracula sola virtute divina fieri possunt: quia solus Deus potest mutare naturae ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi. Unde Leo Papa dicit in epis. ad Flavianum 28. c. 4. quod in Christo sunt duae naturae; *una,* scilicet divina, *quae fulget miraculis; altera,* scilicet humana, *quae succumbit injuriis.* Et tamen una earum agit cum communicatione alterius; in quantum scilicet humana natura est instrumentum divinae actionis, et actio humana virtutem accipit a natura divina, sicut supra habitum est q. 13.

(a. 3.) Christus incoepit facere miracula in nuptiis, *ut* dicitur Joa. 2. 11: *hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galileae. Etenim* miracula facta sunt a Christo propter confirmationem doctrinae ejus, et ad ostendendam virtutem divinam in ipso. Et ideo quantum ad primum non debuit ante miracula facere, quam docere inciperet.... quantum autem ad secundum, sic debuit per miracula deitatem ostendere, ut crederetur veritas humanitatis ipsius. Et ideo, sic dicit Chrys. sup. Joa. hom. 20: *decenter non incoepit signa facere in prima aetate: existimassent enim phantasma esse incarnationem; et ante opportunum tempus, cruci eum tradidissent.*

(a. 4.) Miracula quae Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandum divinitatem ipsius secundum tria. Primo quidem secundum ipsam speciem operum, quae transcendebant omnem potestatem creatae virtutis: et ideo non poterant fieri nisi virtute divina ... Secundo, propter modum miracula faciendi, quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alii: unde dicitur Luc. 6. 19: *quod virtus de illo exibat, et sanabat omnes* .... Tertio, ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat; quae nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis; et ideo dicitur Marc. 1. 27: *quaenam doctrina haec nova, quia in potestate spiritibus immundis imperat, et obediunt ei?*

(Q. 44.) DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS.

(a. 1.) Quia miracula, quae Christus fecit, argumenta quaedam fuerunt fidei, quam ipse docebat, futurum autem erat, ut per virtutem divinitatis ejus excluderet daemonum potestatem ab hominibus credituris in eum, secundum illud Joan. 12. 31: *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras;* ideo conveniens fuit quod inter alia miracula etiam obsessos a daemonibus liberaret.

(a. 2.) *Pariter, quia* miracula Christi talia esse debebant, ut sufficienter eum esse Deum ostenderent; hoc autem non ita evidenter ostenditur per transmutationem corporum inferiorum, quae etiam ab aliis causis moveri possunt, sicut per transmutationem cursus coelestium corporum, quae a solo Deo sunt immobiliter ordinata, .. ideo conveniens fuit, ut Christus miracula faceret etiam circa coelestia corpora, *juxta quod* dicitur Luc. 23: *tene-*

brae factae sunt in universa terra usque ad horam nonam, et obscuratus est sol . . . . . dum naturalis eclipsis solis per interpositionem lunae nunquam accidit nisi tempore conjunctionis solis et lunae. Tunc autem erat luna in oppositionem solis, quintadecima existens, quia erat Pascha Judaeorum.

(a. 3.) Conveniens *quoque* fuit ut Christus particulariter homines miraculose sanando, ostenderet se esse universalem et spiritualem hominum Salvatorem . . . (a. 4.) *Et quia* pertinet ad virtutem divinitatis ut omnis creatura sit ei subjecta, ideo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit, et non solum in hominibus, sed etiam in irrationabilibus creaturis.

(Q. 45.) DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

(a. 1.) *Quia* Christus per suam Passionem ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret non solum animae, quam habuit a principio suae conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud Luc. ult. 26: *haec oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam:* ad quam etiam perducit eos, qui vestigia suae Passionis sequuntur, secundum illud Act. 15. 21: *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum;* ideo conveniens fuit ut discipulis suis gloriam suae claritatis ostenderet; quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit, secundum illud Philip. 3. 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Unde Beda dicit sup. Marc. c. 37: *pia provisione factum est, ut contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata, fortius adversa tolerarent.*

(a. 2.) Quod a principio conceptionis Christi gloria animae non redundaret ad corpus, ex qua-

dam dispensatione divina factum est, ut in corpore passibili nostrae redemptionis expleret mysteria, sicut supra dictum est q. 14. a. 1. Non tamen per hoc adempta est Christo potestas derivandi gloriam animae ad corpus. Et hoc quidem fecit, quantum ad gloriae claritatem in transfiguratione; aliter tamen quam in corpore glorificato: nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, sicut qualitas quaedam permanens, corpus afficiens; unde fulgere corporaliter, non est miraculosum in corpore glorioso: sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas a divinitate, et anima ejus, non per modum qualitatis immanentis, et afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cum aer illuminatur a sole: unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparens miraculosus fuit, sicut et hoc ipsum quod ambulavit super undas maris.

(a. 3.) *Quia* ad gloriam aeternae beatitudinis adducuntur homines per Christum, non solum qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum praecesserunt, . . ideo conveniens fuit, ut de praecedentibus ipsum testes adessent, scilicet Moyses, et Elias; et de sequentibus ipsum, scilicet Petrus, et Jacobus, et Joannes, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum . . . Non *autem* est sic intelligendum quod anima Moysi suum corpus resumpserit; sed quod anima ejus apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut Angeli apparent. Elias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de coelo empyreo allato; sed de aliquo eminenti loco, quo fuerat in curru igneo raptus.

(a. 4.) Quia gratiam per baptismum consequimur, in transfiguratione autem praemonstrata est claritas futurae gloriae, ideo tam in baptismo, quam in transfiguratione conveniens fuit manifestari natu-

ralem Christi filiationem testimonio Patris; quia solus est perfectè conscius illius perfectae generationis simul cum Filio, et Spiritu Sancto.

(Q. 46.) DE PASSIONE CHRISTI.

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exitum Christi de mundo, et primo de Passione ejus; secundo de Morte, tertio de sepultura, quarto de descensu ad inferos.

(a. 1.) Non fuit necessarium Christum pati necessitate coactionis, neque ex parte Dei, qui Christum definivit pati, neque etiam ex parte ipsius Christi, qui voluntarie passus est. Fuit autem necessarium necessitate finis: qui quidem potest tripliciter intelligi. Primo quidem ex parte nostra, qui per ejus Passionem liberati sumus, secundum illud Joa. 3. 14: *oportet exaltari filium hominis; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Secundo, ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem Passionis meruit gloriam exaltationis; et ad hoc pertinet quod dicitur Luc. ult. 26: *nonne oportuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam?* Tertio ex parte Dei, cujus definitionem circa Passionem Christi praenuntiatam in Scripturis, et prefiguratam in observantia Veteris Testamenti oportebat impleri;.. (a. 2.) *Attamen, ut* Aug. dicit 13. de Trin. c. 10, *istum modum quo nos per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asserimus bonum et divinae congruum dignitati; verum etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta aequaliter subjacent.*

(a. 4.) Convenientissimum *autem* fuit Christum pati Mortem crucis, primo quidem propter exem-

plum virtutis . . . secundo quia hoc genus mortis maxime conveniens erat sastisfactioni pro peccato primi Parentis, quod ex eo, quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit. Et ideo conveniens fuit quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat . . . tertia ratio est quia per hoc quod in alto moritur, ascensum nobis parat in coelum . . . quarta ratio est quia hoc competit universali salvationi totius mundi. Unde . . . Chrys. dicit quod in Cruce *expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos qui ex gentibus sunt, trahat* . . . *altera* ratio est quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet. Ut enim Aug. dicit in Serm. de Pass. . . *Lignea virga de spirituali petra salutaris unda profertur; et ut Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur; et lex Dei, arcae Testamenti creditur ligneae, ut his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdam gradus, veniatur.*

(a. 6.) In Christo patiente fuit verus dolor, et sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo, et dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocumenti, qui tristitia dicitur. Uterque autem dolor in Christo fuit maximus inter dolores praesentis vitae . . . ut Tren. 1. 12. dicitur ex persona Christi: *attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.*

(a. 8.) *Quia ut* Damasc. dicit in 3. lib. orth. fid. c. 15. *Divinitas Christi permisit carni agere, et pati quae propria*; ergo pari ratione, cum proprium esset animae Christi, in quantum erat beata, quod frueretur, Passio ejus fruitionem non impediebat.

(Q. 47.) DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI.

Deinde considerandum est de causa efficiente Passionis Christi. (a. 2.) *Christus ex obedientia passus est*: Philip. 2, 8: *factus est obediens*, Patri, *usque ad mortem . . . et* hoc conveniebat justificationi humanae; ut *sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justi constituantur multi*, ut dicitur Rom. 5. 19.

(a. 5.) Utrum Christi persecutores eum cognoverint, *notandum*, quod apud Judaeos quidam erant majores, et quidam minores. *Majores* quidem, *qui eorum Principes dicebantur*, ut dicitur in lib. Q. Q. V. et N. Test. q. 46. inter op. Aug.,: *sicut et Daemones cognoverunt eum esse Christum promissum in lege: omnia enim signa videbant in eo, quae dixerunt futura Prophetae; mysterium autem divinitatis ejus ignorabant.* Et ideo Apos. dicit quod, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Sciendum tamen quod eorum ignorantia non eos excusabat a crimine, quia erat quodammodo ignorantia affectata: videbant enim evidentia signa divinitatis ipsius, sed ex odio et invidia Christi, ea pervertebant, et verbis ejus, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt . . . Minores vero idest populares, qui mysteria Scripturae non noverant, non plene cognoverunt ipsum esse nec Christum, nec Filium Dei. Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit: et si aliquando dubitaverunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem, et efficaciam doctrinae, ut habetur Joa. 8; tamen postea decepti fuerunt a suis Principibus, ut eum non crederent

neque filium Dei, neque Christum. Unde et Petrus eis dixit: *scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et Principes vestri*, quia scilicet per Principes seducti erant.

(a. 6.) Peccatum Christum crucifigentium fuit gravissimum . . . Unde sup. illud Luc. 23: *nesciunt quid faciunt*, dicit Beda c. 94. in Luc: *pro illis rogat, qui nescierunt, quid facerent, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Multo autem magis fuit excusabile peccatum gentilium, per quorum manus crucifixus est*, qui legis scientiam non habebant.

(Q. 48.) DE MODO PASSIONIS CHRISTI QUANTUM AD EFFECTUM.

(a. 1.) Passio Christi causavit nostram salutem per modum meriti, . . (a. 2.) per modum satisfactionis, (a. 3.) per modum sacrificii, (a. 4.) et per modum redemptionis.

(Q. 49.) DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI.

(a. 1.) Per Passionem Christi sumus liberati a peccato, ut dicitur Apoc. 1. 5; *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* . . . (a. 2.) Per Passionem Christi sumus liberati a potestate diaboli, *ut* Dominus dicit Joa. 12. 31: *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras: et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum.*

(a. 3.) Per Passionem Christi homines sunt liberati a poena peccati, *ideo* dicitur Isa. 53. 4: *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* . . . exibita enim satisfactione suffi-

cienti, tollitur reatus poenae . . . (a. 4.) Per Passionem Christi sumus Deo reconciliati, *ut* Apos. dicit Rom. 5. 10: *reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, (a. 5.) *et* Christus sua Passione aperuit nobis januam coeli, *unde* Apos. dicit Hebr. 10. 19: *habemus fiduciam in introitu sanctorum*, scilicet coelestium, *in sanguine Christi:* (a. 6.) Christus *vero* per suam Passionem meruit exaltari, *juxta* quod dicitur Philip. 2. 8: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum.*

(Q. 50.) DE MORTE CHRISTI.

(a. 1.) Conveniens fuit Christum mori, primo quidem ad satisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adjudicatum propter peccatum . . . secundo ad ostendendum veritatem naturae assumptae . . . tertio ut moriendo nos a timore mortis liberaret . . . quarto ut corporaliter moriendo similitudini peccati, idest poenalitati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato . . . quinto ut a mortuis resurgendo, et virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi a mortuis daret.

(a. 2.) In morte Christi non fuit separata divinitas a carne . . . ea *enim* quae sunt humanae naturae, non dicuntur de filio Dei nisi ratione unionis, ut supra habitum est q. 16. a. 4. 5: sed de filio Dei dicitur id, quod convenit corpori Christi post mortem, scilicet esse sepultum: ut patet in symbolo fidei, ubi dicitur quod Filius Dei *conceptus est, et natus ex virgine, passus, mortuus, et sepultus* . . . *et sane* illud quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa revocatur . . . cum igitur in

Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit quod solveretur unio divinitatis a carne ipsius.

Quod si dicatur, divinitas unita est carni mediante anima; ergo videtur quod cum in morte Christi anima separata sit a carne, per consequens divinitas sit a carne separata, . . . dicendum quod Verbum Dei dicitur unitum carni mediante anima, in quantum caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei assumere intendebat, non autem ita quod anima sit quasi medium ligans unita. Habet autem caro ab anima, quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea, in quantum scilicet in carne mortua remanet ex divina ordinatione quidam ordo ad resurrectionem. Et ideo non tollitur unio divinitatis ad carnem.

(a. 3.) Neque fuit facta separatio divinitatis ab anima, *ut* dicit Damascenus in 3. lib. orth. fid. c. 27: *Etsi Christus mortuus est ut homo, et sancta ejus anima ab incontaminato divisa est corpore; divinitas tamen inseparabilis ab utrisque permansit, ab anima dico, et corpore.*

(a. 4.) *Quia* mors hominis provenit ex separatione animae, quae complet rationem hominis, ideo dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter, et absolute loquendo, erroneum est. Potest tamen dici quod Christus in triduo fuit homo mortuus.

(Q. 51.) DE SEPULTURA CHRISTI.

(a. 1.) Conveniens fuit Christum sepeliri, primo quidem ad comprobandam veritatem mortis . . . secundo quia per hoc quod Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his

qui sunt in sepulcro, secundum illud Joa. 4. 28: *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* Tertio ad exemplum eorum, qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur a conturbatione hominum. Unde dicitur Col. 3. 3: *mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Unde et baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secundum illud Rom. 6. 4: *consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.*

(a. 3.) Corpus Christi in sepulcro non fuit incineratum, *juxta* quod in Psal. 15. 10. dicitur: *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* . . . .

(a. 4.) Christus fuit in sepulcro solum una die, et duabus noctibus . . . . . et sic primus dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus, et sepultus; secundus autem dies est integer cum viginti quatuor horis nocturnis, et diurnis, nox autem sequens pertinet ad tertium diem.

(Q. 52.) DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

(a. 1.) Dicitur in symbolo *descendit ad inferos;* et Apos. dicit Eph. 4. 9: *quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum ad inferiores partes terrae?* Glossa interl. idest *ad inferos.*

Sicut enim fuit conveniens eum mori, ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit eum descendere ad inferos, ut nos a descensu ad inferos liberaret. Unde dicitur Oseae 13. 14: *ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne.* Secundo, quia conveniens erat ut victo diabolo per Passionem, vinctos ejus eriperet, qui detinebantur in inferno, secundum

illud Zac. 9. 11: *tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu:* et Col. 2. 15. dicitur, *expolians principatus et potestates, traduxit confidenter.* Tertio, ut sicut potestatem suam ostendit in terra vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando, et illuminando.

(a. 2.) Christus ad infernum damnatorum non descendit. *Sane* dupliciter dicitur esse aliquid alicubi. Uno modo per suum effectum: et hoc modo Christus in quemlibet inferorum descendit; aliter tamen et aliter: nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum, quod descendens ad inferos, eos de sua incredulitate et malitia confutavit; illis vero qui detinebantur in purgatorio, spem gloriae consequendae dedit; sanctis autem patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen aeternae gloriae infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam: et hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo justi detinebantur, ut quos ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco. Sic autem in una parte inferni existens, effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivavit, sicut et in uno loco terrae passus, totum mundum sua Passione liberavit.

(a. 4.) Petrus dicit Act. 2. 24: *quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Ergo videtur quod usque ad horam resurrectionis manserit in inferno . . . *et* latro loco quidem cum Christo ad infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei, *mecum eris in paradiso;* sed praemio in paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut et alii Sancti.

(a. 5.) Christus descendens ad inferos, virtute suae Passionis ab hoc reatu Sanctos absolvit, quo erant a vita gloriae exclusi... Per hoc autem sancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriae propter peccatum primi parentis aditus non patebat. Et sic Christus descendens ad inferos, sanctos Patres ab inferno liberavit... (a. 6.) *non autem* per descensum Christi ad inferos sunt aliqui de inferno damnatorum liberati... (a. 7.) Cum pueri cum originali peccato decedentes gratiam non habuerint, non fuerunt ab inferno liberati... (a. 8.) *et* illi qui fuerunt tales, quales nunc sunt qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos. Si qui autem inventi sunt tales, quales etiam nunc virtute passionis Christi a purgatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi ad inferos a purgatorio esse liberatos.

(Q. 53.) DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Consequenter considerandum est de his, quae pertinent ad axaltationem Christi: et primo de ejus resurrectione; secundo de ejus ascensione; tertio de ejus sessione ad dexteram Patris; quarto de judiciaria potestate ipsius.

(a. 1.) Dicitur Luc. ult. 26: *oportebat Christum pati et resurgere a mortuis*... *Sane* necessarium fuit Christum resurgere propter quinque. Primo quidem ad commendationem divinae justitiae, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant... Secundo ad fidei nostrae instructionem: quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi... Tertio ad sublevationem spei nostrae: quia dum videmus

Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos; ut dicitur I. ad Cor. 15. 12. et Job. 19. 25. . . . Quarto ad informationem vitae fidelium, secundum illud Rom. 6. . . . Quinto ad complementum nostrae salutis, quia sicut per hoc quod mala sustinuit, humiliatus est moriendo, ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud Rom. 4. 25: *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

(a. 2.) Ad hoc quod confirmaretur fides de veritate humanitatis, et mortis ejus, oportuit moram esse inter mortem, et resurrectionem. Si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quod ejus mors vera non fuerit, et per consequens nec resurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestandam sufficiebat, quod usque ad tertium diem resurrectio differretur: quia non contingit quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitae.

(a. 3.) Loquendo de resurrectione perfecta, Christus est primus resurgentium: quia ipse resurgendo primo pervenit ad vitam penitus immortalem, secundum illud Rom. 6. 9: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Sed resurrectione imperfecta quidem alii resurrexerunt ante Christum, ad praemonstrandum quasi in quodam signo resurrectionem ipsius; et sic patet *quod* et illi qui suscitati in Veteri Testamento sunt, et illi qui suscitati sunt a Christo, sic redierunt ad vitam, ut iterum morerentur.

(a. 4.) Christus propria virtute resurrexit. Et hoc est quod de Christo dicitur II. ad Cor. ult. 4; *quod et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.*

(Q. 54.) DE QUALITATE CHRISTI RESURGENTIS.

(a. 1.) Christus post resurrectionem habuit verum corpus, *unde* dicitur Luc. ult. 37: quod Christo discipulis apparente, *conturbati, et conterriti existimabant se spiritum videre,* ac si non haberet verum corpus, sed phantasticum; ad quod removendum ipse postea subdit: *palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Non ergo habuit corpus phantasticum, sed verum . . . Corpus *autem* Christi per resurrectionem non ex miraculo, sed ex conditione gloriae, sicut quidam dicunt, clausis januis ad discipulos introivit, simul cum alio corpore in eodem loco existens; sed utrum hoc habere possit corpus gloriosum ex aliqua proprietate sibi indita, ut simul cum alio corpore in eodem loco existat, inferius discutietur in suppl. q. 83. a. 4: ubi agetur de resurrectione communi. Nunc autem quantum ad propositum sufficit, dicendum est quod non ex natura corporis, sed potius ex virtute divinitatis unitae, illud corpus ad discipulos, licet verum esset, januis clausis introivit. Unde Aug. sup. Jo. tract. 121. dicit: *moli corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit.* Et idem dicit Greg. in Hom. 26. in Evan.... *Pariter* dicitur quod Christus ab oculis discipulorum evanuit, non quia corrumperetur, aut resolveretur in aliqua invisibilia, sed quia sua voluntate desiit ab eis videri, vel eo praesente, vel etiam eo abscedente velociter per dotem agilitatis.

(a. 2.) Quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgentis . . . Dicere autem quod corpus Christi carnem, et ossa

non habuerit, et alias hujusmodi partes humano corpori naturales, pertinet ad errorem Eutychii Constantinopolitanae urbis Episcopi, qui dicebat, ut habet Greg. 14. Mor. c. 29: quod *corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, et ventis aereque subtilius, et quod Dominus post confirmata corda discipulorum palpantium, omne illud quod in eo palpari potuit, in subtilitatem aliquam redegit.* Quia ibidem improbat Greg. (et Hom. 26. in Evang.) quod corpus Christi post resurrectionem immutatum non fuit, secundum illud Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Unde et ille, quae dixerat, in morte retractavit. Si enim inconveniens est ut Christus alterius naturae corpus in sua conceptione acciperet, puta coeleste, sicut Valentinus asseruit, multo magis inconveniens est, quod in resurrectione, alterius naturae corpus resumpserit: quia corpus in resurrectione resumpsit ad vitam immortalem, quod in conceptione assumpserat ad vitam mortalem . . . . Sicut *autem* Aug. dicit ad Consentium de Resur. car. epis. 205. alias 146: *non ibi erit corruptio, et mortalitas carnis, et sanguinis . . . valet enim divina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, ut absit labes,* scilicet corruptionis, *adsit effigies, adsit motio, absit fatigatio, adsit vescendi potentia, absit esuriendi necessitas . . .* Totus *vero* sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanae naturae pertineat, in corpore Christi resurrexit: et eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem, et integritatem humanae naturae pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.

(a. 3.) Peracto mysterio Passionis, et mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptum, suam gloriam derivavit, et ita factum est corpus illud gloriosum . . . Sicut autem in potestate hominis glorificati est, ut corpus ejus videatur, vel non videatur; ita in potestate ejus est, quod claritas ejus videatur, vel non videatur; . . . unde potest in suo colore sine aliqua claritate videri. Et hoc modo Christus suis discipulis post resurrectionem suam apparuit.

(a. 4.) Conveniens fuit animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. Primo quidem propter gloriam ipsius Christi . . . Secundo ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suae resurrectionis. Tertio, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Quarto ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis, insinuet. Postremo ut in judicio, quam juste damnentur, ibidem denuntiet.

(Q. 55.) DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS.

(a. 1.) Quia ea, quae pertinent ad futuram gloriam, communem hominum cognitionem excedunt secundum illud Isa. 64. 4: *oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te,* ideo hujusmodi ab homine non cognoscuntur, nisi divinitus revelata, sicut Apos. dicit I. ad Cor. 2. 10: *nobis revelavit Deus per spiritum suum.* Quia igitur Christus resurrexit gloriosa resurrectione, ideo ejus resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam, quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam . . . . Act. 10. 40: *quem Deus*

suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo . . . Ideo autem primo mulieribus apparuit, ut mulier, quae primo nuntium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgentis Christi in gloria nuntiaret.

(a. 2.) *Quia* est hic ordo divinitus institutus, ut ea, quae super homines sunt, hominibus per angelos revelentur, ut patet per Dionysium ca. 4. coeles. Hierarch.; Christus autem resurgens non rediit ad vitam communiter hominibus notam, sed ad vitam quamdam immortalem, et Deo conformem, secundum illud Rom. 6. 10: *quod enim vivit, vivit Deo;* ideo ipsa Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus videri, sed eis ab angelis nuntiari.

(a. 3.) Circa resurrectionem Christi, duo erant discipulis declaranda; scilicet, ipsa veritas resurrectionis, et gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam sufficit, quod pluries eis apparuit, et cum eis familiariter est locutus et comedit et bibit, et se eis palpandum praebuit. Ad gloriam autem resurgentis manifestandam, noluit continue conversare cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat.

(a. 4.) Quia innotescunt divina hominibus diversimode, secundum quod diversimode sunt affecti . . . ideo Christus quibusdam ad credendum dispositis post resurrectionem apparuit in sua effigie, illis autem in alia effigie, apparuit, qui jam videbantur circa fidem tepescere.

(a. 5.) Dicitur Act. 1. 3. quod apparuit discipulis Christus *per dies quadraginta in multis argumentis loquens de regno Dei . . .* In quantum *scilicet,* per quaedam evidentia signa se vere resur-

rexisse ostendit,... quae quidem signa resurrectionis, Christus ostendit discipulis propter duo. Primo quidem, quia non erant corda eorum disposita ad hoc, quod de facili fidem resurrectionis acciperent. Unde ipse dicit eis Luc. ult. 25: *o stulti et tardi corde ad credendum* et Mar. ult. 14: *exprobravit illis incredulitatem eorum, et duritiam cordis.* Secundo ut per hujusmodi signa eis ostensa, efficacius eorum testimonium redderetur, secundum illud I. Joa. 1. 1: *quod vidimus, et audivimus, et manus nostrae contrectaverunt... hoc testamur...* (a. 6.) *Et* licet singula argumentorum non sufficerent ad manifestandum perfectam Christi resurrectionem; tamen omnia simul accepta perfecte Christi resurrectionem manifestant, maxime propter scripturae testimonium, et angelorum dicta, et etiam ipsius Christi assertionem, miraculis confirmatam.

Quod autem apud Matthaeum, Angelum super lapidem revolutum, apud Marcum vero intus, angelus describitur visus a mulieribus ingressis monumentum, et rursus ab istis unus, a Joanne c. 20. duo sedentes, a Luca vero c. 24. duo stantes describuntur... dicendum quod sicut Aug. dicit in lib. 4. de cons. Evan. c. 24: *possumus intelligere unum angelum visum a mulieribus, secundum Matthaeum et Marcum, ut eas ingressas in monumentum accipiamus, in aliquod scilicet spatium, quod erat aliqua maceria communitum, atque ibi vidisse angelum sedentem super lapidem revolutum a monumento sicut dicit Matthaeus; ut hoc sit, sedentem a dextris quod dicit Marcus: deinde dum introspicerent locum, in quo jacuerat corpus Domini, visos ab eis alios duos angelos, primo quidem sedentes,* ut dicit Joannes, *et postea eos surrexisse ut stantes viderentur,* ut dicit Lucas.

(Q. 56.) DE RESURRECTIONIS CHRISTI CAUSALITATE.

(a. 1.) *Quia* illud, quod est primum in quolibet genere, est causa omnium, quae sunt post; primum autem in genere verae resurrectionis, fuit resurrectio Christi, sicut ex supradictis patet q. 53. a. 3. unde oportet quod resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis: et hoc est quod Apos. dicit 1. Cor. 15. 20: *Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Et hoc rationabiliter: nam principium humanae vivificationis est verbum Dei, de quo dicitur in psal. 35. 10: *apud te est fons vitae* . . . et ideo Verbum Dei, primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito, et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis.

(a. 2.) Resurrectio Christi est *etiam* causa resurrectionis animarum, *ut* Apos. dicit Rom. 3. 25: *resurrexit propter justificationem nostram* . . . A Deo enim est et quod anima vivat per gratiam, et quod corpus vivat per animam.

(Q. 57.) DE ASCENSIONE CHRISTI.

(a. 1.) *Quia* Christus per resurrectionem, vitam immortalem, et incorruptibilem inchoavit . . . ideo non fuit conveniens quod Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conveniens fuit quod ascenderet in coelum . . . (a. 2.) *Et quidem* secundum divinam naturam . . dicendum est *enim* quod Christus ascendit in coelum, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus. Unde Aug.

dicit in serm. de Ascens. 3: *de nostro fuit, quod filius Dei pependit in cruce, sed de suo, quod ascendit.*

(a. 3.) Secundum *autem* humanam naturam, potest accipi duplex virtus Christi: una quidem naturalis, quae procedit ex principiis naturae, et tali virtute manifestum est quod Christus in coelum non ascendit: alia autem virtus in humana natura Christi, est virtus gloriae, secundum quam Christus in coelum ascendit; est enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam, quod sicut Aug. dicit 22. Civ. Dei c. ult: *ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus* . . . et ideo virtute animae volentis, corpus Christi ascendit in coelum . . . Sic igitur Christus ascendit in coelum propria virtute, primo quidem virtute divina, secundo virtute animae glorificatae moventis corpus prout vult.

(a. 4.) Dicitur Eph. 4. 10: *ascendit super omnes coelos, ut adimpleret omnia* . . (a. 5.) Et Eph. 1. 21: *constituit illum super omnem principatum, et potestatem, et supra omne nomen, quod nominatur, sive in hoc saeculo, sive in futuro* . . . Et corpus Christi, licet considerando conditiones naturae corporeae, sit infra spirituales substantias, considerando tamen dignitatem unionis, qua est personaliter Deo conjunctum, excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum. Et ideo debetur ei locus altior ultra omnem creaturam etiam spiritualem.

(a. 6.) Christus dicit Joa. 16. 7: *expedit vobis, ut ego vadam,* idest ut recedam a vobis per ascensionem . . . Sane ascensio Christi est causa nostrae salutis dupliciter: uno modo ex parte nostra; alio modo ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra, in quantum per Christi ascensionem mens nostra movetur in ipsum; quia per ejus ascensionem, primo quidem datur locus fidei, secundo spei, tertio charitati, quarto etiam per hoc reverentia

nostra augetur ad ipsum, dum jam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum coelestem . . . Ex parte autem sua, quantum ad ea quae ipse fecit, ascendens propter nostram salutem, primo quidem viam nobis praeparavit ascendendi in coelum, secundum quod ipse dicit Joa. 14. 2: *vado parare vobis locum;* et Mich. 2. 13: *ascendit pandens iter ante eos.* Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra, quo caput praecessit. Unde dicitur Joa. 14. 3: *ut ubi ego sum, et vos sitis.* Et in hujus signum animas sanctorum, quas de inferno eduxerat, in coelum traduxit, secundum illud psal. 67. 17: *ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem.* (Eph. 4. 8.) Secundo, quia sicut Pontifex in Veteri Testamento intrabat sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo; ita et Christus *intravit coelum ad interpellandum pro nobis,* ut dicitur Hebr. 7. . . . Tertio, ut in coelorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, secundum illud Eph. 4. 10. *Ascendit super omnes coelos ut adimpleret omnia,* scilicet *donis suis,* secundum Glossam.

(Q. 58.) DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS.

(a. 1.) Dicitur Marci ult. 19: *Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, ascendit in coelum, et sedet a dextris Dei* . . . In nomine *autem* sessionis, possumus duo considerare: videlicet quietem . . . et etiam regiam, vel judiciariam potestatem, secundum illud Pro. 20. 8: *rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Utroque ergo modo Christo convenit sedere ad dexteram

Patris. Uno quidem modo, in quantum aeternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quae ejus dextera dicitur, secundum illud psal. 15. 10: *delectationes in dextera tua usque in finem*... alio modo dicitur Christus sedere in dextera Dei Patris, in quantum Patri conregnat, et ab eo habet judiciariam potestatem, sicut ille qui considet regi ad dexteram, assidet ei in regnando, et judicando.

(a. 4.) Christus dicitur sedere ad dexteram Patris in quantum secundum naturam divinam est in aequalitate Patris, secundum autem humanam naturam, in excellenti possessione divinorum honorum prae caeteris aliis creaturis. Utrumque autem soli Christo convenit. Unde nulli alii, nec angelo, nec homini, convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo.

(Q. 59.) DE JUDICIARIA POTESTATE CHRISTI.

(a. 1.) Dicitur Act. 10. 42. de Christo: *hic est, qui constitutus est a Deo judex vivorum, et mortuorum*... Quia filius est sapientia genita, et veritas a Patre procedens, et ipsum perfecte repraesentans, ideo proprie judiciaria potestas attribuitur filio Dei...
(a. 2.) Dicitur *autem* Joa. 5. 27: *potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*... Dictum est *enim* supra, q. 8. quod Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiae, et quod sub pedibus ejus, Deus omnia subjecit. Unde ad eum pertinet, etiam secundum naturam humanam, habere judiciariam potestatem.

(a. 3.) Judiciaria potestas homini Christo competit et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem, et propter plenitudinem gratiae habitualis; et tamen etiam ex merito eam obtinuit,

ut scilicet secundum Dei justitiam judex esset, qui pro Dei justitia pugnavit, et vicit, et injuste judicatus est. Unde ipse dicit Apoc. 3. 21: *ego vici, et sedi in throno Patris mei.* In throno autem, intelligitur judiciaria potestas secundum illud psal. 9. 5: *sedisti super thronum, qui judicas justitiam.*

(a. 4.) Ad id quod dicitur Joa. 5. 22: *Pater omne judicium dedit filio,* dicendum, quod si de Christo loquamur secundum divinam naturam, manifestum est quod omne judicium Patris pertinet ad Filium: sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita et omnia judicat Verbo suo. Si vero loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humanae subduntur ejus judicio. Et hoc manifestum est, primo quidem, si consideremus habitudinem animae Christi ad Verbum Dei: si enim *spiritualis judicat omnia,* ut dicitur I. ad Cor. 11. 15., in quantum mens ejus Verbo Dei inhaeret, multo magis anima Christi, quae est plena veritate Verbi Dei, super omnia judicium habet. Secundo apparet idem ex merito mortis ejus: quia ut dicitur Rom. 15. 9: *in hoc Christus mortuus est, et resurrexit, ut vivorum, et mortuorum dominetur* . . . Tertio, apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanae salutis. Cuicumque enim committitur principale, committitur et accessorium. Omnes autem res humanae, ordinantur in finem beatitudinis, quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur, vel a qua etiam repelluntur judicio Christi, ut patet Mat. 25. Et ideo manifestum est, quod ad judiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanae.

(a. 5.) Post judicium, quod agitur praesenti tempore, restat aliud judicium . . . . Licet *enim* per mortem, vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris, secundum quid

dependens. Uno quidem modo, secundum quod adhuc vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonae famae, vel malae. Alio modo in filiis, qui sunt quasi aliquid patris, secundum illud Eccle 39. 4: *mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se;* et tamen multorum bonorum sunt mali filii, et e contrario. Tertio modo, quantum ad effectum suorum operum, sicut ex deceptione Arrii, et aliorum seductorum pullulat infidelilitas usque ad finem mundi, et usque tunc proficit fides ex praedicatione Apostolorum. Quarto modo, quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulturae, quandoque vero relinquitur insepultum, et tandem incineratum omnino resolvitur. Quinto modo, quantum ad ea, in quibus homo suum affectum defixit; puta in quibuscumque temporalibus rebus, quarum quaedam citius finiuntur, quaedam diutius durant. Omnia autem haec, subduntur existimationi judicii divini, et ideo de his omnibus perfectum, et manifestum judicium haberi non potest, quamdiu hujus temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale judicium in novissimo die, in quo perfecte id, quod ad unumquemque hominem pertinet, quocumque modo, perfecte et manifeste judicetur.

(a. 6.) Apos. dicit I. Cor. 6. 3: *an nescitis, quoniam angelos judicabimus?* Sed sancti non judicabunt nisi auctoritate Christi. Ergo multo magis Christus habet judiciariam potestatem super angelos . . . Subsunt autem judicio Christi, uno quidem modo quantum ad dispensationem eorum, quae per ipsos aguntur: quae quidem dispensatio, fit etiam per hominem Christum, cui Angeli ministrabant, ut dicitur Matt. 4. et a quo daemones petebant, ut in porcos mitterentur, ut dicitur Matt. 8. Secundo,

quantum ad alia accidentalia praemia bonorum angelorum, quae sunt gaudia, quae habent de salute hominum, secundum illud Luc. 15. 10: *gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente:* et etiam quantum ad poenas accidentales daemonum, quibus torquentur vel hic, vel recluduntur in inferno: et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Unde Marc. 1. 24. dicitur quod daemon clamavit: *quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos.* Tertio, quantum ad praemium essentiale bonorum angelorum, quod est beatitudo aeterna; et quantum ad poenam essentialem angelorum malorum, quae est damnatio aeterna. Sed hoc factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei, a principio mundi.

DE SACRAMENTIS

(Q. 60.) DE SACRAMENTIS GENERATIM.

V. Append. c. II. §. 1.

Post considerationem eorum, quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis, quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent: et prima consideratio erit de sacramentis in communi; secunda de unoquoque sacramentorum in speciali.

(a. 1.) Aug. dicit in 10. de civ. Dei c. 5. *Sacrificium visibile, invisibilis sacrificii sacramentum, idest, sacrum signum, est* . . . (a. 2.) Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacrae ad homines pertinentis: ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est *signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines.*

(a. 3.) Sacramentum est et signum rememorativum ejus quod praecessit, scilicet Passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiae, et prognosticum, idest, praenuntiativum futurum gloriae.

(a. 4.) Cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia, et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in divina scriptura res spirituales nobis describuntur . . . (a. 5.) *Et* quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus

sanctificetur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud I. ad Cor. 6. 11: *abluti estis, sanctificati estis*, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

(a. 6.) Ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem: sed cum dicitur, *ego te baptizo*, manifestatur, quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem .... (a. 7.) *Et* cum in sacramentis requirantur determinatae res sensibiles, quae se habent in sacramentis sicut materia; multo magis requiritur in eis determinata forma verborum. *Quia vero*, sicut Aug. dicit sup. Joa. tract. 80. *verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur*, idest, non secundum exteriorem sonum vocis, *sed quia creditur*, idest, secundum sensum verborum, qui fide tenetur, et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eaedem voces sint, quantum ad sonum; ideo, cujuscumque linguae verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum.

Ille, qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia; et ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore vel lapsu linguae, si sit tanta curruptio, quae omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum, et hoc praecipue contingit quanto fit corruptio ex parte principii dictionis; puta, si loco ejus quod est *in nomine Patris*, dicat *in nomine Matris*. Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per hujusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum: et hoc praecipue contingit,

quando fit corruptio ex parte finis: puta, si aliquis dicat, *in nomine Patrias, et Filias:* quamvis enim hujusmodi verba corrupte prolata, nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia ex accomodatione usus: et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus.

(a. 8.) In formis sacramentorum quaedam apponuntur a quibusdam, quae ab aliis non apponuntur, sicut Latini baptizant sub hac forma: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Graeci autem sub ista: *baptizetur servus Christi N. in nomine Patris etc.:* et tamen utrique verum conferunt sacramentum. Ergo in formis sacramentorum licet aliquid addere, vel minuere. *Verum* circa omnes istas mutationes, quae possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda. Unum quidem ex parte ejus qui profert verba, cujus intentio requiritur ad sacramentum, ut infra dicetur Q. 64. a. 8.; et ideo si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem, alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum: quia non videtur quod intendat facere id, quod facit Ecclesia. Aliud tamen est considerandum ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis, quantum ad sensum quem faciunt, oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum, quia si sic, manifestum est, quod tollitur veritas sacramenti.

Manifestum est autem, quod si diminuatur aliquid eorum, quae sunt de substantia formae sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum; et ideo non perficitur sacramentum. Unde Didymus dicit in lib. 2. de Spiritu Sancto: *si quis ita baptizare conetur, ut unum de praedictis nominibus praetermittat,* (scilicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti)

sine perfectione baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formae, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens nec sacramenti perfectionem: sicut in forma Eucharistiae, quae est: *hoc est enim corpus meum;* ly *enim* sublatum, non tollit debitum sensum verborum: et ideo non impedit parfectionem sacramenti; quamvis possit contingere, quod ille qui praetermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus; puta, si aliquis dicat; *ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris,* sicut Arriani baptizabant: et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. Si vero sit talis additio, quae non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, vel in medio, vel in fine; ut si aliquis dicat: *ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus Sancti Paracleti;* erit verum baptisma: et similiter si quis dicat: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beata Virgo te adjuvet,* erit verum baptisma.

Forte autem si diceret: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatae Virginis Mariae,* non esset baptismus: quia dicitur I. ad Cor. 1. 93: *numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizatis estis?* Sed hoc verum est, si sic intelligatur in nomine Beatae Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis enim sensus, esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur, quod additur, *et in nomine Beatae Virginis,* non quasi nomen Beatae Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato, ad conser-

vandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti.

Pariter, si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, et per consequens veritas ejus; non autem tollitur, quando est parva interruptio, quae intentionem proferentis, et intellectum verborum non aufert. Et idem est etiam dicendum de transpositione verborum; quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum; sicut patet de negatione praeposita, vel postposita signo. Si autem sit talis transpositio, quae sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti: quia nomina, et verba transposita, idem significant.

(Q. 61.) DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

(a. 1.) Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem, *praesertim* ex conditione humanae naturae: cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia, in spiritualia et intelligibilia deducatur.

(a. 2.) Quia sacramenta sunt quaedam spirituales medicinae, quae adhibentur contra vulnera peccati; ergo non fuerunt necessaria ante peccatum . . . (a. 3.) *Et quia* nullus sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae . . . ut sit ipse justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi* Rom. 3. 20.: ideo oportebat ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa, dicuntur sacramenta. Et sic patet, quod ante Christi adventum, necesse fuit quaedam sacramenta institui... *Sic* Sacramenta legis Mosaicae magis assimi-

lantur rei significatae per sacramentum, scilicet Passioni Christi, ut patet de agno paschali, et aliis hujusmodi. (a. 4.) *Nunc autem, ut* Aug. dicit 19. con Faus. c 13, *sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta: et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

(Q. 62.) DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA.

(a. 1.) Necesse est dicere, sacramenta novae legis, per aliquem modum gratiam causare. Manfestum est enim, quod per sacramenta novae legis, homo Christo incorporatur; sicut de baptismo dicit Apos. Gal. 3, 17: *quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quod non sunt causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur . . . Secundum hoc igitur sacramenta novae legis nihil plus essent, quam signa gratiae; cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novae legis, non solum significant, sed causant gratiam. Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis, et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus; sicut ignis suo calore calefacit: et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi Deus; quia gratia nihil est aliud, quam quaedam participata similitudo divinae naturae, secundum illud II. Petr. 1. 4: *magna nobis, et pretiosa promissa donavit, ut divinae simus consortes naturae.* Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non as-

similatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta novae legis gratiam causant: adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. Unde Aug. dicit 14. contra Faust. c. 16: *haec omnia,* scilicet sacramentalia, *fiunt, et transeunt; virtus tamen,* scilicet Dei, *quae per ista operatur, jugiter manet.* Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur: unde et Tit. 3. 5. dicitur: *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

(a. 2.) Sicut virtutes et dona, addunt super gratiam communiter dictam, quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum; ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum, et donorum.

(a. 5.) Manifestum est, quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex Passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum: in cujus signum de latere Christi pendentis in cruce, fluxerunt aqua, et sanguis; quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta.

(a. 6.) *Quia* sacramenta veteris legis, erant quaedam fidei protestationes, in quantum significabant Passionem Christi, et effectus ejus; sic ergo patet, quod sacramenta veteris legis, non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem; sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.

(Q. 63.) DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER.

(a. 1.) Apos. dicit II. ad Cor. 1. 21: *qui unxit nos, Deus est: et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Sed nihil aliud importat character, quam quamdam signationem. Ergo videtur, quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat . . . *Et sane* quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari; sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo, cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur . . . (a. 2.) Character *autem* importat quamdam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea, quae sunt divini cultus. Sciendum tamen, quod haec spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de virtute, quae est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem, competit ministris Dei: minister autem, habet se per modum instrumenti.

(a. 3.) Character sacramentalis specialiter est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatae.

(a. 6.) Per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum ejus; non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum, quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi: quod quidem exigitur ad hoc, quod sacramen-

tum characterem imprimat . . . Ad agentes *autem* in sacramentis, pertinet sacramentum ordinis: quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Ad recipientes, pertinet sacramentum baptismi: quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta: unde baptismus dicitur esse janua omnium sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio, ut infra suo loco dicetur, q. 72. a. 5. Et ideo per haec tria sacramenta character imprimitur, scilicet per baptismum, confirmationem, et ordinem . . . *Quae* sacramenta non reiterantur, eo quod character est indelebilis. *Alia* autem, iterantur.

(Q. 64.) DE CAUSA SACRAMENTORUM.

(a. 1.) Dicitur Rom. 8. 33: *Deus est qui justificat.* Cum ergo interior effectus omnium sacramentorum sit justificatio, videtur, quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramentorum . . . *attamen* et homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, in quantum operatur per modum ministri.

(a. 2.) Cum virtus sacramenti sit a solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit sacramentorum institutor. *Si dicas, quod* quaedam aguntur in sacramentis, de quibus nulla fit mentio in S. Scriptura; puta de chrismate, quo homines confirmantur, et de oleo, quo sacerdotes inunguntur, et de multis aliis tam verbis, quam factis, quibus utimur in sacramentis; non ergo sacramenta sunt solum ex institutione divina: respondeo dicendum, quod illa, quae aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent

ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur sacramentis, ad excitandam devotionem, et reverentiam in his, qui sacramenta suscipiunt; ea vero, quae sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, et homo: et licet non sint omnia tradita in scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione, sicut Ap. dicit I. Cor. 11., 34: *caetera autem cum venero, disponam.*

Quod si urgeas: Apostoli vicem Dei gesserunt in terris . . . ergo videtur, quod Apostoli et eorum successores, possint nova sacramenta instituere, . . . dicendum, quod Apostoli et eorum successores, sunt vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem, et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta; sed per sacramenta quae de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.

(a. 3.) Interiorem sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo; aliter tamen, et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter . . . in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus. Sed tamen quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona . . . in quantum homo habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae, *immo* ipse dedit virtutem sacramentis, *et ista* potuit instituere, *et* potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre. (a. 4.) Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem, ut

eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectum, ut ad invocationem nominum ipsorum, sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum, effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo . . . *At* Christus praetermisit potestatem excellentiae Ecclesiae ministris communicare, propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos, qui dicebant: *ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae,* ut dicitur I. ad Cor. 1. 12.

(a. 5.) Ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali . . . . Christus *nempe* operatur in sacramentis; et per bonos, tamquam per membra viventia, et per malos, tamquam per instrumenta carentia vita . . . (a. 6.) Non *autem* est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

Quia vero ille, qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesiae, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiae; ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato ejus: sed communicat Ecclesiae, quae eum tamquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur, puta cum degra-

datur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

Quod si dicatur: nullus videtur esse perplexus: quia sic homo cogeretur desperare, quasi non potens peccatum evadere; sed si mali peccarent, sacramenta tradendo, essent perplexi: quia etiam quandoque peccarent, si sacramenta non traderent: puta, cum eis ex officio incumbit necessitas . . . quandoque etiam propter periculum; sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus; ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando: respondeo quod ille, qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare: quia potest poenitere de peccato, et licite ministrare. Non est autem inconveniens, quod sit perplexus, supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare: sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis sicut baptismus: ut infra patebit q. 67. a. 3.

(a. 7.) *Quia* tota virtus sacramentorum, a Passione Christi derivatur, quae est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli, sed potius secundum Passionem dicitur *modico ab angelis minoratus*, ut patet Hebr. 2; ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem ad angelos. Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiae

ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate divina; sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. Si vero Daemones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

(a. 8.) Intentio ministri requiritur ad perfectionem sacramenti . . . Ea *siquidem*, quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari, et ad munditiam corporis, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi: et ideo oportet, quod determinetur ad unum, idest, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: et haec intentio exprimitur per verba, quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: *ego te baptizo in nomine Patris* etc.

Dices: actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti. Praeterea, non posset homini qui ad sacramentum accedit, esse notum, quod sacramentum suscepisset; et ita non posset habere certitudinem salutis, praecipue cum quaedam sacramenta sint de necessitate salutis, ut infra dicetur q. 65. Praeterea, intentio hominis non potest esse ad id, circa quod non est attentus. Sed aliquando illi, qui in sacramentis ministrant, non attendunt ad ea, quae dicunt, vel faciunt, alia cogitantes. Ergo secundum hoc, non perficeretur sacramentum, propter intentionis defectum.

Ad primum dicendum, quod . . . instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur,

sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum: et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti; ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, et Ecclesia.

Ad secundum ... quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est minister; in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quae sufficit ad perfectionem sacramenti; puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: unde, si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis, perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

(a. 9.) Sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in charitate, sed etiam possunt peccatores sacramenta conferre, ut supra dictum est, ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides ejus; sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo caetera adsint, quae sunt de necessitate sacramenti . . . Non obstante *enim* infidelitate, potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum: quia sicut supra dictum est, minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cujus fide suppletur id, quod deest fidei ministri.

Dices, si minister Ecclesiae veram fidem non habeat, videtur esse haereticus. Sed haeretici ut

videtur, non possunt sacramenta conferre: dicit enim Cyprianus in epis. con. haeret. 12. lib. 1: *omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia sunt, et inania, et falsa, ita ut nihil eorum quae illi gesserint, a nobis probari debeat.*

Dicendum, quod haereticorum quidam in collatione sacramentorum, formam Ecclesiae non servant; et tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti: quidam vero servant Ecclesiae formam; et tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab Ecclesia praecisi: quia ex hoc ipso, quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat; et per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur. Unde Aug. (Fulgentius) dicit in lib. de fide ad Petrum c. 36: *firmissime tene, et nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem.* Et per hunc modum dicit Leo Papa: *in sede Alexandrina, omne sacramentorum lumen esse extinctum,* in epis. ad Leonem Augustum 165. c. 5. scilicet quantum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum. Cyprianus autem, nullo modo sacramentum conferre haereticos posse, credebat; sed in hoc, ejus sententia non tenetur. Unde Aug. dicit lib. de unico Baptismo con Petil. c. 13: *Martyrem Cyprianum, quia apud haereticos, vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, tanta merita usque ad triumphum martyrii sequuta sunt; ut charitatis, qua excellebat, luce obumbratio illa fugaretur, et si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.*

(a. 10.) Intentio Ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius sacramenti: puta, cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere: et talis perversitas tollit

veritatem sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo, potest perverti intentio ministri quantnm ad id, quod sequitur sacramentum; puta, si sacerdos intendat aliquam foeminam baptizare, ut abutatur ea; vel si intendat conficere corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur; quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas, veritatem sacramenti non tollit; sed ipse minister ex tali intentione graviter peccat.

(Q. 65.) DE NUMERO SACRAMENTORUM.

(a. 1.) Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his, quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianae vitae, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis, conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem . . . Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem, per generationem, per quam homo incipit esse, et vivere; et loco hujus, in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit. 3. 5: *per lavacrum regenerationis* etc. Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, et virtutem: et loco hujus, in spirituali vita est confirmatio . . . Tertio, per nutritionem, qua conservatur in homine vita, et virtus: et loco hujus, in vita spirituali est eucharistia . . . Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem, et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate: quae quidem est duplex. Una quidem est sanatio, quae sanita-

tem restituit: et loco hujus, in spirituali vita est poenitentia, secundum illud Psal. 40. 5: *sana animam meam, quia peccavi tibi.* Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam, et exercitium: et loco hujus, in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Unde dicitur Jac. 5. 15: *et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos; et loco hujus, in spirituali vita est sacramentum ordinis, secundum illud Hebr. 7. quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo, quantum ad naturalem propagationem: quod fit per matrimonium, tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium. Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis; confirmatio, contra infirmitatem animi, quae in nuper natis invenitur; eucharistia, contra labilitatem animi ad peccandum; poenitentia, contra actuale peccatum post baptismum commissum; extrema unctio, contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia, aut ex ignorantia; ordo, contra dissolutionem multitudinis; matrimonium, in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.... Aqua vero benedicta, et aliae consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiae consecutio; sed sunt dispositiones quaedam ad sacramenta, vel removendo

prohibens: sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum, et contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad sacramenti perfectionem, et perceptionem, sicut consecratur altare, et vasa, propter reverentiam eucharistiae.

(a. 3.) Simpliciter loquendo, sacramentum eucharistiae, est potissimum inter alia sacramenta.

(a. 4) Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis, . . . dicendum, quod necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitae humanae; et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur fiinis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter: hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis, sunt tria sacramenta necessaria: duo quidem personae singulari: baptismus quidem simpliciter et absolute, poenitentia autem, supposito peccato mortali post baptismum; sacramentum autem ordinis, est necessarium Ecclesiae: quia *ubi non est gubernator, populus corruet*, ut dicitur Prov. 11. 14. Sed secundo modo, sunt necessaria alia sacramenta. Nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctio poenitentiam; matrimonium vero, Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat.

(Q. 66.) DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM BAPTISMI.

V. Append. C. II. §. 2.

Deinde considerandum est de singulis sacramentis in speciali. Primo, de baptismo; secundo, de confirmatione; tertio, de eucharistia; quarto, de poenitentia; quinto, de extrema unctione; sexto, de ordine; septimo, de matrimonio.

Circa primum occurrit duplex consideratio. Prima, de ipso baptismo. Secunda, de praeparatoriis ad baptismum.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo, de his quae pertinent ad sacramentum baptismi; secundo, de ministro hujus sacramenti; tertio, de recipientibus hoc sacramentum; quarto de effectu hujus sacramenti.

(a. 1.) *Hoc* sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquae ad hominem; quae est ablutio.

(a. 2.) Virtutem *conferendi gratiam* accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum. Sed necessitas utendi hoc sacramento, indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem: tum quia in Passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novae legis: tum etiam, quia per baptismum configuratur homo Passioni, et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, et incipit novam justitiae vitam . . . *ideo Christus*, post Passionem et resurrectionem, non solum Judaeis, sed etiam Gentilibus, sub praecepto necessitatem baptismi imposuit, dicens Mat. ult. 10:

euntes docete omnes gentes etc. . . . quod *autem* Dominus ante Passionem, Nicodemo dixit Joa. 3. 5: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* magis videtur ad futurum respicere, quam ad praesens tempus.

(a. 3.) Aqua est propria materia baptismi . . . (a. 4.) *et quidem* simplex, *nempe* in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquae, potest fieri baptismus: si vero solvatur species aquae, non potest fieri baptismus . . . *Sic* admixtio chrismatis, non solvit speciem aquae; sicut neque etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum hujusmodi, nisi forte sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua; quod ex spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut et in aqua, quae exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit . . . in lixivio, et in aquis sulphureorum balneorum, potest fieri baptismus . . . *quia autem,* aqua rosacea est liquor rosae resolutus, unde in ea non potest fieri baptismus, et eadem ratione nec in aquis alchimicis, sicut nec in vino.

(a. 5.) Forma baptismi est: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti . . . Juxta* quod Dominus dicit Mat. ult. 19: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine etc. . . . Sane* oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem ejus duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quaa est Sancta Trinitas: alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet, in forma baptismi, de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur *ego te baptizo;* causa autem principalis, cum dici-

tur; *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti....* Si necessitas exigit, plures simul baptizari . . . tunc oportebit dicere: *ego baptizo vos,* nec erit mutatio formae, quia *vos* nihil aliud est, quam *te, et te;* *si* autem dicatur, *nos baptizamus,* non est idem dicere, quod *ego, et ego,* sed *ego, et tu;* et sic jam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, si diceretur, *ego baptizo me.* Et ideo nullus potest baptizare seipsum. Propter quod et Christus a Joanne voluit baptizari . . . Graeci autem non attribuunt actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes, I. Cor. 1. 12: *ego sum Pauli, et ego Cephae:* et ideo dicunt: *baptizetur servus Christi,* talis, *in nomine Patris* etc. et quia exprimitur actus exercitus per ministrum, cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum. Quod autem additur, *ego* in forma nostra, non est de substantia formae, sed ponitur ad majorem expressionem intentionis.

(a. 6.) *Quia* Christus instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis, ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat quod in nomine unius personae intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille, qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus. Quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis: unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur.

Nec pariter obstat, quod Nicolaus I. Papa ad consulta Bulgarorum respondens dicit c. 104: *qui in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Act. Apos legitur, baptizati sunt,*

(unum quippe idemque est, ut S. ait Ambrosius) rebaptizari non debent . . . Ergo potest conferri baptismus in nomine Christi, sub hac forma: *ego te baptizo in nomine Christi* . . . *Resp.* dicendum, quod ex speciali Christi revelatione, Apostoli, in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant; ut nomen Christi, quod erat odiosum Judaeis, et Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo . . . Ambrosius *autem*, assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia; quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur ad minus integritate intelligibili forma, quam Christus tradidit in Evangelio.

(a. 7.) Quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezec. 26. 15: *effundam super vos aquam mundam:* sicut B Laurentius legitur baptizasse: et hoc praecipue propter necessitatem, vel quia est magna multitudo baptizandorum, ut patet Act. 2. 4. ubi dicitur, quod crediderunt una die tria millia, et alia die quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquae, vel propter debilitatem ministri, qui non potest substentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione.

(a. 8.) Ex auctoritate Gregorii lib. 1. ep. 41. patet, quantum est de se, utrumque licite fieri posse, scilicet et semel, et ter immergere: quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, et unitas deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturae Christi, et etiam Trinitas personarum. Sed diversis ex causis secun-

dum ordinationem Ecclesiae, quandoque institutus est unus modus, quandoque alius. Quia enim a principio nascentis Ecclesiae, quidam de Trinitate male sentiebant, Christum purum hominem esse aestimantes, nec dici Filium Dei, et Deum nisi propter meritum ejus, quod praecipue fuit in morte; ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, et una immersione: quod reprobatum fuit in primitiva Ecclesia. Can. Apost. 49 . . . Postmodum vero inolevit quorumdam schismaticorum, et haereticorum error homines rebaptizantium; sicut de Donastistis Aug. narrat. sup. Joa. tract. 11., lib. de haeresibus, haeresi 69. Et ideo in detestationem erroris eorum, fuit statutum in Concilio Toletano 4 can 6, quod fieret una sola immersio . . . sed cessante tali causa, communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo, graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiae non observans, nihilominus tamen esset baptismus.

(a. 9.) Dicitur Eph. 4. 5: *una fides, unum baptisma, et sic* baptismus iterari non potest. Primo quidem, quia baptismus est quaedam spiritualis regeneratio . . . unius autem non est nisi una generatio . . . Secundo, quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitate vitae; Christus autem semel tantum mortuus est . . . Tertio, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur . . . Quarto, quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum; et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur.

(a. 10.) In sacramento baptismi aliquid agitur, quod est de necessitate sacramenti, et aliquid est, quod ad quamdam solemnitatem sacramenti perti-

net. De necessitate quidem sacramenti est forma, quae designat principalem causam sacramenti; et minister, qui est causa instrumentalis; et usus materiae, scilicet ablutio in aqua, quae designat principalem sacramenti effectum. Caetera vero omnia, quae in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quamdam solemnitatem sacramenti.

(a. 11.) Tria sunt baptismata, scilicet aquae, sanguinis, et Flaminis, sive Spiritus Sancti... *Sane*, praeter baptismum aquae, potest aliquis consequi sacramenti effectum, ex Passione Christi; in quantum quis ei conformatur, pro Christo patiendo. Unde dicitur Apoc. 7. 14: *hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni*. Eadem etiam ratione, aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aquae, sed etiam sine baptismo sanguinis; in quantum scilicet, alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, et diligendum Deum, et poenitendum de peccatis: unde etiam dicitur baptismus poenitentiae. Et de hoc dicitur Isa. 4. 4: *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris* . . . Alia duo baptismata, conveniunt cum baptismo aquae, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis: et ideo non sunt sacramenta.

(a. 12.) Baptismus sanguinis, est potissimus inter alia baptismata, . . . nam Passio Christi operatur quidem in baptismo aquae, per quamdam figuralem rapraesentationem; in baptismo autem Flaminis, vel poenitentiae, per quamdam affectionem; sed in baptismo sanguinis, per imitationem operis: similiter etiam, virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquae per quamdam virtutem latentem;

in baptismo autem poenitentiae, per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis, per potissimum dilectionis, et affectionis fervorem.

(Q. 67.) DE MINISTRIS, PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM.

(a. 1.) Ad Diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere sacramentum baptismi; sed in collatione hujus sacramenti, et aliorum, assistere et ministrare majoribus . . . (a. 2.) *Constat vero, baptisma solis sacerdotibus esse traditum,* ut Isidorus dicit il lib. 1. de offic. c. 24. Per baptisma *enim,* aliquis fit particeps ecclesiasticae unitatis unde et accipit jus, ad mensam Domini accedendi. Et ideo, sicut ad sacerdotem pertinet consecrare eucharistiam, (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium sacerdotis, pertinet baptizare; ejusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere.

(a. 3.) Minister baptismi etiam est quicumque, non ordinatus, ne propter defectum baptismi, homo salutis suae dispendium patiatur . . . baptizare *enim,* pertinet ad ordinem sacerdotalem secundum quamdam convenientiam, et solemnitatem; non autem hoc est de necessitate sacramenti, unde etiamsi extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen sacramentum baptismi confert; nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus: *sed quia* sacramentalia baptismi pertinent ad solemnitatem, non autem ad necessitatem baptismi, ideo fieri non debent, nec possunt, a laico, sed solum a sacerdote, cujus est solemniter baptizare . . . (a. 4.) Sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi, ita etiam et faemina. Quia tamen

caput mulieris est vir, et caput viri est Christus, ut dicitur I. Cor. 11, non debet mulier baptizare, si adsit copia viri; sicut nec laicus, praesente clerico, nec clericus, praesente sacerdote, qui tamen potest baptizare praesente Episcopo, eo quod, hoc pertinet ad officium sacerdotis.

(a. 5.) Utrum non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre... Hanc quaestionem Augustinus indeterminatam reliquit, contra epist. Parmen. c. 13; . . . Postmodum vero, per Ecclesiam determinatum est, quod non baptizati, sive sint Judaei, sive Pagani, possunt sacramentum baptismi, *in articulo necessitatis* conferre, dummodo in forma Ecclesiae baptizent, ut Nicolaus I. Papa, respondet ad consulta Bulgarorum c. 104.

(a. 6.) Si plures simul unum baptizarent, . . . et uterque diceret, *ego te baptizo etc.* . . . ille, qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum, alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret; et si verba pronuntiare praesumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi: quia uterque intenderet, non baptizatum baptizare, et uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud, et aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum, per utrumque, conferret.

(a. 7.) *Sicut* in generatione carnali, parvulus nuper natus indiget nutrice, et paedagogo; *ita,* et in spirituali generatione baptismi, . . . requiritur, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem, et tutelam . . . (a. 8.) Et ideo obligatur ad habendum curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore, et loco, in

quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo, sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere . . . Qui non est baptizatus, non potest suscipere baptizatum, ut est declaratum in Concilio Moguntino.

(Q. 68.) DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

(a. 1.) Omnes ad baptismum tenentur, et sine eo, non potest esse salus hominibus . . . (a. 2.) *Saltem* voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam *baptismum* suscipiat: et talis, sine baptismo *actuali*, salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia, sacramentis visibilibus non alligatur.

(a. 3.) Si pueri sint baptizandi, non est differendum baptisma: primo quidem, quia non expectatur in eis major instructio, aut etiam plena conversio; secundo, propter periculum mortis; quia non potest eis alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi. Adultis vero, subveniri potest per solum baptismi desiderium; et ideo adultis, non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre, usque ad aliquod certum tempus. Primo quidem, propter cautelam Ecclesiae, ne decipiatur, sacramentum ficte accedentibus conferens . . . . Secundo, hoc est necessarium ad utilitatem eorum, qui bapti-

zantur: quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc, quod plene instruantur de fide, et exercitentur in his, quae pertinent ad vitam christianam. Tertio, hoc est necessarium ad quamdam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet Paschae et Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur; et ita, devotius sacramentum suscipiunt Haec tamen dilatio, est praetermittenda duplici ratione. Primo quidem, quando illi, qui sunt baptizandi, apparent perfecte instructi in fide, et ad baptismum idonei; sicut Philippus, statim baptizavit Eunuchum, ut habetur Act. 8. et Petrus Cornelium, et eos, qui cum eo erant, ut habetur Act. 10. Secundo, propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis.

(a. 4) Peccatores *obstinati*, non sunt baptizandi . . . (a. 5.) Ei *autem*, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio injungenda, hoc enim, esset injuriam facere Passioni et Morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens, ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum... (a. 7.) *Neque* confessio peccatorum exterius, quae fit sacerdoti, requiritur ante baptismum . . . Sed sufficit generalis, quam faciunt, cum, secundum ritum Ecclesiae, abrenuntiant Satanae, et omnibus pompis ejus.

(a. 7.) Ex parte baptizati, requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum . . . (a. 8.) *Non autem* recta fides ex necessitate requiritur, ad susceptionem baptismi, *seu characterem, sed tantum ut* gratia haberi possit, quae est ultimus effectus sacramenti.

(a. 9.) Necessarium fuit pueros baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo... *Nec dicatur, quod* intentionem non possunt pueri

habere; . . . nec fidem, . . . nec etiam potest dici, quod salventur in fide parentum, quandoque parentes sunt infideles . . . *Nam,* sicut pueri in maternis uteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam, pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiae, salutem suscipiunt. . . . fides autem unius, immo totius Ecclesiae, parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui unit Ecclesiam, et bona unius, alteri communicat.

(a. 10.) *Quoad* pueros infidelium filios, aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent; jam quantum ad ea, quae sunt juris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse: et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut, et matrimonium contrahere. Et ideo tales moneri possunt, et induci ad suscipiendum baptismum. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Unde etiam de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur; sicut etiam, si aliquis habens usum rationis, baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum, taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium, invitis parentibus, baptizentur.

(a. 11.) Quia corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua . . . ita relinquitur, quod nullo modo infantes in maternis uteris existentes, baptizari possunt . . . Expectanda *igitur* est, totalis egressio pueri ex utero, ad

baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quaecumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen, in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: *si non es baptizatus, ego te baptizo.*

(a. 12.) Circa amentes, et furiosos, est distinguendum. Quidam enim sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet: et de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem judicium, quod de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiae, ut supra dictum est a. 9. Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt: et tales sunt judicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanae mentis existerent. Et ideo, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia et amentia constitutis, etiamsi tunc, actu contradicant: alioquin, si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanae mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt, qui etsi a nativitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt, etiam in amentia constituti; et debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin, melius est ut tempus expectetur, in quo sint sanae mentis, ad hoc, quod devotius suscipiant sacramentum. Si autem, tempore lucidi intervalli, non

appareat in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui etsi non omnino sanae mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare, et intelligere sacramenti virtutem: et de talibus, idem est judicium, sicut de his, qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.

(Q. 69.) DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

(a. 1.) Per baptismum tolluntur omnia peccata . . . (a. 2.) Et ille, qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.

(a. 3.) Baptismus habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae; non tamen eas aufert in praesenti vita, sed ejus virtute auferentur a justis in resurrectione, quando *mortale hoc, induet immortalitatem*, ut dicitur I. Cor. 15. 54.

(a. 4.) In baptismo datur gratia Spiritus Sancti, et copia virtutum . . . (a. 5.) Et baptizati illuminantur a Christo circa cognitionem veritatis, et foecundantur ab eo foecunditate bonorum operum, per gratiae infusionem.

(a. 6.) *Quidam*, nescientes distinguere inter habitum, et actum, videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi, non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitum virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

(a. 7.) Effectus baptismi, est apertio januae regni coelestis . . . (a. 8.) Quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum, (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur), omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequalitar se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus, de gratia novitatis accipiunt.

(a. 9.) Fictio impedit effectum baptismi . . . . secundum *autem* Augustinum, lib. 5. de Baptis. c. 12. et Lib. 7. c. 53. quatuor modis dicitur aliquis fictus: uno modo ille, qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentum: alio modo per hoc, quod contemnit ipsum sacramentum; tertio modo per hoc, quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesiae; quarto modo per hoc, quod aliquis indevote accedit... (a. 10.) *Ut autem* Augustinus dicit ibid. lib. 1. c. 12: *tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio, veraci confessione recesserit, quae, corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri* . . . *Sane*, quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia, remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod remota ea per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum . . . Si *quis vero* ficte accedat ad baptismum, et post baptismum multa peccata committat, quia effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed praesentia, vel praeterita: ideo recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per poenitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata praecedentia baptismum.

(Q. 70.) DE CIRCUMCISIONE, QUAE PRAECESSIT BAPTISMUM.

Deinde considerandum est, de praeparatoriis ad baptismum: et primo, de praeparatorio, quod praecessit baptismum, idest de circumcisione; secundo, de preparatoriis, quae concurrunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo, et exorcismo.

(a. 1.) Circumcisio, erat quaedam protestatio fidei: unde dicitur Rom. 4. 2. quod *Abraham accepit circumcisionem, tamquam signaculum fidei:* unde et per circumcisionem, antiqui aggregabantur collegio fidelium. Unde manifestum est, quod circumcisio fuit praeparatoria ad baptismum, et praefigurativa ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuri contingebant, ut dicitur I. Cor. *10.*, sicut et fides eorum, erat de futuro.

(a. 2.) Inter antiquos patres, primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei Gen. 22. 18: *in semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, secundum mandatum Dei dicentis sibi Gen. 12. 1: *egredere de terra tua, et de cognatione tua.* Et ideo convenienter circumcisio fuit constituta in Abraham . . . *Notandum etiam, quod* circa tempus Abrahae diminuta erat fides, plurimis ad idolatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis, per augmentum carnalis concupiscentiae, usque ad peccatum contra naturam. Et ideo convenienter tunc, et non ante, fuit instituta circumcisio ad profitendum fidem, et ad minuendum carnalem concupiscentiam.

(a. 4.) Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur.

Quidam tamen dixerunt, quod non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum, quod Magister ponit in, prima distinctione, IV. Sent. Sed hoc, non potest esse: quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3. 24: *justificati gratis, per gratiam* etc. . . . *Sed* quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute Passionis Christi, non autem circumcisio, (*quae conferebat gratiam, solum ex virtute fidei Passionis Christi*); ideo baptismus imprimit characterem, incorporantem hominem Christo, et copiosiorem gratiam confert, quam circumcisio: major enim est effectus rei jam praesentis, quam spei.

Sicut ante institutionem circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos; ita etiam circumcisione data. Sed antea, non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei, quia nondum homines fideles, seorsum ab infidelibus coeperant adunari ad cultum unius Dei. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei); sicut adulti, pro seipsis preces et sacrificia offerebant.

Populus *autem* in deserto praetermittens mandatum circumcisionis, Josue 5. 5. excusabatur, tum quia nesciebant, quando castra movenda erant, tum quia ut Damascenus dicit lib. 4. ortho. Fidei c. 26. non necesse erat, eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab aliis populis habitabant; et tamen ut Augustinus dicit in Josue q. 6. inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu praetermittebant. Videtur tamen, quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto: quia ut in psalm. 104. dicitur: *non erat in tribubus eorum infirmus*; sed

illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Egypto circumcisi. Si tamen, aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his, uti de his, qui moriebantur ante circumcisionis institutionem: quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octavum diem, tempore legis *ad circumcisionem determinatum.*

(Q. 71.) DE PRAEPARATORIIS, QUAE SIMUL CONCURRUNT CUM BAPTISMO.

(a. 1.) *Quia* ad hoc, quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruatur, secundum illud Rom. 10. 14: *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* Ideo, ante baptismum convenienter praecessit catechismus. Unde et Dominus praeceptum baptizandi discipulis tradens, praemittit doctrinam baptismo dicens Mat. ult. 19: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. . . . Sicut *autem* mater Ecclesia, accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, et aliorum cor, ut credant; ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, et intellectum, ut per alios instruantur; et ideo, eadem ratione sunt catechizandi, qua sunt baptizandi.

(a. 2.) Convenienter ante baptismum expelluntur daemones per exorcismos, ne salutem hominis impediant: quam quidem expulsionem, significat exsufflatio. Benedictio autem, cum manus impositione, praecludit expulso viam, ne redire possit. Sal autem in os missum, et narium, et aurium, sputo linitio, significat receptionem doctrinae fidei, quantum ad aures, et approbationem, quantum ad nares, et con-

fessionem, quantum ad os. Olei vero inunctio, significat aptitudinem hominis, ad pugnandum contra daemones.

(Q. 72.) DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

V. Append. C. II. §. 3.

Consequenter considerandum est, de sacramento confirmationis . . . (a. 1.) *Quia* Sacramenta novae legis, ordinantur ad speciales gratiae effectus, ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiae, ibi ordinatur speciale sacramentum . . . *Porro* vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem, homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem, spiritualis vitae... ideo manifestum est, quod confirmatio est speciale sacramentum.

Circa *autem* institutionem hujus sacramenti, est duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod hoc sacramentum non fuit institutum nec a Christo nec ab Apostolis, sed postea processu temporis, in quodam concilio. Alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse: quia instituere novum sacramentum, pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo. Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joa. 10. 7: *si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem, et ascensionem, secundum illud Joa. 7. 39: *nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

(a. 2.) Chrisma est conveniens materia hujus sacramenti. Sicut enim dictum est articulo praecedenti in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, ad robur speciale, quod competit perfectae aetati. Homo autem, cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit jam communicare actiones suas ad alios; antea vero, quasi singulariter sibi ipsi vivit; gratia vero Spiritus Sancti, in oleo designatur: unde Christus dicitur esse unctus *oleo laetitiae* Psal. 44. propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit. Et ideo, oleum competit materiae hujus sacramenti. Admiscetur autem balsamum, propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios: unde Apostolus dicit II. Cor. 2. 15: *Christi bonus odor sumus Deo* etc. et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum propter hoc, quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incorruptionem praestat.

Oleum solum olivarum assumitur, in usum hujus, et quorumdam aliorum sacramentorum . . . Proprietates *enim* olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo: unde et ipsa oliva semper frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritus Sancti significat.

Quia ad impositionem manuum Apostolorum, et etiam ad eorum praedicationem, descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles, sub visibilibus signis, sicut a principio descenderat super Apostolos, *ut* Petrus dicit Act. 11. 15: *cum coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio;* ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculorum exibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur.

(a. 3.) Ad hoc sacramentum requiritur chrisma, per Episcopum consecratum. Tota *namque* sacramentorum sanctificatio, a Christo derivatur, ut supra dictum est q. 64. a. 3. Est autem considerandum, quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream, Christus est usus, scilicet baptismo et etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi, materiae horum sacramentorum aptitudinem accepe-runt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysost. dicit, quod *numquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatae fuissent.* Et similiter, ipse Dominus accipiens panem benedixit; similiter autem et calicem, ut habetur Mat. 26. et Luc. 22. Et propter hoc, non est de necessitate horum sacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem. Unctionibus autem visibilibus, Christus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est *unctus, prae consortibus suis* psal. 44. Et ideo, tam chrisma, quam oleum sanctum infirmorum, prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum sacramenti.

(a. 4) Forma hujus sacramenti est: *consigno te, signo crucis, et confirmo te, chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti . . . Quod si dicas,* neque Christus hanc formam instituit, nec Apostoli ea usi leguntur, *respondeo,* quod sicut supra dictum est a. 2. per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus Sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre; et tunc non erat necessaria nec materia, nec forma huius sacramenti. Quandoque autem, tamquam ministri sacramentorum, hoc sacramentum praebebant:

et tunc, sicut materia, ita et forma, ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione, quae in scripturis communiter propositis non sunt tradita, *ut* Dionysius dicit, in fine Ecclesias. Hierarch.

(a. 5.) Sacramentum confirmationis imprimit characterem . . . *Nam* per Sacramentum confirmationis, datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo, accipit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet, secundum seipsum vivit; sed in confirmatione, accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in coenaculo, perseverantes in oratione; postmodum vero egressi, non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianae. Et ideo manifestum est, quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

(a. 6.) Character *autem* iste, praesupponit characterem baptismi . . . (a. 7.) Et per sacramentum confirmationis confertur gratia gratum faciens.

(a. 8.) Hoc sacramentum est omnibus exhibendum . . . anima *enim*, ad quam pertinet et spiritualis nativitas, et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est; et potest, sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis, vel pueritiae, consequi perfectam aetatem: quia hujusmodi corporales aetates, animae non praejudicant . . . et inde est, quod multi in puerili aetate propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.

Etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum

illud Eph. 4. 13: *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Et ideo Hugo de S. Victore dicit, lib. 2. de sacra. par. 7. c. 3: *omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret:* non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam.

(a. 9.) Hoc sacramentum est conferendum homini in fronte . . . ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam, nomen Christi confiteri praetermittat . . . (a. 10.) Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis aetatis, sicut dictum est, ideo ille, qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis, et puer.

(a. 11.) Collatio hujus sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut et in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Act. 8.

(a. 12.) Eadem tempora sunt praefixa baptismo solemniter celebrando, et huic sacramento. Sed quia hoc sacramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper praesentes, ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri . . . Statutum fuit in Concilio Aurelianensi, *ut jejuni ad confirmationem veniant:* et in Concilio Meldensi, ut *Episcopi nonnisi jejuni, per*

impositionem manuum, Spiritum Sanctum tradant . . . sed ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, et morte periclitantes, sicut in statuto Meldensis Concilii legitur. Et ideo propter multitudinem fidelium, et propter pericula imminentia, sustinetur, ut hoc sacramentum, quod nonnisi ab Episcopis dari potest, etiam a non jejunis detur, vel accipiatur: quia unus Episcopus, praecipue in magna dioecesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut a jejunis detur, et accipiatur . . . Sicut ex Concilio Martini Papae habetur, omni tempore licebat chrisma conficere; sed quia solemnis baptismus, ad quem requiritur usus chrismatis, in vigilia Paschae celebratur, congrue ordinatum est, ut per biduum ante ab Episcopo chrisma benedicatur, ut possit per dioecesim destinari. Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiae sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut supra dictum est q. 65. a. 5.

(Q. 73.) DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE SECUNDUM SE.

V. Append. C. II. §. 5.

Consequenter considerandum est de sacramento Eucharistiae; et primo, de ipso sacramento, secundo, de materia; tertio, de forma; quarto, de effectibus; quinto, de recipientibus hoc sacramentum; sexto, de ministro; septimo, de ritu.

(a. 1.) Sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio, et confirmationem, quae est spirituale augmentum; ita oportuit esse sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum.

(a. 2.) Ad integritatem *autem* hujus sacramenti, duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, et spiritualis potus, secundum illud Joa. 6. 56: *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Unde* hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective.

(a. 3.) Hoc *autem* sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus . . . *et* potest aliquis in Christum mutari, et ei incorporari voto mentis, etiam sine hujus sacramenti perceptione.

(a. 4.) Hoc sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu praeteriti, in quantum scilicet est commemorativum dominicae Passionis, quae fuit verum sacrificium, ut supra dictum est q. 48. a. 3: et secundum hoc nominatur *sacrificium*. Aliam autem significationem habet respectu rei praesentis, scilicet ecclesiasticae unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum: et secundum hoc nominatur communio...

Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria: et secundum hoc dicitur *viaticum*, quia hic praebet nobis viam illuc perveniendi.

(a. 5.) Hoc sacramentum institutum fuit in coena, in qua scilicet Christus ultimo cum suis discipulis fuit conversatus . . . (a. 6.) Agnus paschalis fuit praecipua figura hujus sacramenti, *unde* Apos. dicit I. Cor. 5. 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus*: *itaque epulemur in azymis sinceritatis, et veritatis.*

(Q. 74.) DE MATERIA EUCHARISTIAE, QUANTUM AD SPECIEM.

Deinde considerandum est de materia hujus sacramenti: et primo, de specie materiae: secundo, de conversione panis, et vini in corpus Christi; tertio, de modo existendi corpus Christi in hoc sacramento; quarto, de accidentibus panis, et vini, quae in hoc sacramento remanent.

(a. 1.) Circa materiam hujus sacramenti aliqui multipliciter erraverunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritae, ut Aug. dicit in lib. de Haeresib., Haer. 27., offerunt panem, et caseum in hoc sacramento, dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terrae, et ovium fuisse celebratas. Alii vero, scilicet Cataphrygae, et Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinae, panemque inde facientes. Quidam vero, qui dicuntur Aquarii, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt. Omnes autem hi errores,

et similes excluduntur, per hoc, quod Christus hoc sacramentum sub specie panis, et vini instituit, ut patet Mat. 26. Unde panis, et vinum sunt materia conveniens hujus sacramenti.

(a. 2.) Quidam dixerunt, quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini; puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio . . . . . *sed cum* materia hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute; numerus autem fidelium est indeterminatus; *ideo* non potest dici, quod quantitas materiae hujus sacramenti sit determinata.

(a. 3.) *Quia* ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quae communius apud homines in talem usum venit; inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur esse introducti in hujus panis defectum; ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse: qui etiam panis magis confortat hominem; et ita convenientius significat effectum hujus sacramenti; et ideo propria materia hujus sacramenti, est panis triticeus . . . . . *Sed* si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti; si vero sit magna permixtio, puta ex aequo, vel quasi, talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus, non erit debita materia hujus sacramenti . . . *Quia* aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis; sicut cum continuitas solvitur, et sapor, et color, et alia accidentia mutantur; ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quae speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis

immutatio saporis, et ex tali pane potest confici corpus Christi, sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti. Et quia amylum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus, possit fieri corpus Christi; quamvis quidam contrarium dicant . . .

(a. 4.) Non est autem de necessitate sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus: quia in unoquoque confici potest. Conveniens autem est, ut unusquisque servet ritum suae Ecclesiae in sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversae ecclesiarum consuetudines: dicit enim B. Greg. in registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed Graecae Ecclesiae offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinae.* Unde sicut peccat presbyter in Ecclesia Latinorum, celebrans de pane fermentato; ita peccaret presbyter Graecus in Ecclesia Graecorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiae suae ritum. Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi, rationabilior est, *praecipue* propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit *prima die azymorum*, ut habetur Mat. 26. et Mar. 14. et Luc. 22. qua die nihil fermentatum in domibus Judaeorum esse debebat, ut habetur Exo. 12.

(a. 5.) De solo vino vitis potest confici hoc sacramentum, propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit, ut patet ex eo quod ipse dicit Mat. 26. 29. circa institutionem hujus sacramenti: *non bibam amodo de hoc genimine vitis* . . . Sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet

conficiens . . . Non debent uvae integrae huic sacramento misceri. quia jam esset ibi aliquid praeter vinum. Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri: dicitur enim a Julio I. Papa dec. 7: *si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur.*

(a. 6.) Vino quod offertur in hoc sacramento, debet aqua misceri... unde dicit Alexander I. Papa epis. 1. c. 4: *non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in Passione sua profluxisse legitur....* (a. 7.) Non *autem* aquae admixtio est de necessitate sacramenti . . . *Nam* Cyprianus dicit ad Caecilium lib. 2. epis. 3: *si aliquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit,* ut scilicet aquam vino misceret in sacramento, *potest simplicitati ejus venia concedi:* quod non esset, si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum, vel panis.

(a. 8.) Sicut dicit Innocentius III. in quadam decretali...... illorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, et vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquae, ut solveretur species vini, non posset perfici sacramentum.

(Q. 75.) DE CONVERSIONE PANIS, ET VINI IN CORPUS, ET SANGUINEM CHRISTI.

(a. 1.) Verum corpus Christi, et sanguinem esse in hoc sacramento, neque sensu, neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur . . . quia *enim* fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. Quae quidam non attendentes, posuerunt corpus et sanguinem Christi non esse in hoc sacramento, nisi sicut in signo: quod est tamquam haereticum abjiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde et Berengarius, qui primus hujus erroris auctor fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, et veritatem fidei confiteri . . . Corpus *tamen* Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento: per quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi; sed intelligimus corpus Christi hic esse secundum modum proprium huic sacramento.

(a. 2.) Sicut Ambrosius dicit in lib. 4. et 6. de Sacram.: *licet figura panis, et vini videatur; tamen nihil aliud, quam caro Christi, et sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde* quod quidam posuerunt, post consecrationem, substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere . . . est positio vitanda tamquam haeretica . . . . contrariatur *enim* formae hujus sacramenti: in qua dicitur:

hoc est corpus meum: quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret: numquam enim substantia panis est corpus Christi; sed potius esset dicendum: *hic est corpus meum.*

(a. 3.) Substantia panis, vel vini, post consecrationem hujus sacramenti non annihilatur; .... (a. 4.) Sed tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini, in totam substantiam sanguinis Christi. Unde haec conversio non est formalis, sed substantialis; nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio... (a. 5.) *Licet* sensu appareat, facta consecratione, omnia accidentia panis, et vini remanere.

(Q. 76.) DE MODO, QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

(a. 1.) Omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento ... Corpus quidem Christi, ex vi sacramenti, anima autem Christi, ex reali concomitantia, *sicut et divinitas.*

(a. 2.) Certissime *quoque* tenendum est, quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus; aliter tamen, et aliter. Nam sub speciebus panis, est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem, ex reali concomitantia, sicut dictum est de anima, et divinitate Christi; sub speciebus vero vini, est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima, et divinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus,

sicut fuit tempore Passionis, et Mortis: unde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguine, et sub speciebus vini, sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate.

(a. 3.) Totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine, quae apparet in speculo, quae apparet una in speculo integro, in speculo autem fracto, apparent singulae in singulis partibus: quod quidem non est omnino simile: quia multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi; hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento . . . *Nec* requitur quod Christus infinities esset in hoc sacramento . . . *nam* numerus sequitur divisionem. Et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis; et per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes dividitur.

(a. 4.) Quia substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva, et ab aliis accidentibus; inde est quod ex vi realis concomitantiae, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia accidentia ejus . . . . (a. 5.) *Attamen* corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiae, eo scilicet modo, quo substantia continetur a dimensionibus: succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiae panis: unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum sub-

stantantiae, ita nec substantia corporis Christi. Non tamen substantia corporis Christi est subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis: et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus; substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis: ita quod e converso dimensiones propriae corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia; quod est contra rationem corporis locati.

(a. 7.) Proprie loquendo, corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in hoc sacramento, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu . . . *et quidem* supernaturali, scilicet divino, et per consequens ab intellectu beato, vel angeli, vel hominis, qui secundum participatam claritatem divini intellectus videt ea, quae supernaturalia sunt, per visionem divinae essentiae. Ab intellectu autem hominis viatoris, non potest conspici nisi per fidem, sicut et caetera supernaturalia. Sed nec etiam intellectus angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum.

(a. 8.) Dupliciter contingit apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione . . . , et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte sacramenti, manifestum est, quod non desinit Christus esse sub hoc sacramento, tali apparitione facta. Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed specie quae videtur realiter exterius existente: et hoc quidem videtur esse, quando sub tali specie ab omnibus videtur, et non ad horam, sed per longum tempus

ita permanet . . . *et tunc pariter* non videtur propria species Christi, sed species miraculose formata vel in oculis intuentium, vel etiam in ipsis sacramentalibus dimensionibus.

(Q. 77.) DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO.

(a. 1.) Cum non remaneat substantia panis, et vini; hujusmodi species remanent sine subjecto . . . (a. 4.) Sicut *autem* esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis et vini existente; ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeunte . . . *unde* si fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis, aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento: et hoc sive ex parte qualitatum; sicut cum ita immutatur color, et sapor, et aliae qualitates panis, et vini, quod nullo, modo possent compati naturam panis, aut vini: sive etiam ex parte quantitatis; puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis, vel vini.

(a. 5.) Substantia panis, et vini non potest redire, speciebus sacramentalibus manentibus; similiter etiam nec eis cessantibus, quia jam substantia panis, et vini esset sine propriis accidentibus: quod est impossibile, . . . et ideo quidquid possit generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensiva panis, vel vini, *post corruptionem,* non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti . . . Quamvis *enim* non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur; quantitas tamen dimensiva supplet vicem materiae.

(a. 6.) *Cum vero* species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quae ex eis generatur, per eamdem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres, vel in vermes. Et ideo manifestum est quod nutriunt.

(Q. 78.) DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

(a. 1.) Haec est forma hujus sacramenti: *hoc est corpus meum*, et *hic est calix sanguinis mei.* Profertur *autem* quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti, nihil agit, nisi quod profert verba Christi . . . Si sacerdos sola verba praedicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum: quia intentio faceret, ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis praecedentibus hoc non recitaretur; graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiae non servans.

Quidam dicunt, quod praedicta verba non sunt forma hujus sacramenti; Christus *enim* ante benedixit panem acceptum, et postea dixit: *accipite et comedite, hoc est corpus meum*, ut habetur Mat. 26. 26. et similiter fecit de calice . . . Sed hoc stare non potest: quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quae tunc acta sunt: unde si tunc per haec verba non est facta consecratio, nec modo fieret... *Deinde,* hoc participium *dicens,* concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea, quae praecedunt . . . . . ut sit sensus: dum benediceret, frangeret, et daret discipulis suis, haec verba dixit: *accipite* etc.

(a. 2.) Conveniens est forma consecrationis panis: *hoc est corpus meum*.. Dictum est enim, quod haec consecratio consistit in conversione substantiae panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id, quod in sacramento efficitur. Unde et forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi . . . Conjunctio autem *enim*, apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae, a Beato Petro Apostolo derivatam; et hoc propter continuationem ad verba praecedentia: et ideo non est de forma, sicut nec verba praecedentia formam.

(a. 3.) Omnia verba consecrationis calicis sunt de substantia formae usque ad hoc, quod postea sequitur, *haec quotiescumque feceritis*, quod pertinet ad usum hujus sacramenti: unde non est de substantia formae: et inde est, quod sacerdos eodem ritu, et modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia haec verba profert.... Sed per prima verba, cum dicitur: *hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est, articulo praecedenti, in forma consecrationis panis; per verba autem sequentia, designatur virtus sanguinis effusi in Passione, quae operatur in hoc sacramento... *Quia vero* sanguis seorsum consecratus a corpore, expressius repraesentat Passionem Christi, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de Passione Christi, et fructibus ipsius, quam in consecratione corporis . . . *Quod si* nullus Evangelista recitat, Christum haec omnia verba dixisse . . . dicendum, quod Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius in fine ecclesiast. Hier., sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamen, haec omnia fere verba ex diversis Scripturae locis accipi possunt. Nam

quod dicitur, *hic est calix,* habetur Luc. 22, et I. Cor. 11. Mat. autem 26. dicitur: *hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod autem additur *aeterni,* et iterum *mysterium fidei,* ex traditione Domini habetur, quae ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud I. Cor. 13. 22: *ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis.*

(Q. 79.) DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

(a. 1.) Per hoc sacramentum gratia confertur... (a. 2.) Et effectus hujus est adeptio gloriae . . . . (a. 3.) Ille *vero,* qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulat sibi peccatum, quam remissionem sui peccati consequatur . . . (a. 4.) Hoc *autem* sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum... (a. 5.) *Sed* quamvis haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena . . . . (a. 6.) *Pariter,* licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem praeservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

(a. 7.) Hoc sacramentum sumentibus quidem prodest, et per modum sacramenti, et per modum sacrificii: quia pro omnibus sumentibus offertur... sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute eorum offertur . . . et utrumque modum proficiendi Dominus expressit dicens Mat. 26. et Luc. 22: *qui pro vobis,* scilicet sumentibus, *et pro multis,* scilicet aliis, *ef-*

fundetur in remissionem peccatorum, .. sed effectum non habet nisi in illis, qui conjunguntur huic sacramento per fidem, et caritatem . . . unde in canone missae non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam.

Si aliquis simul in una missa multas hostias consecratas sumat, non participabit majorem effectum sacramenti. In pluribus vero missis, *quia* multiplicatur sacrificii oblatio, multiplicatur effectus sacrificii, et sacramenti.

(a. 8.) Peccata venialia praeterita nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti . . . . . peccata *vero* venialia actu exercita, non ex toto impediunt hujus sacramenti effectum, sed in parte . . . non autem tollitur augmentum actualis gratiae, vel charitatis.

(Q. 80.) DE USU, SEU SUMPTIONE HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Distinguuntur duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter, et spiritualiter . . . (a. 2.) Contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus hujus sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum . . . . *et quia* angelorum non est accedere ad altare, tamquam aliquid sint inde sumpturi; ergo angelorum non est spiritualiter manducare, sed hominum.

(a 3.) *Etiam* peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, non soli justi . . . (a. 4.) Sed incurrunt sacrilegium, tamquam sacramenti violatores, et propter hoc mortaliter peccant . . . . . . (a. 5.) et hoc peccatum est multis aliis gravius

secundum suam speciem; non tamen est omnium gravissimum, *ut est* peccatum infidelitatis, et blasphemiae.

(a 6.) Manifestis peccatoribus, non debet etiam petentibus sacra communio dari . . . . si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari.

(a. 7.) Si nocturna pollutio *contingat* sine peccato, vel cum peccato veniali 2. 2, q. 154, a. 5. non ex necessitate impedit sumptionem hujus sacramenti, ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis, et sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Ex quadam vero congruentia, impedit quantum ad duo. Quorum unum semper accidit, scilicet quaedam foeditas corporalis, cum qua, propter reverentiam sacramenti non decet ad altare accedere: unde et volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant; nisi forte talis immunditia sit perpetua, vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quae sequitur pollutionem nocturnam, praecipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta ut Gregorius dicit in Epist. ad Augustinum Episcopum Angliae: *cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo, quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.*

(a. 8.) Propter prohibitionem Ecclesiae impeditur aliquis a sumptione hujus sacramenti post cibum, ef potum assumptum . . . . ab hac tamen generali regula, excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant: quia necessitas legem non habet, . . *generatim vero*

reliquiae cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus sacramenti: quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivae: et eadem ratio est de reliquiis aquae, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae; quod vitari non potest . . , *et* hoc est jejunium naturae, quod importat privationem cujuscumque praeassumpti per modum cibi, vel potus, diversum a jejunio Ecclesiae, quod instituitur ad carnis macerationem, et per praedicta non impeditur.

(a. 9.) Qui habent debilem usum rationis, quia possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Qui *vero* non habent totaliter usum rationis, aut sic a nativitate permanserunt; et sic talibus *non* est hoc sacramenium exhibendum, quia in eis *nullo* modo praecessit hujus sacramenti devotio: aut non semper caruerunt usu rationis; et tunc, si prius quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi: nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis.

(a. 10.) Circa usum hujus sacramenti, duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris: et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat . . . Alio modo, potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: *accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit*, subjungit: *sic vive, ut quotidie merearis accipere.*

In primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei Christianae, statutum fuit, ut quotidie fideles communicarent: unde Anacletus Papa Epist. 1. dicit: *peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia.* Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa decret. 7. indulsit: *ut si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, et Natali Domini.* Soter etiam Papa decret. 4. in Coena Domini dicit esse comunicandum: postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. in Conc. Later. 4. c. 21. ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles communicent. Consulitur tamen in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 53. omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

(a. 11.) Manifestum *porro* est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non solum ex statuto Ecclesiae, sed ex mandato Domini dicentis Luc. 22. 19: *hoc facite in meam commemorationem.* Ex statuto autem Ecclesiae, sunt determinata tempora exequendi Christi praeceptum . . . Licet *autem* in peccatis permanentes non excusentur propter hoc a transgressione praecepti, poenitentes tamen, qui ut Innocentius III. dicit, secundum consilium sacerdotis abstinent, excusantur.

(a. 12.) Quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare, et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium, *quia* requiritur summa reverentia, et cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti mysterii, quod praecipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi; et quia

crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, et juvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tantae discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant; ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur.

(Q. 81.) DE MODO, QUO CHRISTUS USUS EST HOC SACRAMENTO.

(a. 1.) Quidam dixerunt, quod Christus in coena corpus, et sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur convenienter dici: quia Christus ea, quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde et ipse prius baptizari voluit, quam aliis baptismum imponeret, secundum illud Act. 1. 1: *coepit Jesus facere, et docere.* Unde et primo ipse corpus suum, et sanguinem sumpsit, et postea discipulis sumendum tradidit.

(a. 2.) Hilarius posuit super Matthaeum c. 30. quod Christus Judae corpus suum, et sanguinem non dedit. Et hoc quidem conveniens fuisset, considerata malitia Judae. Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum justitiae, non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem sine accusatore, et evidenti probatione, ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum praelatis ecclesiae similia faciendi, et ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Judas cum aliis discipulis corpus Domini, et sanguinem suscepit, ut dicit Dionysius in lib. Ecclesias. Hier. c. 3. et Aug. super Joan. tract. 62.

(a. 3.) Sicut Innocentius III. dicit lib. 4. de mysterio Missae c. 12: *tale corpus tunc dedit discipulis, quale habuit.* Habuit tamen tunc corpus passibile, et mortale. Ergo corpus passibile et mortale discipulis dedit . . . (a. 4.) *Et* si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum, vel consecratum, ibi moreretur . . . *quia* idem Christus, qui erat in cruce, fuisset in sacramento.

(Q. 82.) DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum . . . (a. 2.) Plures sacerdotes possunt unam, et eamdem hostiam consecrare . . . *Sicut* novi ordinati, Episcopo ordinanti concelebrant, nec propter hoc iteratur consecratio super eamdem hostiam: quia sicut Innocentius III. dicit lib. 4. de myst. Missae c. 25: *omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.*

(a. 3.) Ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi . . . Diaconus *autem*, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel presbytero.

(a. 4.) Necesse est, quod sacerdos quotiescumque consecrat, sumat integre hoc sacramentum . . . (a. 5.) Sacerdotes *autem*, etiamsi non sint justi, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare... (a. 6.) *Et* quantum ad sacramentum, non minus valet missa sacerdotis mali, quam boni, quia utrobique idem conficitur sacramentum. Oratio etiam quae fit in missa, in quantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis, sic non est dubium quod missa melioris sacerdotis, magis est fructuosa; alio modo, in quantum oratio in missa profertur a

sacerdote in persona totius Ecclesiae, cujus sacerdos est minister: quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes ejus orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiae: licet orationes ejus privatae non sint fructuosae, secundum illud Prover. 28. 9: *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execràbilis.*

(a. 7.) Quia consecratio eucharistiae est actus consequens ordinis potestatem, illi qui sunt ab Ecclesia separati per haeresim aut schisma, vel excommunicationem, possunt quidem consecrare eucharistiam, quae ab eis consecrata, verum corpus, et sanguinem Christi continet; non tamen hoc recte faciunt, sed peccant facientes: et ideo fructum sacrificii non percipiunt, quod est sacrificium *spirituale*, . . et quia sunt ab Ecclesiae unitate separati orationes eorum efficaciam non habent . . . (a. 8. *Similiter etiam* sacerdos degradatus, potest conficere hoc sacramentum.

(a. 9.) Quia haeretici, et schismatici, et excommunicati sunt per sententiam Ecclesiae, executione consecrandi privati, ideo peccat quicumque eorum missam audit, vel ab eis accipit sacramenta; sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiae executione hujus potestatis privati; et sic quamvis sint suspensi quantum ad se ex sententia divina non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesiae ideo usque ad sententiam Ecclesiae licet ab eis communionem accipere, et eorum missam audire.

(a. 10.) Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur quod celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in illi diebus, in quibus fideles communicare consueverunt.

(Q. 83.) DE RITU HUJUS SACRAMENTI.

Deinde considerandum est, de ritu hujus sacramenti.

(a. 1.) In hoc sacramento Christus immolatur . . . Celebratio *enim* hujus sacramenti, imago quaedam est repraesentativa Passionis Christi, quae est vera ejus immolatio . . . *et etiam* per hoc sacrementum participes efficimur fructus Dominicae Passionis.

(a. 2.) Quia Dominica Passio celebrata est a tertia hora, usque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei, solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur . . . possunt tamen missae celebrari in prima parte diei, propter aliquam necessitatem . . . Principium *autem* diei, accipitur . . . quando incipit apparere aurora . . . specialiter tamen in nocte Natalis Domini missa celebratur propter hoc, quod Dominus in nocte natus est, et similiter etiam in Sabbato Sancto circa noctis principium, propter hoc quod Dominus nocte surrexit, idest cum adhuc tenebrae essent, ante manifestum solis ortum . . . In die autem Nativitatis, plures missae celebrantur propter triplicem Christi nativitatem. Quarum una est aeterna, quae quantum ad nos est occulta: et ideo una missa cantatur in nocte, in cujus introitu dicitur, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur *tamquam Lucifer in cordibus nostris,* ut dicitur II. Petri 1. et propter hoc cantatur missa in aurora: in cujus introitu dicitur: *lux fulgebit hodie super nos.* Tertia est Christi nativitas temporalis, et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali carne indutus: et ob hoc cantatu

tertia missa in clara luce, in cujus introitu dicitur: *Puer natus est nobis.*

(a. 3.) Oportet hoc sacramentum celebrari in domo et vasis sacris . . . tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis, quae ex Passione Christi provenit . . . . Propter necessitatem tamen, potest hoc sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi . . . nec sine altari portatili, per Episcopum consecrato.

(a. 4.) Ante celebrationem hujus mysterii, primo quidem praemittitur praeparatio quaedam ad digne agenda ea, quae sequuntur, . . secundo autem, praemittitur instructio fidelis populi, quia hoc sacramentum est mysterium fidei, . . populo praeparato, et instructo, consequenter acceditur ad celebrationem mysterii, quod quidem et offertur ut sacrificium, et consecratur, et sumitur ut sacramentum. Unde primo peragitur oblatio; secundo consecratio materiae oblatae; tertio ejusdem perceptio . . . ultimo autem, tota missae celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii, (quod significat cantus post comunionem) et sacerdote per orationem gratias offerente; sicut et Christus celebrata coena cum discipulis, hymnum dixit, ut dicitur Matt. 26.

(a. 5.) In celebratione hujus mysterii, quaedam aguntur ad repraesentandam Passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici, et quaedam aguntur pertinentia ad devotionem, et reverentiam hujus sacramenti . . . Ablutio manuum fit in celebratione missae propter reverentiam hujus sacramenti . . . ita etiam de thurificatione . . . Sacerdos in celebratione missae utitur crucesignatione, ad exprimendam Passionem Christi, quae ad crucem est terminata . . . Sacerdos *autem*, post consecrationem

non utitur crucesignatione ad benedicendum, et consecrandum, sed solum ad commemorandam virtutem crucis, et modum Passionis Christi... Ea, quae sacerdos in missa facit, non sunt ridiculosae gesticulationes, fiunt enim ad aliquid repraesentandum... Ad majorem solemnitatem statutum legitur, quod episcopus cum pluribus missarum solemnia peragat. In missis tamen privatis, sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona, sacerdoti pluraliter respondet.

(a. 6.) Periculis, seu defectibus circa hoc sacramentum contingentibus, dupliciter potest occurri: uno modo praeveniendo, ne scilicet periculum accidat; alio modo subsequendo, ut scilicet id quod accidit emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per poenitentiam ejus, qui negligenter egit circa hoc sacramentum . . . ut in missali.

(Q. 84.) DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

V. Append. C. II. § 5.

Consequenter considerandum est, de sacramento poenitentiae: circa quod primo considerandum est de ipsa poenitentia; secundo, de effectu ipsius; tertio, de partibus ejus; quarto, de suscipientibus hoc sacramentum; quinto, de potestate ministrorum, quae ad claves pertinet; sexto, de solemnitate hujus sacramenti.

Circa primum, duo consideranda sunt. Primo de poenitentia, secundum quod est sacramentum. Secundo, de poenitentia, secundum quod est virtus.

(a. 1.) Sicut baptismus adhibetur ad purificandum a peccato, ita et poenitentia... Sed baptismus est sacramentum, ergo pari ratione et poenitentia... *Et sane*, sicut Gregorius dicit: *sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, ut aliquid significative accipiamus, quod sancte accipiendum est.* Manifestum est autem, quod in poenitentia ita res gesta sit, quod aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis,... unde manifestum est, quod poenitentia quae in Ecclesia agitur, est sacramentum.

(a. 2.) Materia proxima hujus sacramenti, sunt actus poenitentis: cujus materia sunt peccata, de quibus dolet, et quae confitetur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia poenitentiae sint peccata, non acceptanda, sed detestanda, et destruenda.

(a. 3.) Hoc sacramentum poenitentiae, non consistit in consecratione alicujus materiae, nec in usu alicujus materiae sanctificatae, sed magis in remotione cujusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur: *ego te absolvo*, . . . unde patet quod haec est convenientissima forma hujus sacramenti: *ego te absolvo*.. Solus Deus per auctoritatem, et a peccato absolvit et peccatum remittit; sacerdotes tamen, utrumque faciunt per ministerium, in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis sacramentis . . . Cum sacerdos dicit *ego te absolvo*, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective.

(a. 4.) Ad hoc *autem* sacramentum, non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad baptismum . . . *sed tantum* manuum impositio fit in sa-

cramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis.

(a. 5.) Sacramentum poenitentiae est necessarium ad salutem post peccatum, sicut medicatio corporis, postquam homo in morbum periculosum inciderit . . . (a. 6.) Hieronymus dicit super Isa. 3. quod *secunda tabula post naufragium, est poenitentia* . . . Quia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui confertur per sacramenta baptismi, confirmationis, et eucharistiae.

(a. 7.) Ex naturali ratione homo movetur ad poenitendum de malis, quae fecit; sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina . . . unde et poenitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit; quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde quam in exterioribus signis, secundum illud Joel. 2. 13: *scindite corda vestra, et non vestimenta vestra:* quantum autem ad remedium doloris quaerendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali . . . in hoc enim ipso, quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur. Levit. 5. 17. Nondum autem erat instituta potestas clavium, quae a Passione Christi derivatur.

(a. 8.) Interior poenitentia qua quis dolet de peccato commisso, debet durare usque ad finem vitae: semper enim debet homini displicere quod peccavit . . . poenitentia vero exterior, qua quis exteriora signa doloris ostendit, et verbo tenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi, et juxta ejus arbitrium satisfacit; non oportet quod duret usque ad finem vitae, sed usque ad determinatum tempus, secundum mensuram peccati.

(a. 9.) Actu impossibile est, quod homo continue poeniteat . . . *Sed* secundum babitum, oportet quod homo continue poeniteat.

(a. 10.) Novatiani dixerunt, post primam poenitentiam, quae agitur in baptismo, peccantem non posse per poenitentiam iterato restitui. Alii vero fuerunt haeretici, qui post baptismum dicebant, quidem esse utilem poenitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum . . . . *Sed* misericordia Dei, peccantibus, per poenitentiam veniam praebet absque ullo termino: unde dicitur in oratione Manasse: *immensa et investigabilis misericordia promissionis tuae, super malitiam hominum.* Unde manifestum est, quod poenitentia pluries est reiterabilis.

(Q. 85.) DE SACRAMENTO POENITENTIAE, SECUNDUM QUOD EST VIRTUS.

(a. 2.) Poenitentia est specialis virtus . . . . (a. 3.) et pars justitiae . . . (a. 4.) et est in voluntate sicut in subjecto; et proprius ejus actus est propositum emendandi illud, quod contra Deum commissum est . . . (a. 5.) Et hic actus a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus, ad hoc ordinato; a timore autem filiali, sicut ab immediato et proprio principio.

(Q. 86.) DE EFFECTU POENITENTIAE, QUOAD MORTALIUM PECCATORUM REMISSIONEM.

Deinde considerandum est de effectu poenitentiae: et primo, quantum ad remissionem peccatorum mortalium; secundo, quantum ad remissionem peccatorum venialium; tertio, quantum ad reditum

peccatorum remissorum; quarto, quantum ad restitutionem virtutum.

(a. 1.) Omne peccatum in hac vita per poenitentiam veram deleri potest . . . (a. 2.) et sic e contrario videtur, quod si homo poenitentiam non agat, Deus ei non remittat offensam . . . (a. 3.) Impossibile est *etiam*, per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti.

(a. 4.) Remissa culpa, remanet reatus alicujus poenae . . . *Sic* II. Reg. 12. 13. dicitur, quod cum David poenitens dixisset ad Nathan: *peccavi Domino*, dixit Nathan ad illum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris: verumtamen filius, qui natus est tibi, morte morietur . . . Sane in* peccato mortali sunt duo; scilicet aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo aversionis ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur; ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicujus poenae: quia reatus culpae non reducitur ad ordinem justitiae, nisi per poenam: justum est enim, ut qui voluntati suae plus indulsit, quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic enim erit aequalitas. Unde Apoc. 13. 7. dicitur: *quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.*

Quia tamen conversio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum, quod debeatur ei poena aeterna. Unde si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio

animae a Deo, in quantum per gratiam anima Deo conjungitur. Unde et per consequens, simul tollitur reatus poenae aeternae, potest tamen remanere reatus alicujus poenae temporalis . . . In baptismo *tamen*, *quia* homo participat totaliter virtutem Passionis Christi, consequitur remissionem reatus totius poenae. In poenitentia vero, *quia* consequitur virtutem Passionis Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia poenitentiae, ideo non statim per primum actum poenitentiae quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenae, sed completis omnibus poenitentiae actibus.

(a. 5.) *Quia* sublato eo, quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id, quod est ex parte conversionis inordinatae, ideo nihil prohibet, quin remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae; remanent tamen debilitatae, et diminutae, ita quod homini non dominentur; et hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post baptismum . . . Quandoque *tamen*, Deus tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena Luc. 7.

(a. 6.) Remissio culpae, est effectus poenitentiae, secundum quod est virtus, principalius tamen, secundum quod est sacramentum.

(Q. 87.) DE REMISSIONE VENIALIUM PECCATORUM.

(a. 1.) Etiam peccatum veniale non potest remitti sine aliqua poenitentia, vel quadam virtuali

displicentia . . . quae tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

(a. 2.) Ad tollendam maculam peccati mortalis, requiritur infusio gratiae; sed ad tollendam maculam venialis peccati, requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhaesio ad rem temporalem . . . nec requiritur novae gratiae infusio . . . Quandocumque *tamen* de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

(a. 3.) Venialia peccata remittuntur per aspersionem aquae benedictae, et caetera hujusmodi . . . (a. 4.) *Numquam vero* veniale peccatum remittitur sine mortali ... Remissio enim culpae cujuscumque, numquam fit nisi per virtutem gratiae... ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Unde nullum veniale ei remittitur.

(Q. 88.) DE REDITU PECCATORUM, PER POENITENTIAM REMISSORUM.

(a. 1.) Peccata dimissa non redeunt per sequens peccatum; *tamen* per peccatum sequens poenitentiam, redit quodammodo reatus peccatorum prius remissorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid, in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.

(a. 2.) *Sic* peccata dimissa redeunt per ingratitudinem, quae specialiter est secundum quatuor genera peccatorum; scilicet secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis,

et dolorem de poenitentia habita; secundum quod quidam metrice dixerunt:

> Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
> Poenituisse piget: pristina culpa redit.

(a. 3.) Oportet *autem*, quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequentis . . . *unde* quanto peccata prius dimissa fuerunt plura, et majora, tanto redit major reatus per qualecumque sequens mortale peccatum.

(a. 4.) *Notandum vero, quod* si aliquis peccator in contemptum Dei, et suscepti beneficii, aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis: et hoc modo, ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium, aut adulterium, non retrahatur ab hoc, propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quaedam.

(Q. 89.) DE VIRTUTUM RECUPERATIONE PER POENITENTIAM.

(a. 1.) Per poenitentiam omnes virtutes restituuntur . . . *nempe*, habitus poenitentiae simul cum habitibus aliarum virtutum, per sacramentum poenitentiae causatur . . . (a. 2.) Poenitens quandoque resurgit in majori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori: et eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur.

(a. 3.) Dignitatem innocentiae poenitens recuperare non potest; recuperat tamen quandoque ali-

quid majus: quia ut Greg. dicit in Hom. de centum ovibus: *qui errasse a Deo se considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo gaudium de eis fit in coelo: quia et dux in praelio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga praebuit, et nunquam aliquid fortiter fecit.*

(a. 4.) Opera in charitate facta mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale, ut dicitur Ezechielis 18. 24: *si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiae ejus quas fecerat, non recordabuntur* . . . (a. 5.) Opera *autem* prius mortificata, per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam; quod est ea reviviscere. Et ita opera mortificata, per poenitentiam reviviscunt.

(a. 6.) Opera quae sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mortua, in quantum scilicet, non procedunt ex principio vitae . . . spiritualis, quae est ex charitate, per quam anima Deo conjungitur, ex quo vivit, sicut corpus per animam . . . Sic igitur differentia mortis, et vitae in operibus est secundum comparationem ad principium, a quo procedunt. Opera autem, non possunt iterum a principio procedere, quia transeunt, et iterum eadem numero resumi non possunt. Unde impossibile est, quod opera mortua iterum fiant viva per poenitentiam . . . Deus *tamen*, recordatur bonorum, quae quis fecit in statu peccati, non ut remuneret ea vita aeterna, quae debetur solis operibus vivis, idest ex charitate factis; sed remunerat ea temporali remuneratione, sicut Gregorius dicit, in Homilia de divite, et Lazaro, quod *nisi dives ille aliquod bonum egisset, et in praesenti saeculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham di-*

ceret: recepisti bona in vita tua. Vel etiam hoc potest referri ad hoc, quod patietur tolerabilius judicium: unde dicit Aug. in lib. de Patientia c. 26: *non possumus dicere: schismatico melius fuisset, ut Christum negando, nihil eorum pateretur, quae passus est confitendo: sed existimandum est, tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando, nihil eorum pateretur; ut illud, quod ait Apostolus, si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, intelligatur pertinere ad regnum coelorum obtinendum, non ad extremi judicii supplicium tolerabilius subeundum.*

(Q. 90.) DE PARTIBUS POENITENTIAE IN GENERALI.

(a. 2.) Tres assignantur partes poenitentiae: contritio, confessio, et satisfactio . . . (a. 3.) et istae sunt partes integrales . . . (a. 4.) Dividitur *etiam* poenitentia, in poenitentiam ante baptismum, poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium.

SUPPLEMENTUM

TERTIAE PARTIS

SUMMAE THEOLOGICAE

D. THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

Ex ejusdem Auctoris scripto, in Quartum Sententiarum, collectum.

(Q. 1.) DE PARTIBUS POENITENTIAE IN SPECIALI; ET PRIMO DE CONTRITIONE.

Deinde considerandum est de singulis partibus poenitentiae: et primo, de contritione; secundo, de confessione; tertio, de satisfactione. De contritione autem, consideranda sunt quinque. Primo, quid sit, secundo, de quo esse debeat; tertio, quanta esse debeat, quarto, de duratione ipsius; quinto, de effectu ipsius.

(a. 1.) Contritio est dolor pro peccatis, assumptus cum proposito *confitendi*, et *satisfaciendi. Dicitur contritio;* conteri *enim aliquid, dicitur* quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat. Quia *nempe* ad dimissionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter amittat, quod per quamdam continuitatem, et soliditatem in sensu suo habebat; ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem.

(a. 2.) Attritio *autem*, dicit accessum ad perfectam contritionem: unde in corporalibus dicuntur attrita, quae aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo attritio significat in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam: contritio autem perfectam.

(a. 3.) Attritio, et contritio non dicunt habitum, sed actum tantum; habitus autem virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum charitatem consequantur. Unde antequam gratia infundatur, non est habitus, a quo actus contritionis postea elicitur. Et sic nullo modo attritio fieri potest contritio. Et dolor ille, qui erat informis, non manet charitate adveniente: et ideo formari non potest a *charitate*.

(Q. 2). DE CONTRITIONIS OBJECTO.

(a. 1.) *Quia* contritio importat, ut dictum est, alicujus duri et integri comminutionem; haec autem integritas et duritia invenitur in malo culpae... ideo de malis poenae potest esse dolor, sed non contritio... *Unde*, ille dolor, quo quis dolet de amissione virtutis per peccatum, non est essentialiter ipsa contritio, sed principium ejus: sicut enim aliquis movetur ad appetendum aliquid, propter bonum, quod inde expectat; ita movetur ad dolendum de aliquo, propter malum quod inde consecutus est.

(a. 2.) *Quia* contritio est dolor, ut dictum est, respiciens et quodammodo comminuens voluntatis duritiem, ideo solum de illis peccatis potest esse, quae ex duritia nostrae voluntatis in nos prove-

niunt. Et quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiatae naturae origine contractum, ideo de ipso non potest esse contritio, proprie loquendo, sed displicentia tantum, vel dolor.

(a. 6.) Quantum ad principium contritionis, oportet quod de singulis peccatis, quae quis in memoria habet, conteratur; sed quantum ad terminum, sufficit quod sit una communis de omnibus; tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum praecedentium.

(Q. 3.) DE QUANTITATE CONTRITIONIS.

(a. 3.) Secundum quod *contritio* singulis peccatis respondet, requiritur quod de majori peccato quis doleat magis, quia ratio doloris est magis in uno, quam in alio, scilicet offensa Dei ... *Sed* secundum quod est simul de omnibus peccatis, sicut in actu justificationis, et haec quidem contritio vel ex singulorum consideratione peccatorum procedit, et sic quamvis sit actus unus, tamen distinctio peccatorum virtute manet in ipso: vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum; et sic etiam habitualiter est magis de uno, quam de alio.

(Q. 4.) DE TEMPORE CONTRITIONIS.

(a. 1.) Contritionis tempus, est totius vitae praesentis status ... et propter hoc dicit Hugo de S. Victore, tract. 6. sum. sent. c. 11. quod, *Deus absolvens hominem a culpa, et poena aeterna, ligat eum vinculo perpetuae detestationis peccati*... (a. 2.) Unde quanto magis homo continue in actibus hujus displi-

centiae esse potest, melius est: dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet.

(a. 3.) Animae post hanc vitam, quae in patria sunt, contritionem habere non possunt, quia carent dolore propter gaudii plenitudinem; illae vero, quae sunt in inferno, carent contritione: quia etsi dolorem habeant, deficit tamen in eis gratia dolorem informans. Sed illae, quae in purgatorio sunt, habent dolorem de peccatis, gratia informatum; sed non meritorium, quia non sunt in statu merendi.

(Q. 5.) DE EFFECTU CONTRITIONIS.

(a. 1.) Contritio potest dupliciter considerari: vel in quantum est pars sacramenti, vel in quantum est actus virtutis: et utroque modo est causa remissionis peccati; sed diversimode: quia inquantum est pars sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter, sicut et de aliis sacramentis patet; in quantum autem est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati.

(a. 2.) Si contingit *valde* intendi charitatem in actu, contritio inde sequens merebitur non solum culpae amotionem, sed etiam absolutionem ab omni poena . . . *Sed quia* aliquis non potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem poenae, et culpae, ideo tenetur confiteri, et satisfacere; maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum; quod debet ad effectum reduci, etiam propter praeceptum, quod est de confessione datum... (a. 3.) Quantumcumque *autem* parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.

(Q. 6.) DE CONFESSIONE QUOAD EJUS NECESSITATEM.

Deinde considerandum est, de confessione; de qua sex sunt consideranda. Primo, de confessionis necessitate; secundo, de ejus quidditate; tertio, de ipsius ministro; quarto, de qualitate ejus; quinto, de ejus effectu; sexto, de ejus sigillo.

(a. 1.) Ad culpae remissionem, et actualis, et originalis, requiritur sacramentum Ecclesiae, vel actu susceptum, vel saltem voto, quando articulus necessitatis, non contemptus, sacramentum excludit; et per consequens illa sacramenta, quae ordinantur contra culpam, cum qua salus esse non potest, sunt de necessitate salutis: et ideo, sicut baptismus, quo deletur originale peccatum, est de necessitate salutis, ita et poenitentiae sacramentum . . . (a. 2.) *Quod* non de jure naturali est, sed de divino.

(a. 4.) Ad hoc, quod confessio sit idonea, requiritur quod os cordi concordet, ut solum hoc os accuset, quod conscientia tenet . . . *etiam* quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente . . . et dubitative loqui, et judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram, et lepram.

(a. 5.) Cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriae occurrunt, praecipue cum in articulo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere; sicut cum tenetur sacerdos ad celebrandum, si non desit copia sacerdotis, confiteri tenetur: aut si desit, saltem confiteri tenetur, et habere propositum confitendi, copia sacerdotis oblata. Sed ad

confessionem actualiter faciendam, obligatur aliquis dupliciter. Uno modo per accidens, scilicet quando ad aliquid tenetur, quod non potest sine peccato facere, nisi confessus; tunc enim confiteri tenetur: sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale nisi confessus, accedere debet, copia sacerdotis oblata, et necessitate non urgente; et inde venit obligatio, quia Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, ut semel in anno, scilicet in Paschate, omnes sacram communionem accipiant; et ideo ante tempus illud, omnes confiteri tenentur. Alio modo obligatur aliquis ad confessionem, per se; et sic videtur esse eadem ratio de confessione, et de baptismo differendo: quia utrumque est sacramentum necessitatis . . . et ideo videtur probabilis illorum opinio, qui dicunt, quod non tenetur homo ad statim confitendum, quamvis periculosum sit differre . . . . Nec est indulgentia Ecclesiae, quod non teneatur ad statim, sed ex natura praecepti affirmativi . . . unde ante Ecclesiae statutum, etiam minus tenebatur . . . *Sed* si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam.

(a. 6.) Sicut Papa non potest dispensare, ut aliquis sine baptismo salvetur; ita nec quod salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex ipsa vi sacramenti; sed potest dispensare secundum quod obligat ex praecepto Ecclesiae, ut possit aliquis diutius confessionem differre, quam ab Ecclesia institutum sit.

Praeceptum *namque* de confessione, non est ab homine primo institutum, quamvis sit a Jacobo promulgatum, 5. 16; sed a Deo institutionem habuit, quamvis expressa ipsius institutio non legatur; tamen quaedam praefiguratio ipsius invenitur in hoc,

quod Joanni confitebantur peccata sua, qui baptismo ipsius ad gratiam Christi praeparabantur; et in hoc, quod Dominus sacerdotibus leprosos transmisit: qui quamvis non essent novi Testamenti sacerdotes, tamen in eis novi Testamenti sacerdotium signabatur.

(Q. 7.) DE CONFESSIONIS QUIDDITATE.

(a. 1.) Aug. definiit confessionem dicens; ex psal. 66: *confessio est, per quam morbus latens spe veniae aperitur.*

(Q. 8.) DE CONFESSIONIS MINISTRO.

(a. 1.) *Quia* solus ille minister est sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest; ideo cum in sacramento poenitentiae gratia conferatur, solus sacerdos minister est hujusmodi sacramenti; et ideo ei soli facienda sacramentalis est confessio, quae ministro Ecclesiae fieri debet . . . *Nec obstat, quod* in baptismo propter necessitatem sacramenti, est minister quilibet homo . . . Baptismus *enim,* est magis sacramentum necessitatis, quam poenitentia, quoad confessionem, et absolutionem: quia quandoque baptismus praetermitti non potest, sine periculo salutis aeternae, ut patet in pueris, qui non habent usum rationis; sed non est ita de confessione, et absolutione, quae tantum ad adultos pertinent; in quibus contritio cum proposito confitendi, et desiderio absolutionis, sufficit ad liberandum a morte aeterna. Et ideo non est simile, de baptismo, et confessione.

(a. 2.) Nihilominus, confessio laico ex defectu sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo; quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte sacerdotis... (a. 3.) et quia ipsa confessio laico facta, sacramentale quoddam est . . . natum est venialia peccata remitti, sicut per tunsionem pectoris, et per aspersionem aquae benedictae.

(a. 4.) Sicut ille, qui non est sacerdos non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet jurisdictionem; et propter hoc oportet, sicut sacerdoti, ita proprio sacerdoti confessionem fieri . . . (a. 5.) vel alteri, ex privilegio, vel mandato superioris . . . (a. 6.) Sed quia necessitas legem non habet, ideo quando necessitatis periculum imminet . . . poenitens non solum a peccatis tunc potest a quolibet sacerdote absolvi, sed etiam *ab* excommunicatione, a quocumque sit lata . . *nec si* evadit, oportet eum recurrere ad proprium sacerdotem, ut iterum a peccatis absolvatur, a quibus in articulo mortis absolutus est; nec similiter oportet, quod absolutus ab excommunicatione, ad judicem vadat, qui alios absolvere potuisset, absolutionem petens, sed satisfactionem offerens.

(a. 7.) Potest taxatio poenae considerari quantum ad duo: quantum ad debitum . . . et quantum ad remedium . . . *et sic* poena in foro poenitentiae quantum ad utrumque taxanda est. Et ideo non semper pro majori peccato, major poena imponitur . . . considerata *enim* contritionis quantitate, confessione, et absolutione, per omnia haec aliquid de poena dimittitur; unde etiam a sacerdote in injungendo satisfactionem, sunt consideranda.

(Q. 9.) DE QUALITATE CONFESSIONIS.

(a. 1.) Confessio secundum quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie, et sic confessio non valet sine charitate, quae est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti... confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere sacerdoti... Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.

(a. 2.) De necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quae in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio... (a. 3.) et poenitens debet confiteri propria voce; in eo *autem*, qui usum linguae non habet, sufficit quod per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur: quia non exigitur ab homine plusquam possit.

(a. 4.) Sexdecim conditiones, quae a Magistris assignantur, his versibus contentae, requiruntur ad confessionem:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

(Q. 10.) DE EFFECTU CONFESSIONIS.

(a. 1.) Sicut de baptismo dicitur, quod liberat a morte, ita etiam de confessione dici potest . . . (a. 2.) Liberat *etiam* aliquo modo a poena, *cum*

poenam habeat ipsa confessio . . . (a. 3.) Aperit paradisum . . . . (a. 4.) Spem tribuit salutis . . . . (a. 5.) Confessio generalis sufficit ad delenda peccata mortalia oblita . . . . cum impium sit, dimidiam sperare veniam . . . *Si tamen poenitens postea recordetur*, tenetur confiteri, ut suppleatur quod defuit sacramentali absolutioni.

(Q. 11.) DE SIGILLO CONFESSIONIS.

(a. 1.) In quolibet casu tenetur sacerdos celare peccata, quae sub sigillo confessionis novit . . . . . etiam si aliquando aliquis in confessione sciat ex. gr. aliquem haereticum, quem non potest inducere ad hoc, ut desistat a corruptione plebis, . . . *vel* affinitatem esse inter eos, qui contrahere volunt,... nihilominus sub occulto omnia tenenda sunt. Nec tamen sigillum confessionis, contra charitatem militat: quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit. Illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum cum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere potest in praedictis casibus, quantum potest sine revelatione confessionis; sicut monendo eos, qui confitentur, et aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per haeresim. Potest etiam dicere praelato, quod diligentius vigilet super gregem suum; ita tamen, ut non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat . . . Nullus *pariter* ad revelationem confessionis potest ab homine cogi.

(a. 2.) Sigillum confessionis directe non se extendit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio; sed indirecte id, quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis

pertinet, sicut illa, per quae posset peccator, vel peccatum deprehendi. Nihilominus etiam illa summo studio sunt celanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quae ex consuetudine accidere posset... (a. 3.) *Et si* aliquando aliquis dicit alicui aliquod secretum, et ille recipit sub sigillo confessionis, . . *licet* aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo, si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione haberet, quamvis sub sigillo confessionis non habeat.

(a. 4.) Potest *tamen* confitens facere, ut sacerdos illud, quod sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo; quod facit dum licentiat eum ad dicendum: et ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis; tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli praedicti reputetur. Papa *autem*, non potest licentiare sacerdotem ad dicendum, quia non potest facere, quod illud sciat ut homo; quod tamen facere potest ille, qui confitetur.

(a. 5.) Illud, quod homo aliàs scit, sive ante confessionem, sive post, non tenetur celare quantum ad id, quod scit ut homo: potest enim dicere: *scio illud, quia vidi.* Tenetur tamen celare illud, in quantum scit ut Deus: non enim potest dicere: *ego audivi hoc in confessione.* Tamen propter scandalum vitandum, debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas.

(Q. 12.) DE SATISFACTIONIS QUIDDITATE.

Deinde considerandum est de satisfactione, de qua quatuor consideranda sunt. Primo, de ejus quidditate; secundo, de ipsius possibilitate; tertio, de ejus qualitate; quarto, de his, per quae homo Deo satisfacit.

(a. 2.) Satisfactio est actus justitiae . . . (a. 3.) *et* definitur in lib. de Eccl. dogm, c. 54 : *satisfactio est peccatorum causas excidere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere.*

(Q. 13.) DE SATISFACTIONIS POSSIBILITATE.

(a. 1.) Non potest homo Deo satisfacere, si ly *satis*, aequalitatem quantitatis importet ; contingit autem si importet aequalitatem proportionis . . . ut homo reddat quod potest, . . . et hoc sicut sufficit ad rationem justitiae, ita sufficit ad rationem satisfactionis.

(a. 2.) In quantum poena satisfactoria est ad medicinam sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri : quia ex jejunio unius, caro alterius non domatur ; nec ex actibus unius, alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, in quantum scilicet, aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiae, quae efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum. Sed hoc est per modum meriti, magis quam per modum satisfactionis. Sed quantum ad solutionem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint . . . Non *tamen* est permittendum, quod aliquis pro alio poenitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in poenitente, vel corporalis per quem fit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam poenam . . . Non *tamen* per contritionem unius, alius a culpa liberatur, . . . nec potest unus confiteri pro alio.

(Q. 14). DE QUALITATE SATISFACTIONIS.

(a. 1.) Homo non potest de uno peccato satisfacere sine alio . . . (a. 2.) Nec aliquis extra charitatem existens, potest satisfacere de peccatis ante contritis, *et dimissis* . . . (a. 3.) Cumque opera facta extra charitatem, nullo modo ex charitate processerint, vel de caetero procedere possint, nullo modo poterunt in satisfactionem computari . . . postquam charitatem habuerit.

(a. 4.) Opera *tamen* extra charitatem facta, ad triplex bonum valent, scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, et ad assuetudinem bonorum operum Quia tamen hoc meritum non proprie dicitur meritum, ideo magis concedendum est, quod hujusmodi opera non sint alicujus boni meritoria, quam quod sint . . .

(a. 5.) Ut *vero* Aug. dicit in Enchir. opera praedicta *quibus prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio* . . . Primo, quia homo reatum omissionis evadit, qui hujusmodi opera perficit: secundo, quia hujusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt, ut homo ex minori contemptu, peccata faciat.

(Q. 15.) DE HIS PER QUAE FIT SATISFACTIO.

(a. 1.) Oportet fieri satisfactionem, per opera poenalia . . . (a. 2.) Etiam flagella praesentis vitae sunt satisfactoria . . . in quantum *homo* ea acceptat ad purgationem peccatorum.

(a. 3.) Opera satisfactoria sunt: eleemosyna, jejunium, et oratio . . . Quidquid *autem* ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium re-

fertur: et quidquid in proximi utilitatem expenditur, totum eleemosynae rationem habet; et similiter quaecumque latria exhibetur Deo, orationis accipit rationem; et ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.

(Q. 16.) DE SUSCIPIENTIBUS SACRAMENTUM POENITENTIAE.

(a. 1.) Cum innocentes in statu innocentiae non habeant peccata commissa, quae sunt materia poenitentiae, sed possunt habere; actus poenitentiae in eis esse non potest, sed habitus potest: et hoc, si gratiam habeant cum qua omnes virtutes infunduntur . . . (a. 2.) *et quia* virtutes cardinales remanebunt in patria, sed secundum actus quos habent in fine suo; ideo cum poenitentiae virtus sit pars justitiae, quae est virtus cardinalis, quicumque habet habitum poenitentiae in hac vita, habebit in futura; sed non habebit eundem actum, quem nunc habet, sed alium, scilicet gratias agere Deo, pro misericordia relaxante peccata . . . (a. 3.) Angeli *vero,* susceptivi virtutis poenitentiae esse non possunt . . . in quibus peccata commissa non praecesserunt; sed in malis Angelis est; cum sit eadem ratio de ipsis, et de animabus damnatorum.

(Q. 17.) DE POTESTATE CLAVIUM.

Consequenter considerandum est de potestate ministrorum hujus sacramenti, quae ad claves pertinet. Circa quod, primo videndum est de clavibus. Secundo, de excommunicatione. Tertio, de indulgentia: haec enim duo sunt annexa potestati clavium.

(a. 1.) In Ecclesia sunt claves... Matth. 16. 19: *tibi dabo claves regni coelorum* . . . (a. 2.) Clavis *autem*, est potestas ligandi, et solvendi, qua *ecclesiasticus judex dignos recipere, indignos excludere debet a regno. Hieron.* sup. Matth. 16. . . . (a. 3.) Distinguuntur duae claves, quarum una pertinet ad judicium de idoneitate ejus, qui absolvendus est; et alia, ad ipsam absolutionem.

(Q. 18.) DE EFFECTU CLAVIUM.

(a. 1.) Solus Deus remittit per se culpam, et in virtute ejus agit instrumentaliter baptismus, ut instrumentum inanimatum, et sacerdos est instrumentum animatum, et ideo sacerdos agit ut minister. Et sic patet, quod potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpae, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione, et absolutione sacramentali, gratiam consequeretur, si obicem non poneret.

(a. 2.) Ex vi clavium, quae operantur in sacramento poenitentiae, non tota poena remittitur; sed aliquid de poena temporali, cujus reatus post absolutionem a poena aeterna remanere potuit: nec solum de poena illa, quam hic poenitens habet in confitendo, ut quidam dicunt: quia sic confessio, et sacramentalis absolutio, non essent nisi in onus, quod non competit sacramentis novae legis: sed etiam de illa poena, quae in purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet.

(a. 4.) Sacerdos *autem*, non potest ligare, et solvere secundum proprium arbitrium . . . *Sed* ad

actum clavium, requiritur discretio . . . *Et* poenae satisfactoriae in canonibus determinatae, non competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis, divino instinctu regulatum.

(Q. 19.) DE MINISTRIS CLAVIUM.

(a. 1.) Sacerdotes veteris legis non habebant claves, sed in eis clavium figura praecessit . . . quia eis erat commissum imponere poenam pro delictis, ut dicitur Levit. 5. (a. 2.) In Christo *autem*, oportet ponere clavem, sed altiori modo quam sit in ejus ministris: et ideo dicitur, quod habet clavem excellentiae.

(a. 3.) Clavis est duplex. Una, quae se extendit ad ipsum coelum immediate, removendo impedimenta introitus in coelum; per remissionem peccati, et quae vocatur clavis ordinis; et hanc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his, quae directe sunt ad Deum. Alia clavis, est quae non directe se extendit ad ipsum coelum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad coelum vadit, dum per eam aliquis excluditur, vel admittitur ad consortium Ecclesiae militantis, per excommunicationem, et absolutionem; et haec vocatur clavis jurisdictionis in foro causarum; et ideo hanc etiam non sacerdotes habere possunt; sicut archidiaconi, et electi, et alii, qui excommunicare possunt. Sed non proprie dicitur clavis coeli, sed quaedam dispositio ad ipsum.

Neque Reges habent aliquam potestatem in spiritualibus: et ideo clavem regni coelestis non accipiunt, sed solum in temporalibus, quae etiam nonnisi a Deo esse potest, ut patet Rom. 13. Nec per unctionem in aliquo sacro ordine consecrantur;

sed excellentia potestatis ipsorum a Christo descendere significatur, ut et ipsi sub Christo, in populo christiano regnent.

(a. 5.) *Etiam* mali sacerdotes usum clavium habent . . . (a. 6.) non *autem* schismatici, haeretici, excommunicati, suspensi, et degradati.

(Q. 20). DE HIS, IN QUOS USUS CLAVIUM EXERCERI POTEST.

(a. 1.) Ille, qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest uti clavibus in omnes; illi autem, qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clavibus, sed in eos tantum, qui eis in sortem venerunt: nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sacramenta sunt deneganda.

(a. 2.) Potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda. Sed quia ad usum hujusmodi potestatis requiritur jurisdictio, quae a majoribus in inferiores descendit; ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus judicium inferiori non committat: alias de quolibet potest simplex sacerdos absolvere, habens jurisdictionem.

(a. 3.) Superior potestatem dare potest alicui in seipsum; quamvis ipse in seipsum uti clavium potestate non possit, quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subjectum, et ita alium: sibi ipsi enim, aliquis subjectus esse non potest.

(Q. 21.) DE EXCOMMUNICATIONIS DEFINITIONE, CONGRUITATE, ET CAUSA.

Consequenter considerandum est de excommunicatione. De quo, primo, considerandum est de definitione excommunicationis, et congruitate, et

causa. Secundo, de eo, qui potest excommunicare, et excommunicari. Tertio, de participatione cum excommunicatis. Quarto, de absolutione ab excommunicatione.

(a. 1.) Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiae, quoad fructum, et suffragia generalia.

Ille, qui per baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo ascribitur, scilicet ad coetum fidelium, et ad participationem sacramentorum: et hoc secundum, praesupponit primum: quia in sacramentis participandis, etiam fideles communicant. Et ideo aliquis potest, extra Ecclesiam fieri per excommunicationem, dupliciter. Uno modo ita, quod separetur tantum a participatione sacramentornm: et haec est excommunicatio minor. Alio modo ita, quod excludatur ab utroque: et sic est excommunicatio major, quae hic definitur. Non autem potest esse tertium, scilicet quod excludatur a communione fidelium, et non a participatione sacramentorum, ratione jam dicta: quia scilicet fideles in sacramentis communicant. Sed excommunicatio fidelium, est duplex: quaedam in spiritualibus, sicut sunt mutuae orationes, et conventus ad sacra percipienda; quaedam in corporalibus actibus legitimis: quae quidem communicationes his versibus continentur:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os, scilicet ne osculum detur: *orare*, ne cum excommunicatis oremus: *vale*, ne salutentur: *communio*, ne scilicet in sacramentis cum ipsis aliquis communicet, *mensa negatur*, ne aliquis cum eis in mensa comedat. Praemissa ergo definitio, importat separationem a sacramentis, in hoc, quod dicit *quoad*

fructum; et a communione fidelium quantum ad spiritualia, in hoc quod dicit, *et suffragia Ecclesiae communia.* Alia autem definitio invenitur, quae datur secundum separationem ab utrisque actibus, quae talis est; *excommunicatio est a qualibet licita communione fidelium separatio.*

Quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab universitate fidelium, pro quibus suffragia facit, *ideo* suffragia Ecclesiae eis non prosunt, quae pro tota Ecclesia fiunt; nec ex persona Ecclesiae oratio pro eis inter membra Ecclesiae fieri potest; quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.

(a. 2.) Ecclesia debet aliquando excommunicare . . . Apostolus I. Cor. 4. mandat quemdam excommunicari, sive tradi Satanae. Praeterea Matth. 18. 17. dicitur de illo, qui Ecclesiam audire contemnit: *sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus.* Sed ethnici sunt extra Ecclesiam; ergo et illi, qui Ecclesiam audire contemnunt, per excommunicationem extra Ecclesiam sunt ponendi . . . Et Ecclesia in excommunicationis sententia divinum judicium imitatur. In quantum enim aliquem a communione fidelium separat, ut erubescat, imitatur divinum judicium, quo per flagella castigat; in quantum autem a suffragiis, et aliis spiritualibus separat, imitatur divinum judicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem se ipsum cognoscens, ad Deum redeat . . . In primitiva Ecclesia, quando oportebat per signa homines ad fidem invitare, sicut Spiritus Sancti donum visibili signo manifestabatur, ita et excommunicatio, corporali vexatione a diabolo innotescebat.

(a. 3.) Nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali; et quia in damnificando aliquem

corporaliter, vel in rebus temporalibus, aliquis mortaliter peccat, et contra charitatem facit; ideo pro damno temporali illato, Ecclesia aliquem excommunicare potest. Sed quia excommunicatio est gravissima poenarum, poenae autem medicinae sunt, sapientis autem medici est, a levioribus incipere medicinis, et minus periculosis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad judicium, vel ante terminationem judicii, sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo. Tunc enim, postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur; et excommunicari debet a judice, jam non habente quid contra ipsum faciat amplius.

(a. 4.) Utrum *vero* excommunicatio injuste lata aliquem effectum habeat, . . . respondeo, quod excommunicatio dici potest injusta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis; sicut cum ex odio, vel ex ira aliquis excommunicat; et tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet: quia iste juste patitur, quamvis ille injuste faciat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur sententia, juris ordine praetermisso: et tunc si sit talis error sententiae, qui sententiam nullam esse faciat, non habet effectum, quia non est excommunicatio; si autem talis error non annullet sententiam, habet effectum suum; et debet excommunicatus humiliter obedire, (et erit ei ad meritum) et vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem judicem recurrere; si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque, quod sit debita causa ex parte excommunicantis, quae non est debita ex parte excommunicati; sicut cum

aliquis pro falso crimine in judicio probato, excommunicatur: et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum... S. Greg. Hom. 26. in Ev: *sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est.*

(Q. 22.) DE HIS, QUI POSSUNT EXCOMMUNICARE, ET EXCOMMUNICARI.

(a. 1.) Illi soli possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc, soli Episcopi propria auctoritate, et majores Praelati, secundum communiorem opinionem, possunt excommunicare; sed presbyteri parochiales, nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus; sicut in furto, et rapina, et hujusmodi, in quibus est eis a jure concessum, quod excommunicare possint.

(a. 2) Etiam non sacerdotes, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.

(a. 3.) *Quia* excommunicatus usu jurisdictionis privatur, et quia excommunicatio est jurisdictionis, ideo excommunicatus excommunicare non potest: et eadem ratio est de suspenso a jurisdictione.

(a. 4.) *Quia* nullus habet in seipsum, vel in superiorem, vel aequalem, jurisdictionem: per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem, aut aequalem.

(a. 5.) Quia *non est Dei, qui judicat omnem terram, ut condemnet justum cum impio, ut dicitur* Gen. 18. ideo Ecclesia, quae Dei judicium imitari debet, satis provide statuit, ut communitas non excommunicetur, ne cum lolijs, et zizaniis, simul eradicetur et triticum . . . *Quod si* aliquando tota civitas interdicitur a divinis . . . dicendum, quod

suspensio non tanta poena est, quanta excommunicatio: quia suspensi non fraudantur Ecclesiae suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur: sicut et totum Regnum ponitur sub interdicto, pro peccato Regis. Et ideo non est simile de excommunicatione, et suspensione.

(a. 6.) Ille, qui excommunicatus est una excommunicatione, potest iterum excommunicari, vel per ejusdem excommunicationis iterationem, ad majorem sui confusionem, ut sic a peccato resiliat, vel propter alias causas.

(Q. 23.) DE PARTICIPATIONE CUM EXCOMMUNICATIS.

(a. 1.) Ut diximus, duplex est excommunicatio: una minor, quae separat tantum a participatione sacramentorum, sed non a communione fidelium, et ideo tali excommunicato licet communicare; sed non licet ei sacramenta conferre. Alia est major excommunicatio, et haec separat hominem a sacramentis Ecclesiae, et a communione fidelium. Et ideo, tali excommunicatione excommunicato, communicare non licet. Sed quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, et non ad interitum inducit, ideo excipiuntur ab hac generalitate quaedam, in quibus communicare licet, scilicet in his, quae pertinent ad salutem: quia de talibus homo licite potest cum excommunicato loqui; potest etiam et alia verba interserere, ut facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. Excipiuntur etiam quaedam personae, ad quas specialiter pertinet provisio excommunicati; scilicet uxor, filius, servus, rusticus, et serviens. Sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis: alias, tenerentur vitare Patrem. De aliis autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, si ante excommunica-

tionem se ei subdiderant, non autem si post. Quidam autem intelligunt e converso, scilicet quod superiores possunt licite communicare inferioribus. Alii vero contrarium dicunt. Sed ad minus in his communicare debent, in quibus sunt eis obligati; quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum. Sunt etiam quidam casus excepti; sicut quando ignoratur excommunicatio; et quando aliqui sunt peregrini, et viatores in terra excommunicatorum, qui licite possunt ab eis emere, vel etiam accipere elemosynam. Et similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate: quia tunc ex praecepto charitatis, tenetur ei providere. Et ista hoc versu continentur: *utile, lex, humile, res ignorata, necesse;* ut *utile* referatur ad verba salutis, *lex* ad matrimonium; *humile* ad subjectionem: caetera patent . . . *Nec opponas:* potestas clavium se extendit ad spiritualia tantum . . . dicendum *enim,* quod corporalia ad spiritualia ordinantur. Et ideo potestas quae se extendit ad spiritualia, etiam ad corporalia se extendere potest; sicut ars quae est de fine, imperat de his, quae sunt ad finem.

(a. 2.) Excommunicatio potest in aliquem ferri dupliciter; ita quod ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus; et tunc non est dubium quod quicumque participat ei, est excommunicatus majori excommunicatione: aut est excommunicatus simpliciter; et tunc aut participat aliquis ei in crimine, praebendo consilium, auxilium, aut favorem; et sic iterum est excommunicatus majori excommunicatione: aut participat in aliis, sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa: et sic est excommunicatus minori excommunicatione.

(a. 3.) Quidam dicunt, quod quandocumque aliquis participat excommunicato, vel verbo, vel quo-

cumque dictorum modorum, art. praec. secundum quos ei communicare non licet, peccat mortaliter: nisi in casibus a jure concessis. (c. Quoniam 11. Q. 111) Sed quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, et multis excommunicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur; ideo aliis probabilius videtur, quod non semper peccet mortaliter, sed solum quando in crimine illi participat, vel in divinis, vel in contemptum Ecclesiae.

Si objicias: Nullus debet excommunicari majori excommunicatione, nisi pro peccato mortali; sed aliquis secundum jura (C. III. IV. XVI. et seq. XI. Q. III.) potest excommunicari majori excommunicatione propter hoc, quod excommunicato participat; ergo participare excommunicato est peccatum mortale . . . dicendum, quod quamvis participare excommunicato sit peccatum veniale; tamen participare ei pertinaciter, est peccatum mortale. Et propter hoc, potest aliquis excommunicari secundum jura.

(Q. 24.) DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE.

(a. 1.) A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest a peccato participationis absolvere. Si autem sit major, aut est lata a judice; et sic ille, qui tulit, vel ejus superior potest absolvere; vel est lata a jure, et tunc Episcopus, vel etiam sacerdos potest absolvere; exceptis sex casibus, quos sibi juris conditor, scilicet Papa, reservavit. Primus est, quando aliquis injicit manus in clericum, vel in religiosum. Secundus est de illo, qui frangit ecclesiam, et est denuntiatus. Tertius est de illo, qui incendit ecclesiam, et denuntiatus est. Quartus est

de illo, qui in divinis communicat scienter, excommunicatis nominaliter a Papa. Quintus de illo, qui falsificat litteras sedis Apostolicae. Sextus de illo, qui excommunicatis in crimine communicat; non enim debet absolvi nisi ab eo, qui excommunicavit, etiamsi non sit ejus subditus: nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum, absolveretur ab Episcopo, vel a sacerdote proprio, praestita juratoria cautione, quod parebit mandato illius judicis, qui sententiam tulit.

A primo autem casu octo excipiuntur. Primus est in articulo mortis, in quo a qualibet excommunicatione potest quis a quolibet sacerdote absolvi. Secundus; si sit ostiarius alicujus potentis, et non ex odio, vel proposito percussit. Tertius, si percutiens, sit mulier. Quartus si sit servus, et dominus laederetur de ejus absentia, qui non est in culpa. Quintus, si regularis regularem percutiat; nisi sit enormis excessus. Sextus, si sit pauper. Septimus, si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius. Octavus, si habeat inimicitias capitales.

Sunt etiam alii septem casus, in quibus percutiens clericum excommunicationem non incurrit. Primo, si causa disciplinae, ut magister, vel Praelatus percusserit. Secundo, si jocosa levitate. Tertio, si invenerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, vel sorore, vel filia. Quarto, si statim vim vi repellat. Quinto, si ignoret eum esse clericum. Sexto, si inveniat eum in apostasia, post trinam admonitionem. Septimo, si transferat se clericus ad actum penitus contrarium, ut si fiat miles, vel ad bigamiam transeat.

(a. 2.) Excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitus ab ea absolvi poterit . . . *Et quia* excommunicationes non habent connexionem in aliquo, ideo possibile est, quod aliquis ab una absolvatur, et in altera remaneat.

(Q. 25.) DE INDULGENTIA SECUNDUM SE.

Consequenter considerandum est de indulgentia: et primo, de ea secundum se: secundo, de facientibus indulgentiam; tertio, de recipientibus eam.

(a. 1.) Indulgentiae valent et quantum ad forum ecclesiae, et quantum ad judicium Dei, ad remissionem poenae residuae post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. Ratio autem quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter; per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt, et praecipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum est autem supra q. 63. a. 2. quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia opera satisfactionis inveniuntur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt (alias, absque omni indulgentia consequeretur remissionem) sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apost. ait, se *adimplere ea, quae desunt passionum Christi in corpore suo, pro Ecclesia,* ad quam scribit. Colos. 1. Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem, quae sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus, qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest, distribuatur.

(a. 2.) Quaecumque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae, et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi . . . et indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei, et proximi utilitatem. Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, (ut quidam dicunt) nec divinae justitiae derogatur, quia nihil de poena dimittitur; sed unius poena, alteri computatur.

(a. 3.) *Quoniam* temporalia ad spiritualia ordinantur: quia propter spiritualia debemus uti temporalibus: ideo pro temporalibus simpliciter, non potest fieri indulgentia; sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est, repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant, sicut constructio ecclesiarum, et pontium, et aliarum eleemosynarum largitio.

(Q. 26.) DE IIS, QUI POSSUNT INDULGENTIAS FACERE.

(a. 1.) Sacerdotes parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi praelati, non possunt indulgentias facere, ... (a. 2.) *Verum, quia* potestas faciendi indulgentias, sequitur jurisdictionem, et quia diaconi, et alii non sacerdotes possunt habere jurisdictionem vel commissam, sicut legati, vel ordinariam, sicut electi; ideo possunt indulgentias facere etiam non sacerdotes; quamvis non possint absolvere in poenitentiali foro; quod est ordinis.

(a. 3.) *Quia* autem Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno; et Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices

singulis civitatibus praepositi: propter quod eos solos in suis litteris Papa *fratres* vocat; reliquos autem omnes, vocat *filios;* ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa: quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papae, et ideo possunt facere, secundum quod eis est taxatum, et non amplius.

(a. 4.) *Quia* indulgentiae fiunt per potestatem praelatis Ecclesiae traditam; et peccatum mortale non tollit potestatem, sed bonitatem; *ideo* potest aliquis in peccato mortali existens, indulgentias facere.

(Q. 27.) DE IIS, QUIBUS VALENT INDULGENTIAE.

(a. 1.) Non valent existentibus in peccato mortali, et ideo in omnibus indulgentiis, fit mentio de vere contritis, et confessis . . . (a. 3.) *Similiter* si aliquis non facit hoc, pro quo indulgentia datur, quod est indulgentiae causa, indulgentiam non consequitur . . . (a. 4.) neque potest quis facere indulgentias sibi tantum; sed potest uti indulgentia, quam pro aliis facit . . . et ita etiam Episcopus potest accipere sibi suffragia Ecclesiae, quae aliis dispensat.

(Q. 28.) DE SOLEMNI RITU POENITENTIAE.

(a. 1.) Quia medicina debet respondere morbo; et peccatum quandoque est publicum, quod multos ad exemplum peccandi trahit; *ideo* et poenitentia, quae est medicina ejus, debet esse publica, et solemnis, qua multi aedificentur.

(a. 2.) Poenitentia solemnis, tantum semel debet fieri . . . Si tamen postmodum peccavit, non clau-

ditur ei locus poenitentiae, sed poenitentia solemnis iterum ei injungenda non est.

(a. 3.) Omnis solemnis poenitentia est publica; sed non convertitur. Poenitentia enim solemnis, hoc modo fit. *In capite Quadragesimae, tales poenitentes praesentant se cum presbyteris suis, Episcopo civitatis ante fores ecclesiae, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, coma deposita: et eis in ecclesiam introductis, Episcopus cum omni clero septem psalmos poenitentiales dicit, et postmodum eis manum imponit, aquam benedictam super eos spargit, et cinerem capitibus superponit, cilicio colla eorum operit, et denuntiat eis lacrymabiliter, quod sicut Adam ejectus est de paradiso, ita ipsi de ecclesia ejiciuntur. Postea jubet ministris, ut eos ab ecclesia pellant, clero eos prosequente cum hoc responsorio:* in sudore vultus tui etc. *In coena autem Domini, quolibet anno a suis presbyteris in ecclesiam reducuntur, et erunt ibi usque ad octavam Paschae, ita tamen, quod non communicabunt, neque pacem accipient. Et sic fiet quolibet anno, quousque aditus ecclesiae est eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reservatur Episcopo, ad quem solum spectat solemnis poenitentiae impositio.* (Haec habentur c. 64. Dist. 50.) Potest autem imponi viris, et mulieribus, sed non clericis propter scandalum. Non autem talis poenitentia debet imponi nisi pro peccato, quod totam commoverit urbem. Publica autem et non solemnis poenitentia est, quae in facie Ecclesiae fit, sed non cum solemnitate praedicta; sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, et hoc potest iterari, et a simplici sacerdote injungi: et potest etiam clerico imponi. Tamen quandoque solemnis poenitentia accipitur pro publica. Et secundum hoc, auctoritates quaedam varie loquuntur de solemni.

(Q. 29.) DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS, QUANTUM AD IPSIUS ESSENTIAM, ET INSTITUTIONEM.

V. Append. C. IV. §. 6.

Post haec, considerandum est de sacramento extremae Unctionis: de quo quinque videnda sunt. Primo, de essentialibus ipsius, et de ejus institutione. Secundo, de effectu ipsius. Tertio, de ministro ipsius. Quarto, de eo, cui conferri debet, et in qua parte. Quinto, de ejus iteratione.

(a. 1.) Extrema Unctio est quaedam spiritualis medicina, quia valet ad remissionem peccatorum, ut habetur Jacobi 5. Ergo est sacramentum . . . . (a. 2.) *Et sicut* plures immersiones sunt unum sacramentum baptismi; *ita* et plures unctiones extremae unctionis, sunt unum sacramentum . . *Sane* curatio interiorum vulnerum, non potest perfecte significari, nisi per appositionem medicinae, ad diversas vulnerum radices; et ideo plures actiones sunt de perfectione hujus sacramenti.

(a. 3.) Quidam dicunt, quod sacramentum istud et confirmationis, Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit: quia haec duo propter plenitudinem gratiae, quae in eis confertur, non potuerunt ante ipsius Spiritus Sancti missionem plenissimam institui. Unde sunt ita sacramenta novae legis, quod in veteri lege figuram non habuerunt. Sed haec ratio non multum cogit, quia sicut Christus ante Passionem suam promisit plenam Spiritus Sancti missionem; ita potuit instituere haec sacramenta. Et ideo alii dicunt, quod omnia sacramenta Christus instituit per se ipsum; sed quaedam per seipsum promulgavit, quae sunt majoris difficultatis

ad credendum; quaedam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut extremam unctionem, et confirmationem. Et haec opinio pro tanto videtur probabilior; quia sacramenta ad fundamentum legis pertinent; et iterum quia ex institutione efficaciam habent, quae in eis nonnisi divinitus inest.

(a. 4.) Jacobi 5. oleum materia hujus sacramenti determinatur. Sed oleum proprie non dicitur, nisi oleum olivae. Ergo hoc est materia hujus sacramenti... (a. 5) oportet oleum esse consecratum... (a. 6.) per Episcopum . . . *quia* in omnibus sacramentis, quae indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiae fit per Episcopum, et usus quandoque per sacerdotem; ut ostendatur sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata.

(a. 7.) Sicut communiter dicitur, hoc sacramentum habet formam determinatam, sicut et alia sacramenta... unde Jacobus c. 5. totam vim hujus sacramenti videtur constituere in oratione, quae est forma hujus sacramenti: (a. 8.) inquit enim *oratio fidei salvabit infirmum* . . . . forma *ideo* hujus sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, et ex usu Romanae Ecclesiae, quae solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti . . . . *per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum etc.*

(Q. 30.) DE EFFECTU HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Dicitur Jacobi 5. 15. *Si in peccatis sit dimittentur eis . . . scilicet* principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum, quoad reliquias peccati, et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.

(a. 2.) Ex hoc *autem* sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis . . . *licet* hoc sacramentum ex sua forma habet efficaciam, quantum est de se, ad sanationem corporalem.

(a. 3.) *Quia* hoc sacramentum est solum in remedium, et non deputatur per ipsum homo ad aliquid sacrum agendum, vel suscipiendum; ideo non imprimitur in eo character.

(Q. 31.) DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Laicus non potest hoc sacramentum conferre . . . (a. 2.) Nec diaconi . . . unde dicitur Jacobi 5. 14. *Inducat presbyteros Ecclesiae* . . . (a. 3.) Et ideo per simplices sacerdotes potest administrari.

(Q. 32.) QUIBUS HOC SACRAMENTUM CONFERRI DEBEAT, ET IN QUA PARTE CORPORIS.

(a. 1.) Hoc sacramentum sanis conferri non debet . . . (a. 2.) neque in qualibet infirmitate, . . sed illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium.

(a. 3.) Illis qui non possunt recognoscere, et cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet, et praecipue furiosis et amentibus, qui possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere: nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum cognoscerent: et sic eis conferri in statu illo posset.

(a. 4.) Quoniam forma hujus sacramenti non competit pueris: quia non peccaverunt per visum, et auditum, ut in forma exprimitur; ergo eis dari non debet hoc sacramentum.

(a. 5.) Unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum in quibus est radix spiritualis infirmitatis . . . (a. 6.) Ideo inunguntur loca quinque sensuum; scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum praecipue viget, et propter vim appetitivam inunguntur aliquibus renes; pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius ejus instrumentum.... (a. 6.) Mutilati etiam inungi debent, quanto propinquius fieri potest ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat.

(Q. 33.) DE ITERATIONE HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Quia sanitas corporis et mentis, quae est effectus hujus sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta; ideo hoc sacramentum sine sui injuria potest iterari.

(a. 2.) Utrum *vero* in eadem infirmitate debeat iterari . . . dicendum, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam aestimationem videntur morti appropinquare. Quaedam autem infirmitates non sunt diuturnae: unde si in eis datur hoc sacramentum tunc quando homo ad statum illum pervenit quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata: et ita non debet iterum inungi. Sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas; et poterit fieri alia inunctio. Quaedam vero sunt aegri-

tudines diuturnae, ut hectica, hydropisis, et hujusmodi: et in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: et si homo illud periculum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam aegritudinem reducatur, iterum potest inungi: quia jam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

(Q. 34. DE SACRAMENTO ORDINIS QUOAD EJUS EFFICACIAM, ET EJUS PARTES.

Post haec considerandum est de sacramento ordinis. Et primo de ordine in communi. Secundo de distinctione ordinum. Tertio de conferentibus ordinem. Quarto de impedimentis ordinandorum. Quinto de his quae sunt ordinibus annexa.

De ipso eutem ordine in communi tria videnda sunt. Primo de ejus entitate, et quidditate, et partibus ejus. Secundo de ejus effectu. Tertio de suscipientibus ipsum.

(a. 2.) Ordo a Magistro IV Sent. dist. 24. definitur: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato* ... (a. 3.) Cumque in susceptione ordinis quaedam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum.

(a. 4.) *Quia* hoc sacramentum principaliter consistit in potestate tradita, potestas autem a potestate traducitur, sicut simile ex simili: et iterum potestas per usum innotescit, quia potentiae notificantur per actus; ideo in forma ordinis exprimitur usus ordinis per actum qui imperatur; et exprimitur traductio potestatis per imperativum modum.

(a. 5) Efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, quae virtutem divinam et significat, et continet, ex sanctificatione per ministrum adhibita; sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat. Materia autem adhibetur magis ad demonstrandum potestatem quae traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam: quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis.

(Q. 35.) DE EFFECTU HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem.

(a. 2.) Cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus ordinibus character imprimatur, cujus etiam signum est quod perpetuo manent, et nunquam iterantur.

(a. 3.) *Quia* qui characterem baptismalem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest, sic character ordinis baptismalem characterem praesupponit... (a. 4.) De congruitate *autem* character ordinis characterem confirmationis praesupponit, et non de necessitate.

(a. 5.) Nec est de necessitate superiorum ordinum quod aliquis minores ordines prius habeat, quia potestates sunt distinctae, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto. Et ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant: et tamen poterant omnia quae

inferiores ordines possunt: quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est, quod ad majores ordines se non ingerat qui prius minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum, secundum canones, non reordinantur; sed id quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus ei confertur.

(Q. 36.) DE QUALITATE SUSCIPIENTIUM HOC SACRAMENTUM.

(a. 1.) Sanctitas vitae requiritur ad ordinem de necessitate praecepti, sed non de necessitate sacramenti: unde si malus ordinatur nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato.

(a. 2.) Talis scientia requiritur in eo qui debet ad ordines promoveri, non ut universaliter in tota sacra Scriptura sit instructus, sed plus vel minus, secundum quod ad plura vel pauciora se ejus officium extendit . . . (a. 4.) et indignos promovens mortaliter peccat.

(a. 5.) Quicumque *etiam* cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin indigne illud faciat; unde patet quod mortaliter peccat.

(Q. 37.) DE DISTINCTIONE ORDINUM, ET EORUM ACTIBUS, ET CHARACTERIS IMPRESSIONE.

(a. 2.) Sunt septem ordines... distinctio *autem* ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas ordinis aut est ad con-

secrationem ipsius Eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiae. Si primo modo, sic est ordo sacerdotum: et ideo cum ordinantur accipiunt calicem cum vino, et patenam cum pane, accipientes potestatem conficiendi corpus et sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit: et hoc pertinet ad diaconum. Unde ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi; unde et ipse Christi sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti: et hoc pertinet ad subdiaconos: unde vasa corporis et sanguinis Domini portant, et oblationem in altari ponunt: et ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. Tertio est ministerium ordinatum ad praesentandam materiam sacramenti: et hoc competit acolyto. Ipse enim urceolum cum vino et aqua praeparat: unde accipit urceolum vacuum. Sed ministerium ad praeparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos: quia qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dionysium c. 3. Eccl. Hier. Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes; et hi totaliter etiam a visione divinorum, et a caetu fidelium arcendi sunt: et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni, et ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum: et ideo prima rudimenta

doctrinae fidei, scilicet vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles, et instructi, sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scilicet energumeni; et ad hoc ministerium est ordo exorcistarum, et sic patet ratio et numeri, et gradus ordinum.

(a. 3.) Ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo secundum se: et sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiae circa quam habet aliquem actum circa rem consecratam; et sic sunt tres tantum ordines sacri, scilicet sacerdotium, diaconatus, et subdiaconatus.

(a. 4.) Quia ad Eucharistiae sacramentum, quasi dignissimum, multa ordinantur; ideo non est inconveniens ut praeter principalem actum, etiam multos actus unus ordo habeat, et tanto plures, quanto est eminentior, quia virtus quanto est superior, tanto ad plura se extendit.

(a. 5.) Quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi; ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur . . . *Si dicatur* quod Dominus dedit discipulis sacerdotalem potestatem, quando dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc. Joan. 20. 22: sed Spiritus Sanctus datur per manuum impositionem, ergo et in ipsa manus impositione imprimitur character ordinis . . . dicendum, quod Dominus discipulis dedit potestatem sacerdotalem, quantum ad principalem actum, ante passionem in coena, quando dixit: *Accipite et manducate*: unde subjunxit: *hoc facite in meam commemorationem*. Luc. 22. 19. Sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere.

(Q. 38.) DE CONFERENTIBUS HOC SACRAMENTUM.

(a. 1.) Tantum Episcopus in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, et vasa, quibus uti debent, eis determinat sua consecratione; sicut et officia saecularia in civitatibus distribuuntur ab illo qui habet excellentiorem potestatem, sicut a Rege . . . Papa *vero* qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent: dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi: et ideo ex ejus commissione aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines, et confirmare, non autem aliquis non sacerdos; nec iterum sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos.

(a. 2.) Praecisi ab Ecclesia possunt ordines conferre, et alia sacramenta; dummodo formam debitam et intentionem servent . . . sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae.

(Q. 39.) DE IMPEDIMENTIS HUJUS SACRAMENTI.

(a. 1.) Cum in sexu faemineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subjectionis habet, ideo non potest ordinis sacramentum suscipere.

(a. 2.) Aliqui, si necessitas adsit et spes profectus, ad minores ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, et suscipiunt or-

dinem: quia quamvis tunc non sint idonei ad officia quae eis committuntur; tamen per assuefactionem idonei reddentur. Sed ad majores ordines requiritur usus rationis et de honestate, et de necessitate praecepti, et propter votum continentiae quod habent annexum, et quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur.

(a. 3.) Servus qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines pomoveri. Si tamen promovetur ordinem suscipit.

(a. 4.) De necessitate praecepti est *etiam* quod non sit homicida qui ad ordines promovetur; quamvis non sit de necessitate sacramenti . . . Judex *etiam* et omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares, propter hoc quod effusio sanguinis non decet ministros dicti sacramenti . . . Ille vero qui ignorans hominem occidit homicidio casuali, *non* dicitur homicida; nec irregularitatem incurrit, nisi operam dederit illicitae rei, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo fit voluntarium. Non autem est propter hoc quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. Et ideo etiam ille qui se defendendo in aliquo casu non peccat homicidium committens, nihilominus irregularis est.

(a. 5.) Requiritur etiam *quod* sint bonae famae, bonis moribus ornati, non publice poenitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam ex illegitimo toro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: et tanto difficilior est eorum dispensatio, quanto eorum origo est turpior.

(a. 6.) Patientes *etiam* defectum in membris impediuntur a susceptione ordinis, si sit talis defectus qui maculam notabilem inferat, per quam obscuretur personae claritas (ut abscissio nasi) vel

periculum in executione facere possit; alias non impediuntur. Haec autem integritas exigitur de necessitate praecepti, sed non de necessitate sacramenti.

(Q. 40.) DE HIS QUAE SUNT ANNEXA SACRAMENTO ORDINIS.

(a. 1.) Eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura, et tonsura in modum coronae, ratione figurae: quia corona est signum regni et perfectionis, cum sit circularis: illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur, et ex parte interiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur . . . In veteri Testamento . . . Nazaraei profitebantur perfectionem quamdam in depositione comae, significantes temporalium contemptum; quamvis non in modum coronae deponerent, sed omnino totum, quia nondum erat tempus regalis, et perfecti saeerdotii.

(a. 2.) Non autem corona est ordo sed praeambulum ad ordinem . . . (a. 3.) Clerici in hoc quod coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, nec aliis rebus temporalibus: quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur, sed nimia eorum solicitudo; quia ut dicit Greg. X. Mor. c. 18 *affectus in crimine est, non census.*

Si dicas: Levitae non acceperunt partem haereditatis cum fratribus suis, Deut. 10, 18, ergo nec ministri novi Testamenti habere debent . . . Resp. quod Levitae in V. T. habebant jus in haereditate

paterna; sed ideo non acceperunt partem cum aliis tribubus, quia erant per omnes tribus dispergendi, quod fieri non potuisset, si unam determinatam partem terrae accepissent, sicut aliae tribus.

(a. 4.) Sacerdos habet duos actus: unum principalem, sc. consecrare corpus Christi: alterum secundarium sc. praeparare populum Dei ad susceptionem hujus sacramenti, ut prius dictum est q. 37, a. 2, in corp. et art. 4. Quantum autem ad primum actum, potestas sacerdotis non dependet ab aliqua posteriori potestate, et humana. Omnis enim potestas, quae non potest exire in actum, nisi praesuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate, quae illas ordinantes facit. Sacerdos autem non potest absolvere et ligare, nisi praesupposita praelationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi, quos absolvit: potest autem consecrare quamlibet materiam a Christo determinatam: nec aliud requiritur quantum est de necessitate sacramenti; quamvis ex quadam congruitate praesupponatur actus Episcopalis in consecratione altaris et vestium, et hujusmodi; et ita patet, quod oportet esse potestatem Episcopalem supra sacerdotalem, quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum.

(a. 5.) Utrum Episcopatus sit ordo, . . . dicendum quod ordo accipi potest dupliciter. Uno modo secundum quod est sacramentum: et sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae sacramentum. Unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc Episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum: et sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, Episcopatus erit ordo.

(a. 6.) Cum *autem* tota Ecclesia sit unum corpus, oportet si unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae supra potestatem Episcopalem, qua unaquaeque specialis Ecclesia regitur: et haec est potestas Papae. Et ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesiae. Et inter Episcopum simplicem, et Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus unionis, secundum quod una congregatio, vel communitas includit aliam; sicut communitas provinciae includit communitatem civitatis, et communitas regni communitatem unius provinciae, et communitas totius mundi includit communitatem unius regni.

(a. 7.) Vestes ministrorum designant idoneitatem quae in eis requiritur ad tractandum divina. Et quia quaedam sunt quae in omnibus requiruntur, et quaedam requiruntur in superioribus quae non ista exiguntur in inferioribus; ideo quaedam vestes sunt omnibus ministris communes, quaedam autem superioribus tantum.

(Q. 41.) DE SACRAMENTO MATRIMONII IN QUANTUM EST OFFICIUM NATURAE.

Vide Append. C. IV. §. 8.

Post haec considerandum est de matrimonio: et primo agendum est de eo, in quantum est officium naturae. Secundo in quantum est Sacramentum. Tertio in quantum absolute, et secundum se consideratur.

(a. 1.) Matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. Primo in quantum ad principalem ejus finem, qui est bonum

prolis. Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed traductionem, et promotionem usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est; qui est virtutis status. Unde secundum philosophum *tria* a parentibus habemus, scilicet *esse, nutrimentum, et disciplinam.*

Filius autem a Patre educari, et instrui non posset, nisi determinatos et certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit. Secundo quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum.

(a. 2.) Matrimonium non cadit sub praecepto... natura *enim* humana communiter ad diversa officia et actus inclinat... Et ex hac diversitate simul cum divina providentia, quae omnia moderatur, contingit quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, alius aliud. Et sic etiam contingit quod quidam eligant matrimonialem vitam, et quidam contemplativam; nec ullum periculum *societati* imminet.

(a. 3.) Actus matrimonii est licitus . . . (a. 4.) Et si ad actum matrimonialem virtus inducat vel justitiae, ut debitum reddat, vel religionis ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius. Si autem moveat libido sistens intra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale; si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quacumque muliere idem facere proponeret, est peccatum mortale. Natura autem non potest movere quin vel ordinetur ratione, et sic erit motus virtutis; vel non ordinetur, et sic erit motus libidinis.

(Q. 42.) DE MATRIMONIO IN QUANTUM EST SACRAMENTUM.

(a. 1.) *Quia* sacramentum importat aliquod remedium sanctitatis homini contra peccatum exhibitum per sensibilia signa, *ideo* cum hoc inveniatur in matrimonio, inter sacramenta computatur. Est enim sacrae rei signum, *quia* significat conjunctionem Christi et Ecclesiae, et *sic* dicitur Ephes. 5, 33. *Sacramentum hoc magnum est.* Verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quae est quoddam sacramentale. Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi; ita est de matrimonio . . . Res et sacramentum est obligatio, quae innascitur viri ad mulierem, ex talibus actibus; sed res ultimo contenta est effectus hujus sacramenti, *seu gratia*; non contenta autem est res *significata* unionis Christi ad Ecclesiam.

(a. 2.) Matrimonium secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quae erat necessaria etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum; secundum autem quod remedium praebet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturae; secundum autem determinationem personarum institutionem habuit in lege Moysi; sed secundum quod repraesentat mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiae institutionem habuit in nova lege: et secundum hoc est sacramentum novae legis. Quantum vero ad alias utilitates quae ex matrimonio consequuntur sicut est amicitia, et mutuum obsequium sibi a conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de ra-

tione sacramenti est quod sit signum et remedium, ideo quantum ad medias institutiones competit ei ratio sacramenti; sed quantum ad primam institutionem, competit ei quod sit officium naturae; quantum vero ad ultimam, quod sit officium civilitatis.

(a. 3.) Matrimonium in quantum in fide Christi contrahitur habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda, quae in matrimonio requiruntur... Et ista gratia data, est ultima res contenta in hoc sacramento . . Actus *enim* exteriores, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii: et hujusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam.

(a. 4.) *Quia* in paradiso fuit matrimonium *quamvis* ibi non fuit carnalis copula, *ideo* commixtio carnalis non est de integritate matrimonii . . . *est* enim de secunda perfectione, non de prima.

(Q. 43.) DE MATRIMONIO QUANTUM AD SPONSALIA.

Consequenter considerandum est de matrimonio absolute considerato: ubi primo agendum est de sponsalibus; secundo de matrimonii ratione: tertio de ejus causa efficiente, scilicet de consensu; quarto de ejus bonis; quinto de impedimentis ipsius; sexto de secundis nuptiis; septimo de quibusdam matrimonio annexis.

(a. 1.) Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio . . . Fit autem ista promissio dupliciter scilicet absolute, et sub conditione. Absolute quatuor modis. Primo nuda promissio, ut cum dicitur: *accipiam te in meam* vel e converso. Secundo datis arrhis sponsalitiis, ut pecunia, vel aliquo hujusmodi.

Tertio annuli subarrhatione. Quarto interveniente juramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione distinguendum est: quia aut est conditio honesta, ut cum dicitur: *accipiam te si parentibus placeat:* et tunc stante conditione stat promissio, et non stante non stat: aut est inhonesta, et hoc dupliciter: quia aut est contraria bonis matrimonii: *accipiam te si venena sterilitatis procures:* et tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis matrimonii: ut si dicam: *accipiam te si furtis meis consentias:* et tunc stat promissio; sed tollenda est conditio.

(a. 2.) Septennium est tempus determinatum a jure sponsalibus contrahendis . . . *Sane* quia puella in duodecimo anno ad hoc venit ut possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii; simul autem usum discretionis accipiunt, qui tantum in sponsalibus requiritur; ideo in sponsalibus determinatur unum tempus utrique, non autem in matrimonio.

(a. 3.) Cum quis ad religionem confugit, et cum alter conjugum cum altero per verba de praesenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur; sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiae . . . *puta* si alter conjugum ad longinquam regionem se transfert, . . . si aegritudinem aliquis incurrit post contracta sponsalia, . . propter affinitatem supervenientem, utpote si sponsus consanguineam sponsae fornicario concubitu cognoscat . . . si se invicem absolvant . . . . propter alterius fornicationem . . . propter defectum aetatis.

(Q. 44.) DE MATRIMONII DEFINITIONE.

(a. 3.) In matrimonio est tria considerare. Primo essentiam ipsius, quae est conjunctio: et secundum hoc nominatur *conjugium*. Secundo causam ejus, quae est desponsatio: et secundum hoc vocatur *nuptiae* a *nubo*: quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur. Tertio effectum qui est proles: et sic dicitur *matrimonium*, ut Aug. dicit contra Faustum I. 19. c. 26. *ex hoc quod mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut sit mater*. Potest etiam matrimonium quasi *matris munium*, idest officium dici, quia feminis incumbit maxime educandae prolis officium.

(a. 3.) Matrimonium definitur in littera IV. dist. 27. *maritalis conjunctio inter legitimas personas.*

(Q. 45.) DE CONSENSU MATRIMONII SECUNDUM SE.

Consequenter considerandum est de consensu. Ubi primo agendum est de ipso consensu secundum se considerato. Secundo de consensu juramento vel carnali copula firmato. Tertio de consensu coacto, et conditionato. Quarto de objecto consensus.

(a. 1.) Consensus facit matrimonium . . . (a. 2.) oportet *autem* quod consensus matrimonium faciens verbis exprimatur . . . *vel saltem* nutibus . . . *vel* si in desponsatione non contradicant . . . sicut quando puella tacet prae verecundia, parentibus eam viro tradentibus, . . verba parentum computantur in casu illo, ac si essent puellae: sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus, ex quo non contradicit.

(a. 3.) Consensus *vero* expressus per verba de futuro non facit matrimonium, . . sed sponsionem ejus, quae *sponsalia* nominatur.

(a. 4.) Consensus etiam per verba de praesenti expressus, si desit interior consensus, non facit matrimonium. Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi evidentia doli appareat: quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi probetur contrarium: unde ille ex cujus parte dolus non est, a peccato excusatur per ignorantiam si matrimonio utatur: *et* si aliquis probatur per verba de praesenti in aliquam consensisse, *et* cogatur per excommunicationis sententiam ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse, etiamsi postea cum alia contraxerit cum sensu mentali verbis expresso, . . . dicendum, quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore: quia secundum ea judicat quae foris apparent; nec decipitur in justitia, sive jure, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedat; vel debet in alias regiones remotius fugere.

(a. 5.) Sive autem consensus fiat in publico sive in occulto, matrimonium sequitur, . . . quia quicumque est sui juris potest se alteri obligare; et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia Sacramenti . . . Prohibentur autem clandestina matrimonia propter pericula quae inde evenire solent: quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte: frequenter etiam ad alia conjugia transeunt dum poenitent de his quae subito facta sunt, et multa alia mala inde accidunt: et speciem turpitudinis propter hoc habent. (*Nota* Concilium Tridentinum sessione 24. in decreto de reformatione matrimonii, c. 1. *declarat* clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata

et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. *Jnnovat ideo decreta Lateranensis Conçilii circa solemnitatem matrimonii, trinas denuntiationes publicas Ordinarii prudentiae et judicio relinquit, sed subdit:* Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat, *gravissimis de causis in hoc decreto contentis.*

(Q. 46.) DE CONSENSU CUI ADVENIT JURAMENTUM VEL COPULA CARNALIS.

(a. 1.) Juramentum adiunctum consensui per verba de futuro expresso non facit matrimonium, (a. 2.) Carnalis *autem* copula post verba de futuro consensum exprimentia facit matrimonium . . . cum nihil possit expressius significare consensum quam carnalis copula *(ante Tridentinum ut supra) sed* in foro conscientiae si consensus mentalis deesset, non faceret matrimonium.

(Q. 47.) DE CONSENSU COACTO, ET CONDITIONATO.

(a. 3.) Consensus coactus tollit matrimonium... Coactio, *scilicet* metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia. Constans autem vir judicatur virtuosus . . . *et solum* ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali.

(a. 5.) Si *conditio apponatur* de praesenti, et non contraria matrimonio, sive sit honesta, sive non

honesta, stat matrimonium stante conditione, et ea non stante non stat. Sed si sit contraria bonis matrimonii, non efficitur sacramentum; sicut etiam de sponsalibus dictum est, q. 43. a. 1. Si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut solem oriri cras; et tunc est matrimonium, quia talia futura sunt praesentia in causis suis: aut est contingens ut datio pecuniae, vel acceptatio parentum: et tunc idem est judicium de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro: unde non facit matrimonium.

(a. 6.) Cum in matrimonio sit quaedam servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per praeceptum; sed potest eum inducere ex rationabili causa: et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad praeceptum patris; ut scilicet si causa illa cogat de necessitate, vel de honestate, et praeceptum patris similiter cogat; alias non.

(Q. 48.) DE OBJECTO CONSENSUS.

(a. 1.) Consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite non explicite: non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa: quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae, sicut potestas utendi re sua est causa usus.

(a. 2.) Quia causae per accidens sunt infinitae; ideo infinite tales causae possunt esse in matrimonio, quarum sunt quaedam honestae; quaedam inhonestae .... Ille *tamen* qui intendit matrimonium contrahere, quamvis matrimonium non ordinet ad illum finem quem Ecclesia intendit, nihilominus verum matrimonium contrahit.

(Q. 49.) DE BONIS MATRIMOMII.

(a. 2.) Bona matrimonii sunt fides, proles, et sacramentum . . . (a. 4.) Et haec bona sufficienter actum matrimonii excusant.

(a. 5.) Duobus *autem* solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandae prolis, et debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale. Oportet *autem* quod intentio naturae quae prolem intendit, referatur actu vel habitu ad intentionem prolis, prout est bonum sacramenti; alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest . . . . Quod si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum: quia haec est quaedam redditio debiti, quae ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas: et secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quae est de peccatis venialibus . . . *Pariter* quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum; tamen haec intentio efficitur mala si ex aliquo sanitas intendatur quod non est ad hoc de se ordinatum; sicut qui ex sacramento baptismi tantum salutem corporalem quaereret; similiter etiam est in proposito in actu matrimonii.

(a. 6.) Si delectatio quaeratur ultra honestatem matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux, est peccatum mortale: et ideo talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur. Si autem quaeratur de-

lectatio intra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quaereretur quam in conjuge, sic est veniale peccatum.

(Q. 50.) DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERALI.

Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii. Primo in generali, Secundo in speciali.

(a. unicus) in matrimonio sunt quaedam quae sunt de essentia matrimonii, et quaedam quae sunt de solemnitate ejus, sicut et in aliis sacramentis. Et quia remotis his quae sunt de solemnitate ejus, sicut et in aliis sacramentis, adhuc manet verum sacramentum, ideo impedimenta quae contrariantur his quae sunt de solemnitate hujus sacramenti, non efficiunt quin sit verum sacramentum: et talia dicuntur impedire matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum; sicut prohibitio Ecclesiae, et tempus feriatum. Unde versus:

Ecclesiae vetitum, necnon tempus feriatum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Impedimenta autem, quae contrariantur his quae sunt de essentia matrimonii, faciunt ut non sit verum matrimonium: et ideo dicuntur non solum impedire contrahendum, sed dirimere jam contractum: quae his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sit affinis; si forte coire nequibis,
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

(Nunc quia quindecim sunt impedimenta dirimentia matrimonium ab Ecclesia constituta, post secundum versum ponitur aetas, affinis, si clandestinus, et impos, raptave sit mulier, parti nec redditae tutae).

Dices: lex humana non potest (ut videtur) matrimonio impedimenta praestare, quia matrimonium non est ex institutione humana, sed divina, sicut et alia sacramenta. *Resp.* Matrimonium, in quantum est officium naturae statuitur lege naturae; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima. Nec est similis de aliis sacramentis, quae sunt sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diversos status recipit determinationes diversas, et jus positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus; ideo Magister Sentent. IV, dist. 34, ponit in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse.

(Q. 51.) DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

(a. 1.) Quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus, et per consequens in matrimonio. Et sic error de jure naturali habet quod evacuet matrimonium.

(a. 2.) Oportet quod error, qui matrimonium impedit sit alicujus eorum quae sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit ipsum matrimonium, scilicet personas duas quae conjunguntur, et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. Primum autem tollitur per errorem personae; secundum per errorem conditionis: quia servus non potest potestatem sui corporis libere alteri tradere

sine consensu sui domini, et propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, et non alii.

Diversitas fortunae non variat aliquid eorum quae sunt de essentia matrimonii, nec diversitas qualitatis, sicut facit conditio servitutis; et ideo *non dirimunt*.

Pariter error nobilitatis, inquantum hujusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione qua nec error qualitatis. Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium, si autem directe intendit consentire in filium Regis, quicumque sit ille, tunc si alius praesentetur ei quam filius Regis, est error personae, et impeditur matrimonium.

(Q. 52.) DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS SERVITUTIS.

(a. 1.) Conditio servitutis ignorata impedit matrimonium, non autem servitus scita. *Quod* si servus contrahat cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium . . . quia non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit praestare. (a. 2.) Servus *autem* potest libere matrimonium contrahere, etiam domino nesciente, et contradicente. (a. 3.) Vir *quoque*, nolente uxore, potest se alteri in servum dare, nec tamen ex hoc matrimonium dissolvetur, quia nullum impedimentum matrimonio superveniens potest dissolvere ipsum . . . (a. 4.) Proles in libertate et servitute sequitur matrem, sed in his quae pertinent ad dignitatem, sequitur patrem; sicut in honoribus, et municipiis et haereditate, et aliis hujusmodi: et huic etiam concordant Canones, et lex Moysis, ut patet Exod. 21.

(Q. 53.) DE IMPEDIMENTO VOTI ET ORDINIS.

(a. 1.) Votum simplex, quamvis impediat matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiae; tamen quia verus contractus est, non potest per hoc matrimonium dirimi; *(et quidem jure communi nisi aliter statuatur, ut revera statuit Gregorius XIII. in Bulla* ASCENDENTE DOMINO, *quod vota a Jesuitis post biennium emissa, etsi non solemnia, dirimant matrimonium subsequens, nisi sic voventes prius a societate dimittantur).*

(a. 2.) Votum *autem* solemne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum, inquantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens.

(a. 3.) Apud Graecos et alios orientales sacer ordo matrimonium impedit contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possunt matrimonium denuo contrahere. Sed apud occidentalem Ecclesiam impedit matrimonii usum: nisi forte ignorante aut contradicente uxore vir ordinem sacrum susceperit: quia ex hoc non potest aliquod praejudicium generari.

(a. 4.) Matrimonium non impedit ordinis sacri susceptionem quia si matrimonio junctus ad sacros ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus characterem ordinis suscipit; sed executione ordinis caret. Si autem volente uxore, vel ipsa defuncta, recipit ordinem, et executionem.

(Q. 54.) DE IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS.

(a. 1.) Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum.

(a. 2.) Debet gradus consanguinitatis computari per comparationem ad unum principium, ex quo propagatur. Diversa *autem* est computatio canonica et legalis: quia legalis computatio attendit descensum a communi radice ex utraque parte; sed canonica tantum ex altera, ex illa scilicet, ex qua major numerus graduum invenitur. Unde secundum legalem computationem frater et soror, vel duo fratres attinent sibi in secundo gradu, quia uterque a radice communi distat per unum gradum; et similiter filii duorum fratrum distant a se invicem in quarto. Sed secundum computationem canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat a radice communi nisi per unum gradum; sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distant a communi radice. Et ideo secundum computationem canonicam quoto gradu distat quis ab aliquo gradu superiori, tanto distat a quolibet descendentium ab ipso, et nunquam minus . . . Aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente a communi principio, quam distet ipse a principio, quia ille forte plus distat a communi principio quam ipse; et secundum remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari.

(a. 3.) *Quia* finis matrimonii per se et primo est bonum prolis . . . inordinatum est ideo quod filia patri per matrimonium jungatur in sociam causa generandae prolis, et educandae, quam oportet per omnia patri esse subjectam, velut ex eo proceden-

tem. Et ideo de lege naturali est ut pater et mater a matrimonio repellantur . . . Sed finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiae repressio, qui deperiret, si quaelibet consanguinea posset in matrimonium duci, quia magnus concupiscentiae aditus praeberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta; ideo lex divina non solum patrem et matrem excludit a matrimonio, sed etiam alias conjunctas personas, quas oportet simul conversari, et quae debent invicem altera alterius pudicitiam custodire. Et hanc causam assignat divina lex dicens Levit. 18: *ne reveles turpitudinem* talis, vel talis, *quia turpitudo tua est. Sed quia* per accidens finis matrimonii est confoederatio hominum, et amicitiae multiplicatio; dum homo ad consanguineos uxoris, sicut ad suos, se habet; ideo huic multiplicationi amicitiae praejudicium fieret, si aliquis sanguine conjunctam uxorem duceret: quia ex hoc nova amicitia per matrimonium nulli accresceret. Et ideo secundum leges humanas et statuta Ecclesiae plures consanguinitatis gradus sunt a matrimonio separati. Sic ergo ex dictis patet quod consanguinitas, quantum ad aliquas personas, impedit matrimonium de jure naturali, quantum ad aliquas de jure divino, et quantum ad aliquas de jure per homines instituto.

(a. 4.) Secundum diversa tempora invenitur consanguinitas secundum gradus diversos matrimonium impedisse. In principio enim humani generis solus pater et mater a matrimonio repellebantur: eo quod tunc temporis erat paucitas hominum . . . postmodum autem, multiplicato genere humano, per legem Moysi plures personae sunt exceptae, quae jam concupiscentiam reprimere incipiebat . . . Sed postmodum lege nova, quae est lex spiritus et amoris, plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti, . . et postmo-

dum *etiam* restrictum est Ecclesiae interdictum usque ad quartum gradum . . . *Quia vero* matrimonium non tantum est sacramentum, sed etiam est in officium, ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiae quam baptismus, qui est sacramentum tantum : quia sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiae.

(Q. 55.) DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

(a. 1.) *Quia* persona conjuncta per carnalem copulam non fit particeps ejusdem radicis, sed quasi extrinsecus adjuncta, ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod *affinitas* dicitur. Et hoc est quod in isto versu dicitur : *Mutat nupta genus, sed generata gradum.* Quia scilicet persona per generationem fit in eodem genere attinentiae, sed in alio gradu ; per carnalem vero copulam fit in alio genere.

(a. 2.) Affinitas non dirimitur, manentibus illis personis inter quas affinitas est contracta, quamvis moriatur persona ratione cujus contracta fuit. *Sic* affinitas manet post mortem viri aut uxoris.

(a. 3.) Etiam carnalis concubitus affinitatem causat in quantum habet aliquid de carnali conjunctione *(Sed ista affinitas orta ex incestuoso concubitu extenditur solum ad secundum gradum inclusive, a Trid. sess.* 24. c. 4 ; *cum illa orta ex copula conjugali extendatur usque ad quartum gradum inclusive)* *Quia autem* concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum, quae possit esse causa generationis, ideo ex tali concubitu non causatur affinitas.

(a. 4.) Ex sponsalibus non causatur affinitas, sicut ex matrimonio, sed aliquid affinitati simile, quod dicitur publicae honestatis justitia, quae im-

pedit matrimonium, sicut et affinitas, et consanguinitas, et secundum eosdem gradus.

(a. 5.) Affinitas non causat affinitatem . . . Unde persona quae matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis; sed est aliud genus attinentiae, quod dicitur secundum affinitatis genus. Et rursus si affini in secundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio; ut in versu supra posito ostenditur, a. 1. hujus c. . . . *Item* mediante muliere quae mihi est affinis, nulla persona fit mihi attinens nisi quae illi mulieri adjungitur: quod non potest esse nisi per carnis propagationem ex ipsa, vel propter conjunctionem matrimonialem ad eam, et utroque modo aliqua attinentia, mediante praedicta muliere, secundum antiqua jura mihi proveniebat: quia filius ejus etiam ex alio viro efficitur mihi affinis in eodem genere, sed in alio gradu, et iterum secundus vir ejus efficitur mihi affinis in secundo genere. Sed alii consanguinei illius mulieris non adjunguntur ei; sed ipsa vel adjungitur eis, sicut patri et matri, in quantum procedit ab eis; vel existentibus ex principio eodem, sicut fratribus: unde frater affinis mei, vel pater, non efficitur mihi affinis in aliquo genere.

(a. 6.) Affinitas praecedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum eadem ratione, qua et consanguinitas.

(a. 7.) Ad inveniendum gradum affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.

(a. 8.) Ex quo gradus affinitatis sumuntur intra gradus consanguinitatis, oportet quod tot sint gradus affinitatis quot sunt gradus consanguinitatis. Sed tamen quia affinitas est minus vinculum quam consanguinitas, facilius et olim et nunc dispensatio fit

in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus consanguinitatis.

(a. 9.) Si probatur affinitas vel consanguinitas *ante faciem Ecclesiae* separandi sunt *conjuges* etiam si de facto contraxerint . . . In foro autem conscientiae distinguendum videtur: quia aut habet *alteruter* certam cognitionem de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutrum. Si primo modo, nec exigere, nec reddere debitum debet. Si secundo modo, debet reddere, sed non exigere. Si tertio, potest et reddere et exigere.

(a. 10.) Ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos est procedendum per viam accusationis . . . (a. 11.) et per testes.

(Q. 56.) DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS.

(a. 1.) Sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturae, ita per sacramenta accipit esse spirituale gratiae. Unde sicut vinculum quod ex propagatione contrahitur, est homini naturale, in quantum est res quaedam naturae, ita vinculum quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione est aliquo modo naturale alicui, in quantum est membrum Ecclesiae; et ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiae statuto. Tamen distinguendum est de spirituali cognatione: quia aut praecessit matrimonium, aut sequitur. Si praecessit, impedit contrahendum, et dirimit contractum. Si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii; sed quantum ad actum matrimonii est distinguendum: quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat filium in articulo mortis; et tunc non impedit actum

matrimonii ex neutra parte: aut inducitur extra casum necessitatis ex ignorantia: et tunc si ille ex cujus actu inducitur. diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut et de primo: aut ex industria extra casum necessitatis, et tunc ille ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum; sed tamen debet reddere, si petatur: quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare.

(a. 2.) Spiritualis propinguitas tantum per duo Sacramenta contrahitur, scilicet per confirmationem, et per baptismum.

(a. 3.) *Quia* qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiae, *ideo* ad utrumque spiritualis cognatio contrahitur.

(a. 3.) *Quoniam* aliquis potest fieri alicujus compater dupliciter: uno modo per actum alterius, qui baptizat, vel ipso baptismo suscipit filium ejus, sic cognatio spiritualis non transit a viro in uxorem, nisi forte ille sit filius uxoris, quia tunc directe uxor contrahit cognationem spiritualem, sicut et vir; alio modo per actum proprium; sicut cum levat filium alterius de sacro fonte: et sic cognatio spiritualis transit ad uxorem, quam jam carnaliter cognovit; non autem si nondum sit matrimonium consummatum, quia nondum effecti sunt una caro: et hoc est per modum cujusdam affinitatis: unde etiam pari ratione videtur transire ad mulierem, quae est carnaliter cognita, quamvis non sit uxor. Unde versus:

Quae mihi vel cujus natum mea fonte levavit,
Haec mea commater, fieri mea non valet uxor;
Si qua meae natum non ex me fonte levavit,
Hanc post fata meae non inde vetabor habere.

. . . Si uxor non sit baptizata non perveniet ad eam spiritualis cognatio... Pater spiritualis et mater spiritualis ejusdem non conjunguntur in cognatione spirituali nisi per accidens: quia ad hoc unus per se sufficeret Unde non oportet quod ex hoc aliqua cognatio spiritualis inter eos nascatur, quin possit esse inter eos matrimonium. Unde versus:

Unus semper erit compatrum spiritualis,
Alter carnalis: non fallit regula talis.

. . . . *Ideo* nihil prohibet quin vir et uxor simul aliquem de sacro fonte levent. Nec est inconveniens quod uxor ex diversis causis efficiatur bis mater spiritualis ejusdem; sicut etiam posset esse quod sit affinis, et consanguinea ejusdem per carnalem propinquitatem.

(a. 5.) Quia filius est aliquid patris, et non e converso, ideo spiritualis cognatio transit a patre in filium carnalem, et non e converso. Et sic patet quod tres sunt cognationes spirituales: una quae dicitur *spiritualis paternitas,* quae est inter patrem spiritualem, et filium spiritualem: alia, quae dicitur *compaternitas,* quae est inter patrem spiritualem, et carnalem ejusdem: tertia autem dicitur spiritualis *fraternitas,* quae est inter filium spiritualem, et filios carnales ejusdem patris, et quaelibet harum impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum. (*Nota: volens Triden. Synodus incommodo multitudinis prohibitionum providere, incipiens ab impedimento cognationis spiritualis, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, et baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem, nec non inter baptizantem, et baptizatum, bapti-*

zatique patrem, et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur: et idipsum statuit de cognatione per confirmationis sacramentum. Sess. 24. c. 2.)

(Q. 57.) DE COGNATIONE LEGALI QUAE EST PER ADOPTIONEM.

(a. 1.) Adoptio est extraneae personae in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio. Quia adoptio ordinatur ad haereditatis successionem, ideo illis solis competit, qui habent potestatem disponendi de haereditate sua. Unde qui non est sui juris, vel est minor viginti quinque annis, aut mulier, non potest adoptare aliquem, nisi ex speciali privilegio principis . . . . *Et quia* per eum, qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non potest haereditas transire in posterum, et ex hoc ipso debetur illis qui succedere ei debent jure haereditatis; ideo ei non competit adoptare, sicut nec naturaliter generare. (a. 2.) Ex adoptione causatur vinculum per quod matrimonium impeditur . . . (a. 3.) *Porro* triplex est legalis cognatio. Prima quasi descendentium, quae contrahitur inter patrem adoptantem, et filium adoptatum, et filium filii adoptivi, et nepotem, et sic deinceps. Secunda, quae est inter filium adoptivum, et filium naturalem. Tertia per modum cujusdam affinitatis, quae est inter patrem adoptantem, et uxorem filii adoptivi, vel e contrario inter filium adoptatum, et uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, et tertia perpetuo matrimonium impediunt; secunda autem non, nisi quamdiu manet in potestate patris adoptantis: unde mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium.

(Q. 58.) DE IMPEDIMENTIS FRIGIDITATIS, MALEFICII, FURIAE, VEL AMENTIAE, INCESTUS, ET DEFECTUS AETATIS.

(a. 1.) Frigidus, qui non potest carnaliter copulari, non potest matrimonium contrahere, . . . *Et* si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam copulae carnali implendae, inveniatur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiae dissolvitur . . . *Idem autem* est judicium de arctatione mulieris, et de frigiditate viri.

(a. 2.) *Quia* ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, et non ad aliam, ideo quando judicio Ecclesiae matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam quaerat.

(a. 3) *Quoad* furiam, aut praecedit matrimonium, aut sequitur. Si sequitur, nullo modo dirimit ipsum; si autem praecedit, tunc aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc quamvis, dum est in illo intervallo, non sit tutum quod matrimonium contrahat, quia nesciret prolem educare; tamen si contrahit, est matrimonium. Si autem non habet, vel si quando non habet, contrahit, tunc quia non potest esse consensus, ubi deest rationis usus, non erit verum matrimonium.

(a. 4.) Si aliquis cognoscit sororem, aut aliam consanguineam *(ex illicita copula, non tamen ultra secundum gradum inclusive, ut statuit Trid. Syn. sicut notavimus)* uxoris suae ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, debet matrimonium separari ratione affinitatis contractae. Si autem post matrimonium contractum, et consummatum, non debet totaliter matrimonium separari; sed vir amittit jus petendi debitum, nec potest sine peccato petere; sed tamen debet reddere petenti, quia uxor

non debet puniri de peccato viri. Sed post mortem uxoris debet omnino manere absque spe conjugii, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cum timetur de illicito coitu; si tamen praeter dispensationem contrahat, peccat, contra statutum Ecclesiae faciens; non tamen propter hoc matrimonium est separandum. Incestus *autem* ponitur matrimonii impedimentum non tam ratione culpae, quam ratione affinitatis, quam causat: et ideo etiam non annumeratur aliis impedimentis, sed in impedimento affinitatis includitur.

(a. 5.) Tempus *matrimonio* determinatum est in masculis in quartodecimo anno, in foemina autem duodecimo anno.

(Q. 59.) DE DISPARITATE CULTUS, QUAE MATRIMONIUM IMPEDIT.

(a. 1.) Disparitas cultus praecedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum.. Disparitas autem cultus contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis, . . . Quantum *vero* pertinet ad necessitatem sacramenti, requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem. Unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed cultus disparitas, qui respicit exterius servitium. Et propter hoc si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahat, verum est matrimonium; quamvis peccet contrahendo, si sciat eam haereticam, sicut peccat si cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur: et e contrario si aliquis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus, cum

aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum sacramentum.

(a. 2.) Quia perfectio prima communis esse potest infidelibus, et fidelibus, secunda autem tantum est fidelium; ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum ultima perfectione, sicut est inter fideles . . . *Unde* infidelis cognoscens uxorem suam non peccat, si propter bonum prolis, aut fidei, qua tenetur, uxori debitum reddat; cum hoc sit actus justitiae, et temperantiae.

(a. 3.) Fidelis conversus potest cum infideli commanere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit: et bene facit commanendo: tamen non tenetur. Et de hoc est consultum Apostoli 1, Cor. 7.

(a. 5.) Quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate manente, distinguendum est. Quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, idest sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere; sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiae prorumpens, et nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari . . . et primum matrimonium solvitur . . . Matrimonium *enim* infidelium est imperfectum, sed matrimonium fidelium est perfectum: et ita firmius. Semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium. Et ideo matrimonium, quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium quod prius in infidelitate contractum fuerat. Unde matrimonium infidelium non est omnino firmum, et ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi,

(a. 6.) *Quia* fornicatio corporalis, et infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimo-

nii, *ideo* specialem habent vim separandi matrimonia. Sed tamen intelligendum est, quod matrimonium dupliciter solvitur. Uno modo quantum ad vinculum: et sic non potest solvi, postquam matrimonium est ratificatum *per fidem Christi*, neque per infidelitatem, neque per adulterium. Sed si non est ratificatum, solvitur vinculum, permanente infidelitate in altero conjugum, si alius conversus ad fidem ad aliud conjugium transeat. Non autem solvitur vinculum praedictum per adulterium: alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adulterae, et ea dimissa aliam ducere: quod falsum est. Alio modo solvitur matrimonium quantum ad actum: et sic solvi potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem. Sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium, etiam quantum ad actum; nisi forte ad tempus se velit subtrahere a consortio uxoris ad castigationem ejus, subtrahendo ei praesentiae suae solatium.

(Q. 60.) DE UXORICIDIO.

(a. 1.) Lex civilis quasi licitum putat, quod in ipso *actu adulterii* vir uxorem interficiat, non quasi praecipiens, sed poenam homicidii ei non infligens, propter maximum incitamentum quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, ut judicet eum sine reatu poenae aeternae, vel poenae ecclesiastico judicio infligendae per judicium saeculare. Et ideo in nullo casu licet viro occidere uxorem propria auctoritate.

(a. 2.) Uxoricidium ex statuto Ecclesiae matrimonium impedit: sed quandoque impedit contrahendum, et non dirimit contractum, quando scilicet

propter adulterium vir occidit uxorem, aut etiam propter odium: (tamen si timetur de incontinentia ipsius, potest cum eo dispensari per Ecclesiam, ut licite matrimonium contrahat:) quandoque etiam dirimit contractum, ut quando aliquis interficit uxorem suam, ut ducat eam cum qua maechatur: tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa, ita quod si de facto cum ea contraxerit matrimonium, dirimitur. Sed per hoc non efficitur simpliciter persona illegitima respectu aliarum mulierum: unde si cum alia contraxerit, quamvis peccet, contra statutum Ecclesiae faciens; tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc.

(Q. 61.) DE IMPEDIMENTO MATRIMONII, QUOD EST VOTUM SOLEMNE.

Deinde considerandum est de impedimentis, quae superveniunt matrimonio: et primo de impedimento, quod provenit matrimonio inconsummato, scilicet de voto solemni; secundo de impedimento, quod provenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione.

(a. 1.) Alter conjugum, altero invito, post carnalem copulam nequit religionem intrare... (a. 2.) *Utique vero* ante carnalem copulam. *Nam* ante carnalem copulam est inter conjuges tantum vinculum spirituale; sed post eam etiam est inter eos vinculum carnale; et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis, vinculum, quod est ante carnalem copulam, solvitur: quia religio est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo... Et ante carnalem copulam non est omnino

translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione, nisi interea alter conjugum ad frugem melioris vitae convolet. Sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditae potestatis. Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de praesenti; sed datur ei tempus duorum mensium, *praecipue* ut interim possit deliberare de transeundo ad religionem. (a. 3.) Mulier potest nubere alteri, viro suo ante carnalem copulam religionem ingresso.

(Q. 62.) DE IMPEDIMENTO, QUOD SUPERVENIT MATRIMONIO CONSUMMATO, QUOD EST FORNICATIO.

(a. 1.) Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in poenam illius qui fiden fregit, et in favorem illius qui fidem servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum ei debitum, qui non servavit fidem. Excipiuntur tamen septem casus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis est, vel utrique aequaliter culpabiles sunt. Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit. Secundus si ipse uxorem prostituerit. Tertius, si uxor virum suum probabiliter mortuum credens, propter longam ejus absentiam, alteri nupserit. Quartus, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante. Quintus, si fuerit vi oppressa. Sextus, si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens. Septimus, si matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, et uxor alteri nupserit: tunc

enim si uterque convertatur, tenetur vir eam recipere.

(a. 2.) Si mulier de peccato poeniteat, vir non tenetur eam dimittere; si autem non poeniteat, tenetur, ne peccato ejus consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.

(a. 3.) Vir potest uxorem dimittere dupliciter. Uno modo quantum ad torum tantum: et sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur: et taliter reddens nullum praejudicium sibi facit. Alio modo quantum ad torum, et cohabitationem: et hoc modo non potest dimitti nisi judicio Ecclesiae: et si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi posset ei vir incontinenti fornicationem probare. Haec autem dimissio divortium dicitur. Et ideo concedendum est quod divortium non potest celebrari, nisi judicio Ecclesiae.

(a. 4.) Quantum ad bonum fidei, ad quam conjuges aequaliter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius: et haec causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris quam viri: et ideo major est causa divortii in uxore, quam in viro. Et sic ad aequalia, sed non ex aequali causa obligantur.

(a. 5.) *Quia* adulterium non facit, quin sit verum matrimonium; *manet* enim, ut Aug. dicit L. 1. de Nupt. et Concup. c. 10. *inter viventes conjugale vinculum, quod nec separatio, nec cum aliquo junctio potest auferre;* ideo non licet uni, altero vivente, ad aliam copulam transire . . . *Sic* 1. Cor. 7. 10. *praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere inuptam.*

(a. 6.) Si uxor post divortium de peccato poenitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare; si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet assumere eam, eadem ratione qua non licebat eam nolentem a peccato desistere retinere.

(Q. 63.) DE SECUNDIS NUPTIIS.

(a. 1.) Propter praecedens matrimonium non impeditur aliquis a secundo, mortuo conjuge. Et sic non solum secundae, sed tertiae, et sic deinceps nuptiae sunt licitae . . . (a. 2.) *Etenim* secundnm matrimonium est sacramentum, sicut et primum.

(Q. 64.) DE ANNEXIS MATRIMONIO, ET PRIMO DE DEBITI REDDITIONE.

Consequenter considerandum est de annexis matrimonio: et primo de debiti redditione; secundo de pluralitate uxorum; tertio de bigamia; quarto de libello repudii; quinto de filiis illegitime natis.

(a. 1.) Cum uxor in viro potestatem non habeat, nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea, quae sunt de conservatione individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his, quae ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personae incolumitate . . . (a. 2.) Etiamsi uxor non expresse petat verbis debitum, tamen vir tenetur reddere, quando aliqua signa in uxore apparent voluntatis reddendi debiti . . . (a. 3.) Vir et mulier sunt aequales in reddendo et petendo debitum . . . (a. 4.) Nec potest unus

absque consensu alterius continentiam vovere; et si voverit peccat; et non debet servare votum, sed agere poenitentiam de voto male facto.

(a. 5.) *Quia* actus matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen rationem deprimit, propter carnalem delectationem, et hominem reddit ineptum ad spiritualia; ideo in diebus in quibus spiritualibus praecipue est vacandum, non licet petere debitum .... (a. 6.) Non *tamen* peccat mortaliter uxor vel vir, si in die festo debitum petat .... (a. 7.) Et unus conjux tenetur alteri debitum reddere *etiam* in tempore festivo.

(Q. 65.) DE PLURALITATE UXORUM.

(a. 1.) Pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae, et quodammodo non .... *Nam* unus vir sufficit pluribus uxoribus foecundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed .... non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur... *Et tollitur* significatio Christi, et Ecclesiae, *quae est una* . . . (a. 2.) *Hinc* cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire: ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.

(a. 3.) Accedere autem ad mulierem non junctam sibi matrimonio, quae concubina vocatur, est contra legem naturae... (a. 4.) Et est peccatum mortale... (a. 5.) Unde ubicumque legitur in veteri Testamento, aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit a peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimonio junctas, et tamen concubinas dici: quia aliquid habebant de ratione uxoris, et aliquid

de ratione concubinae.... ob conditionem servitutis... Sicut *autem* in lege Moysi per dispensationem licebat dare libellum repudii ad evitandum uxoricidium, ut dicetur, Q. 67, a. 6, ita ex eadem dispensatione licuit Abrahae ejicere Agar ad significandum mysterium, quod Apostolus explicat, Gal. 4.

(Q. 66.) DE BIGAMIA, ET IRREGULARITATE EX EA CONTRACTA.

(a. 1.) *Quia* ille qui aliis sacramenta ministrare debet, nullum defectum in sacramentis pati debet,... *cumque* requiratur ad perfectam significationem sacramenti, quod vir sit tantum unius uxoris vir, et uxor sit tantum unius viri uxor; ideo bigamia, quae hoc tollit, irregularitatem inducit. Et sunt quatuor modi bigamiae. Primus est, cum quis plures *habet* uxores de jure successive. Secundus, cum simul habet plures, unam de jure, aliam de facto. Tertius, cum habet plures successive, unam de jure, aliam de facto. Quartus, quando viduam ducit in uxorem. Et ideo omnibus his irregularitas est adjuncta.

(a. 3.) Efficitur *etiam* vir irregularis ex hoc quod ducit uxorem corruptam. non autem ex hoc quod corruptus contrahit..., (a. 4.) Bigamia non solvitur per baptismum... (a. 5.) Si *tamen* aliquis bigamus ad ordines accedat, characterem accipit.

(Q. 67.) DE LIBELLO REPUDII.

Matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege na-

turae est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum haeredes sint, II Cor. 12. Et ideo cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, secundum legis naturae dictamen. Et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturae . . . *Unde* et dicitur Matth. 19. *quod Deus conjunxit* etc.

(a. 2.) *Sed quia* inseparabilitas matrimonii non ordinatur ad bonum prolis (quod est principalis matrimonii finis) nisi quantum ad hoc, quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam praeparationem eorum, quae sunt necessaria in vita; hujusmodi autem praeparatio non est de prima intentione naturae, secundum quam omnia sunt communia; ideo non videtur esse contra primam intentionem naturae dimissio uxoris, et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda legis naturae. Unde accidentaliter sub dispensatione videtur posse cadere.

(a. 3.) *Sic* Moyses permisit libellum repudii . . . *tamen quia* Dominus dicit Matth. 19. quod libellus repudii datus est a Moyse judaeis *propter duritiam cordis eorum*; sed duritia cordis eorum non excusabat eos a peccato; ergo nec lex de libello repudii . . . *Alii tamen* dicunt quod, quamvis repudiare uxorem per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fiebat, et hoc confirmant auctoritate Chrysostomi (al. auctor hom. 32. in op. imp.) qui dicit, quod *a peccato abstulit culpam legislator, quando permisit repudium. Sed* quamvis hoc probabiliter dicatur; tamen primum communius sustinetur . . . *Porro* dum bonum aliquod intermittitur ad vitandum majus malum, si auctoritate ejus qui dispensare potest, hoc fiat, reatum talis boni intermissio non habet, sed honestatem etiam non acquirit. Et sic indivisibilitas matrimonii in lege

Moysi intermittebatur propter malum majus vitandum, scilicet uxoricidium. Et ideo Chrys. dicit quod *a peccato abstulit culpam.* Quamvis enim inordinatio maneret in repudio, ex quo peccatum dicitur; tamen reatum poenae non habebat nec temporalis, neque perpetuae, in quantum divina dispensatione fiebat: et sic erat ab eo culpa ablata. Et ideo etiam ipse ibidem dicit, quod *permissum est repudium, malum quidem, tamen licitum*

(a. 4.) *Quia* viro licebat plures uxores simul habere secundum dispensationem divinam, ideo una dimissa, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere sed numquam uxori licuit plures habere viros; et secundum primam opinionem (positam art. praec.) peccabat post repudium uxor alterum virum ducendo: quia adhuc primum matrimonium non erat solutum. *Mulier* enim *quanto tempore vir vivit, alligata est legi viri*, ut patet Rom. 7. 2. Non autem poterat simul plures viros habere. Sed secundum secundam opinionem, sicut licebat ex dispensatione divina viro uxorem repudiare, ita uxori alium virum ducere: quia inseparabilitas matrimonii ex causa divinae dispensationis tollebatur; qua inseparabilitate manente, intelligitur verbum Apostoli. Quod dicitur, Math. 5. 32. qui dimissam uxorem duxerit maechatur, intelligitur quantum ad tempus novae legis, in quo dicta permissio est sublata.

(a. 5.) Dicitur Deuteron. 24. 4. quod *non poterat prior maritus suscipere eam etc.* in lege de libello repudii duo erant permissa, scilicet dimittere uxorem, et uxorem dimissam alteri jungi: et duo praecepta, scilicet *scriptura libelli repudii, et quod iterum maritus repudians eam accipere non posset.* Quod quidem secundum eos, qui primam opinionem tenent, factum fuit in poenam mulieris, quae alteri nupsit, et in hoc peccato polluta est;

sed secundum alios, ut vir non de facili uxorem repudiaret, quam postea nullo modo recuperare posset.

(a. 6.) Causa repudii non fuit odium uxoris... Sed faeditas vel in corpore, puta aliqua infirmitas, vel aliqua notabilis macula; vel in anima, sicut fornicatio, vel aliqua hujusmodi, quae in moribus inhonestatem facit . . . (a. 7.) Causae repudii in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, ut ostenderetur justum repudium.

(Q. 68.) DE FILIIS ILLEGITIME NATIS.

(a. 1.) Quadruplex status est filiorum. Quidam enim sunt naturales et legitimi; sicut illi qui nascuntur ex vero et legitimo matrimonio. Quidam naturales et non legitimi; ut filii qui nascuntur de simplici fornicatione. Quidam legitimi, et non naturales, sicut filii adoptivi. Quidam nec legitimi, nec naturales, sicut spurii nati de adulterio, vel de stupro.

(a. 2.) Filius illegitimus damnum incurrit duplex: unum, quia non admittitur ad actus legitimos, sicut ad officia et dignitates, quae requirunt aliquam honestatem in illis, qui haec exercent: aliud damnum incurrit, quia non succedit in haereditate paterna. Sed tamen naturales filii succedere possunt in sexta parte tantum; spurii in nulla parte, quamvis ex jure naturali parentes eis in necessariis providere teneantur. Unde pertinet ad solicitudinem Episcopi, ut utrumque parentem cogat ad hoc, quod ei provideant.

(a. 3.) Illegitimus *autem* potest legitimari sex modis... Duo *sunt* secundum canones, scilicet cum quis ducit in uxorem illam, ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium, et per spe-

cialem indulgentiam, et dispensationem domini Papae. Quatuor autem alii modi sunt secundum leges. Primus est, si pater filium naturalem Curiae imperatoris offerat: ex hoc enim ipso legitimatur propter Curiae honestatem. Secundus, si pater in testamento nominat eum legitimum haeredem, et filius postmodum testamentum Imperatori offerat. Tertius, si filius nullus sit legitimus, et ipsemet filius se Principi offerat. Quartus est, si pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione eum legitimum nominet, nec adjiciat naturalem.

DE VITA AETERNA.

(Q. 69.) DE HIS QUAE SPECTANT AD RESURRECTIONEM, ET PRIMO DE LOCO ANIMARUM POST MORTEM.

Vid. Append. C. III. § 1.

Post hoc agendum est de his, quae spectant ad statum resurrectionis. Postquam enim dictum est de Sacramentis, quibus homo liberatur a morte culpae, consequenter dicendum est de resurrectione, per quam homo liberatur a morte poenae.

Circa statum autem resurrectionis tria consideranda sunt, scilicet praecedentia resurrectionem, concomitantia, et sequentia. Et ideo primum dicendum est de his, quae pro parte, quamvis non ex toto, resurrectionem praecedunt. Secundo de ipsa resurrectione, et circumstantibus eam. Tertio de his quae eam sequuntur. Praecedentium autem resurrectionem prima consideratio est de receptaculis animarum post mortem eis assignatis. Secunda de qualitate et poena animarum separatarum, eis ab igne inflicta. Tertia de suffragiis, quibus animae defunctorum a vivis adjuvantur. Quarta de orationibus sanctorum in patria existentium. Quinta de signis judicium generale praecedentibus. Sexta de igne ultimae conflagrationis mundi, qui faciem Judicis praecedet.

(a. 1.) Animas, quae sunt in participatione perfecta Deitatis, in coelo esse ponimus; animas vero, quae a participatione hujusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari.

(a. 2.) Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam praemii vel poenae, statim ut anima absolvitur a corpore, vel in infernum immergitur, vel ad coelos evolat *ut in finem, ad quem per opera tendit;* nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut prius anima purgetur. Et huic veritati auctoritates Scripturae Canonicae manifeste attestantur, et documenta Sanctorum Patrum. Unde contrarium pro haeresi est habendum, ut patet a Dial. Greg. c. 25. 28. et in lib. de Ecclesias. Dogm. c. 88.

Debet intelligi quod inter illa abdita receptacula, de quibus Aug. loquitur, etiam sunt computanda infernus et paradisus, in quibus animae aliquae ante resurrectionem continentur. Sed ideo distinguitur tempus ante resurrectionem, et post; quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore, et quia *in aliquibus* receptaculis nunc sunt animae, in *quibus* post resurrectionem non erunt.

(a. 3.) Secundum naturalem cursum animae separatae propriis receptaculis deputatae, a conversatione viventium penitus segregantur . . . . Sed secundum dispositionem divinae providentiae aliquando animae separatae, a suis receptaculis egressae, conspectibus hominum praesentantur, sicut Aug. in lib. de Cura pro mortuis agenda, narrat de Felice martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit, cum a barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi potest, quod aliquando damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum, et terrorem permittuntur viventibus apparere, aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in purgatorio detinentur, ut per multa, quae in 4. Dial. Greg. c. 36. 40. 55. narrantur, patet. Sed hoc interest inter sanctos et damnatos quod sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus, non autem damnati . . , Non est

enim inconveniens, ut ex virtute gloriae aliqua potentia animabus sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus, cum volunt: quod alii non possunt nisi interdum permissi . . . *sed* aliquando hujusmodi apparitiones fiunt vel in dormiendo, vel in vigilando, operatione bonorum vel malorum spirituum, ad instructionem, vel deceptionem viventium . . . sicut Aug. per multa exempla probat in lib. de cura pro mortuis.

(a. 4.) Status sanctorum, ante Christi adventum, potest considerari et secundum id quod habebat de requie, et sic dicitur sinus Abrahae: potest etiam considerari quantum ad id quod eis deerat de requie, et sic dicitur Limbus inferni. Limbus ergo inferni, et sinus Abrahae fuerunt ante Christi adventum unum per accidens, et non per se. Et ideo nihil prohibet post Christi adventum esse sinum Abrahae, et esse omnino diversum a limbo; quia ea quae sunt unum per accidens separari contingit... *Unde* quia, post Christi adventum, sanctorum requies est completa cum Deum videant, talis requies dicitur sinus Abrahae, et nullo modo infernus: et ad hunc sinum Abrahae Ecclesia orat fideles perduci.

(a. 5.) Limbus non est idem quod infernus damnatorum, tum quia in inferno est poena sensibilis, quae non erat in limbo patrum: tum etiam quia in inferno est poena aeterna, sed in limbo patrum detinebantur sancti temporaliter tantum. Sed si consideretur quantum ad situm loci, sic probabile est quod idem locus, vel quasi continuus sit infernus et limbus, ita tamen quod quaedam superior pars inferni limbus patrum dicatur.

(a. 6.) Limbus patrum, et limbus puerorum absque dubio differunt secundum qualitatem poenae vel praemii. Pueris enim non adest spes beatae vi-

tae, quae patribus in limbo aderat; in quibus etiam lumen fidei et gratiae refulgebat. Sed quantum ad situm, probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse; nisi quod limbus patrum erat in superiori loco, quam limbus puerorum, sicut de limbo et inferno dictum est, a praec.

Dices: pro eadem poena detinebantur in limbo patres, et pueri, scilicet pro culpa originali. Ergo idem debet esse utrorumque locus poenae. Praeterea Aug. dicit in Enchir. c. 93: *mitissima est poena puerorum, qui cum solo originali decedunt.* Sed nulla est poena mitior ea quam sancti Patres habebant; ergo est idem locus poenae utrorumque. Ad primum dicendum, quod ad culpam originalem non eodem modo se habebant patres et pueri: in patribus enim originalis culpa expiata erat secundum quod erat infectiva personae; remanebat tamen impedimentum ex parte naturae, pro qua nondum erat satisfactum plenarie. Sed in pueris est impedimentum et ex parte personae, et ex parte naturae. Et ideo pueris et patribus diversa receptacula assignantur. Ad secundum dicendum quod Augustinus loquitur de poenis, quae debentur alicui ratione personae suae: inter quas mitissimam poenam habent, qui solo originali peccato gravantur; sed adhuc mitior est poena eorum, quos non impedit a perceptione gloriae defectus personae, sed solum defectus naturae, ut ipsa dilatio gloriae quaedam poena dicatur.

(Q. 70.) DE QUALITATE ANIMAE EXEUNTIS A CORPORE, ET POENA EI INFLICTA AB IGNE CORPOREO.

(a. 2.) Actus sensitivarum potentiarum nullo modo manent in anima separata, nisi forte sicut in radice remota . . . (a. 3.) Ut *autem* perfecte videatur quomodo anima ab igne corporeo patiatur, oportet ut dicamus, quod ignis ex natura sua habet, quod spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut loco locatum; sed in quantum est instrumentum divinae justitiae, habet ut ipsum quodammodo retineat alligatum: et in hoc veraciter ignis iste est spiritui nocivus: et sic anima ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cruciatur. Greg. in 4, Dial. omnia ista per ordinem tangit.

(Q. 71.) DE SUFFRAGIIS MORTUORUM.

(a. 2.) Dicitur in Psal. 118, 63. *Particeps ego sum omnium timentium te* etc. Praeterea omnes fideles per caritatem uniti, sunt unius corporis Ecclesiae membra; sed unum membrum juvatur per alterum; ergo et unus homo potest ex alterius meritis adjuvari . . . Et inde est quod articulus fidei ponitur *Sanctorum communio.*

(a. 2.) Suffragia vivorum mortui dupliciter prosunt, sicut et vivis, et propter caritatis unionem, et propter intentionem in eos directam. Non tamen sic eis valere credenda sunt vivorum suffragia, ut status eorum mutetur de miseria ad felicitatem, vel e converso; sed valent ad diminutionem poenae, vel aliquid hujusmodi, quod statum mortui non transmutat.

(a. 3.) Operatio peccatoris suffragia facientis potest uno modo considerari prout est ejus; et sic nullo modo meritoria esse potest nec sibi, nec alii: alio modo in quantum est alterius: quod dupliciter contingit. Uno modo in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiae, sicut sacerdos dum dicit in Ecclesia exequias mortuorum... *tunc* suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, defunctis prosunt. Alio modo quando agit ut instrumentum alterius: opus enim instrumenti est magis principalis agentis . . . unde si quis in caritate decedens praecipiat sibi suffragia fieri, vel alius praecipiat, caritatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato existant. Magis tamen valerent, si essent in charitate: quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.

(a. 4.) Suffragia quae pro aliis fiunt, *etiam* satisfacientibus prosunt... *ut in psal.* 34, 13 *Oratio mea in sinu meo convertetur.* (a. 5.) non *autem* prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit . . . (a. 6.) Prosunt *vero* existentibus in purgatorio.

(a. 7.) Suffragia vivorum pueris existentibus in limbo prodesse non possunt . . . (a. 8.) Nec Sanctis existentibus in patria . . . cum sint ab omni indigentia immunes, inebriati ab ubertate domus Dei, Psal. 35.

(a. 9.) Orationes *vero* ecclesiae, sacrificium altaris, et eleemosynae . . . ponuntur quasi praecipua mortuorum subsidia; quamvis quaecumque alia bona quae ex caritate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sunt (a. 10.) sicut indulgentiae ecclesiae . . . si ex earum forma etiam *mortuos comprehendat*, . . . nec tamen sequitur, quod praelatus ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare: quia ad hoc ut indulgentiae valeant, requiritur causa con-

veniens indulgentias faciendi, ut supra dictum est q. 16. a. 3.

(a. 11.) Sepultura in loco sacrato mortuo prodest, non quidem ex ipso opere operato, sed magis ex ipso opere operante, dum scilicet vel ipse defunctus, vel alius corpus ejus tumulari in loco sacro disponens, patrocinio alicujus Sancti eum committit, cujus precibus per hoc credendus est adjuvari, et etiam patrocinio eorum, qui loco sancto deserviunt, qui pro tumulatis apud se frequentius et specialius orant; sed illa, quae ad ornatum sepulturae adhibentur, prosunt quidem vivis, in quantum sunt vivorum solatia; sed possunt etiam defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens, in quantum scilicet per hujusmodi homines excitantur ad compatiendum, et per consequens ad orandum; vel in quantum ex sumptibus sepulturae vel pauperes fructum capiunt, vel ecclesia decoratur, sic enim sepultura inter caeteras eleemosynas computatur.

(a. 12.) Quantum ad remissionem poenae praecipue valet suffragium ei, pro quo fit . . . (a. 13.) et magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod fit pro eo communiter, et pro multis aliis. (a. 14.) Quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiae, sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum altaris sacrificium tota poena eorum, qui sunt in purgatorio, expietur; sicut etiam nec per unum sacrificium, quod aliquis offert liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis; unde et quandoque plures Missae in satisfactionem unius peccati injunguntur. Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit hic, pro quibus fiunt (ut si eis non

indigeant) aliis dispensetur pro quibus non fiunt, si eis indigeant; ut patet per Damascenum, in Sermone de dormientibus, sic dicentem: *vere Deus tamquam justus commetietur impotenti possibilitatem, tamquam sapiens defectuum commutationem negotiabitur:* quae quidem negotiatio attenditur, si id, quod deest uni, alteri suppleat.

(Q. 72.) DE ORATIONE RESPECTU SANCTORUM QUI SUNT IN PATRIA.

(a. 1.) Ad sanctorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus praestent ad salutem: sic enim Dei cooperatores efficiuntur, *quo nihil est divinius*, ut ait Dionysius c. 3. coeles. hierar. Unde patet quod sancti habent cognitionem eorum, quae ad hoc requiruntur. Et sic manifestum quod in Verbo cognoscunt vota et devotiones, et orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.

(a. 2.) Eos *autem* intercessores pro nobis ad Deum constituimus et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent... (a. 3.) *eorum vero* orationes sunt, quantum est in eis, efficaces ad impetrandum quod petunt. Sed ex parte nostra potest esse defectus, quod non consequamur fructum orationum ipsorum.

(Q. 73.) DE SIGNIS, QUAE JUDICIUM PRAECEDENT.

(a. 1.) Adventum Christi ad judicium venientis multa signa praecedent, ut corda hominum in subjectionem venturi judicis adducantur, et ad judicium praeparentur, hujusmodi signis praemoniti. Quae autem sint ista signa, de facili sciri non po-

test. Signa enim quae in evangeliis leguntur, ut Aug. dicit ad Hesychium de fine mundi epist. 199. alias 80. non solum pertinent ad adventum Christi ad judicium, sed etiam ad tempus destructionis Jerusalem, et ad adventum, quo Christus continue Ecclesiam suam visitat, ita quod forte si diligenter advertatur, nullum eorum inveniatur ad futurum adventum pertinere, ut ipse dicit: Quia illa signa, quae in evangeliis tanguntur, sicut pugnae et terrores et hujusmodi, a principio humani generis fuerunt. Nisi forte dicatur, quod tunc temporis magis invalescent; sed secundum quam mensuram crescentia vicinum adventum denuntient, incertum est . . . Quamvis *autem* ex signis apparentibus circa diem judicii homines terreantur; ante tamen quam signa illa apparere incipiant, in pace et securitate impii esse credent post mortem Antichristi, ante Christi adventum, non statim videntes mundum consummari, ut prius existimabant.

(a. 2.) Si loquamur de sole et luna, quantum ad ipsum momentum adventus Christi, sic non est credibile quod obscurabuntur sui luminis privatione: quia totus mundus innovabitur, Christo veniente, et sanctis resurgentibus, ut dicetur q. seq. Si autem loquamur de eis secundum tempus propinquum ante judicium, sic esse poterit quod sol et luna et alia coeli luminaria sui luminis privatione obscurabuntur, vel diversis temporibus, vel simul, hoc divina virtute faciente ad hominum terrorem.

(a. 3.) Quod Matth. 24. 29. dicitur: *stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur,.. accipiendum est,* quod tunc movebuntur virtutes angelicae, quia ab effectu suo cessabunt, ulterius corpora coelestia non moventes: sicut nec angeli qui sunt ad custodiam hominum deputati, ulterius custodiae officio vacabunt.

(Q. 74.) DE IGNE ULTIMAE CONFLAGRATIONIS.

(a. 1.) Mundi purgatio est futura . . . *quia* quamvis elementa corporea subjecta culpae esse non possint; tamen ex culpa commissa in eis aliquam ineptitudinem consequuntur ad perfectionem gloriae suscipiendum . . . (a. 2.) Videtur *autem* quod ultima purgatio mundi sit futura per ignem, ut II. Pet. ult. 12. dicitur: *coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent* . . . (a, 3.) Ignis *vero* ille erit ejusdem speciei cum isto . . . (a. 4.) Coelestia *tamen* corpora nec per ignem, nec per alicujus creaturae actionem purgabuntur; sed ipsa eorum quietatio sola voluntate divina accidens, eis loco purgationis erit . . . (a. 5.) Manebunt tamen elementa quantum ad substantiam, et qualitates eorum proprias; sed purgabuntur ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerunt, et ab impuritate, quae per actionem et passionem mutuam in eis accidit.

(a. 7.) Cum conflagratio mundi sit dispositio ac renovationem, manifeste potest colligi, quod ista conflagratio quoad purgationem mundi judicium praecedet; sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, judicium sequetur.

(a. 9.) Tota purgatio mundi et innovatio ad purgationem et innovationem hominis ordinabitur. Et ideo oportet ut mundi purgatio et innovatio purgationi, et innovationi humani generis respondeat. Humani autem generis purgatio quaedam erit, quod mali segregabuntur a bonis. Unde dicitur Luc. 3. 17. *Cujus ventilabrum in manu ejus; et purgabit aream suam, et congregabit triticum, idest electos in horreum suum; paleas autem,* idest reprobos, comburet igne inestinguibili. Unde et ita erit de purgatione

mundi, quod quidquid erit turpe, et faedum, in infernum cum reprobis mittetur; quidquid vero pulchrum, et nobile, reservabitur in superioribus ad gloriam electorum: et ita etiam de illo igne conflagrationis, sicut dicit Basilius super illud Psalm. 18. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, hom. 1. quia quod calidum et ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum reperietur, descendet ad inferos in poenam damnatorum; quod vero ibi subtile et lucidum, remanebit superius ad gloriam electorum.

(Q. 75.) DE RESURRECTIONE.

V. Append. C. III, § 2.

Post haec considerandum est de circumstantibus, et concomitatibus resurrectionem. Quorum prima consideratio est de ipsa resurrectione. Secunda de ejus causa. Tertia de ejus tempore, et modo. Quarta de ejus termino *a quo*. Quinta de conditionibus resurgentium.

(a. 1.) Corporum resurrectio est futura... unde dicitur Job. 19, 25. *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea etc. . . . et sane quia* anima corpori, sicut forma materiae, *tendit semper* uniri, sic patet quod si in hac vita homo non potest esse beatus, est necesse resurrectionem ponere.

(a. 2.) *Quia* resurrectio ad hoc necessaria est, ut resurgentes recipiant pro meritis poenam, vel praemium: sed omnibus debetur vel poena vel praemium, vel pro merito proprio sicut adultis, vel pro merito alieno sicut parvulis; Ergo omnes resurgent.

(a. 3.) *Sicut vero* etsi ponatur esse aliqua potentia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quaecumque ad animae conjunctionem, *tamen* non est talis, quod sufficiat ad rationem motus naturalis; unde resurrectio simpliciter loquendo est miraculosa, non naturalis.

(Q. 76.) DE CAUSA RESURRECTIONIS.

(a. 1.) Resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis corporalis . . . . *unde* dicitur Christus *primitiae dormientium*. I. Cor. 15. et *Primogenitus mortuorum:* Apoc. 1.

(a. 2.) Quod *autem* dicitur I. Tessal. 4, 15. *Ipse Dominus . . . In tuba Dei descendet de coelo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent;* et Joa. 5, 28. *Qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et qui audierint, vivent* . . . Secundum hoc ipsa apparitio filii Dei vox ejus dicitur, quia ei apparenti obediet tota natura . . . Et haec vox, quaecumque sit, quandoque dicitur clamor, quasi praeconis ad judicium citantis, quandoque autem dicitur sonus tubae.

(a. 3.) *Quia* in omnibus, quae corporaliter a Deo fiunt, utitur Deus ministerio Angelorum; in resurrectione autem est aliquid ad transmutationem corporum pertinens, scilicet collectio cinerum, et eorum praeparatio ad reparationem humani corporis; unde quantum ad hoc in resurrectione utetur Deus ministerio Angelorum. Sed anima sicut immediate a Deo creata est, ita immediate a Deo corpori iterato unietur sine aliqua operatione Angelorum: similiter etiam gloriam corporis ipse faciet absque ministerio Angelorum, sicut et animam immediate glorificat.

(Q. 77.) DE TEMPORE ET MODO RESURRECTIONIS.

(a. 1.) Resurectio differetur usque ad finem mundi, in quo omnes simul resurgent . . . Quod *autem*, aliquibus sit hoc concessum quod eorum resurrectio non sit usque ad communem resurrectionem dilata ... sicut pie creditur de B. Virgine, et Joanne Evangelista, . . . est ex speciali gratiae privilegio . . . Quod vero quidam patres veteris Test. Christo resurgente, resurrexerunt, sicut dicitur Mat. 27, 52. . . eorum resurrectio propter ipsos accelerata non est, sed propter resurrectionem Christi testificandam: quod quidem testimonium erat ad fundandam fidem N: Testamenti . . . Videtur *autem* dubitare Hieronymus in Serm. de Assum. (alius auctor epis. ad Paul. et Eust.) utrum scilicet peracto resurrectionis testimonio, iterum mortui sint... quod videtur probabilius.

Occasione autem illorum verborum Apoc. 20, 4: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei;* et infra: *Et dixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis; et caeteri mortuorum non vixerunt donec consummarentur mille anni;* ut Aug. narrat. lib. 20. de Civ. Dei c. 7; quidam haeretici posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum, ut cum Christo mille annis in terra regnarent: unde vocati sunt *Chiliastae*, quasi millenarii. Et ideo Aug. ibidem dicit, verba illa aliter intelligenda esse, scilicet de resurrectione spirituali, per quam homines a peccatis dono gratiae resurgent. Secunda autem resurrectio corporum est. Regnum autem Christi dicitur Ecclesia, in qua cum Christo non solum Martyres, sed etiam alii electi regnant; ut a parte totum intelligatur: vel regnant cum Christo in gloria quantum ad omnes; et

fit specialiter mentio de Martyribus, quia ipsi praecipue regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt. Millenarius autem annorum numerus non significat aliquem certum numerum, sed designat totum tempus, quod nunc agitur, in quo nunc Sancti cum Christo regnant . . . *sicut* in Psal. 104. 8. dicitur: *Verbi, quod mandavit in mille generationes,* idest in omnes.

(a. 2.) Tempus resurrectionis nostrae est occultum . . . Apostolis *enim* de hoc ipso quaerentibus dictum est a Domino Act. 1, 7. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae posuit Pater in potestate sua* . . . in quo, ut Aug. dicit 18. de Civ. Dei c. 52: *Omnium de hac re calculantium digitos resolvit, et quiescere jubet.*

(a. 3.) *Quia* Resurrectio Christi est exemplar nostrae resurrectionis; sed resurrectio Christi fuit in nocte; ergo et nostra resurrectio erit tempore nocturno . . . (a. 4.) et futura est subito, non successive.

(Q. 78.) DE TERMINO A QUO RESURRECTIONIS.

(a. 1.) Mors erit terminus *a quo* resurrectionis in omnibus . . . (a. 2.) et oportet quod sicut omnes moriuntur, ad hoc quod omnes vere resurgere possint, ita omnium corpora dissolvantur, ad hoc quod omnium corpora reformari possint . . . *et sic* resurrectio omnium erit a cineribus.

(a. 3.) In cineribus *tamen* illis nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem, sed solum ex ordine divinae providentiae, quae statuit illos cineres iterum animae conjungi: et ex hoc provenit quod illae partes elementorum iterato conjungentur, et non alia.

(Q. 79.) DE CONDITIONIBUS RESURGENTIUM, ET PRIMO DE EORUM IDENTITATE.

Consequenter agendum est de conditionibus resurgentium. Ubi prima consideratio erit de his, quae communiter ad bonos, et malos pertinent. Secunda de his, quae tantum ad bonos pertinent. Tertia de his, quae spectant tantum ad malos. Ad bonos autem et malos communiter tria pertinent, scilicet ipsorum *identitas, integritas,* et *qualitas.* Et primo videndum est de resurgentium identitate. Secundo de corporum integritate. Tertio de ipsorum qualitate.

(a. 1.) In resurrectione anima idem corpus numero resumet . . sic dicit Job. 19. 26. *In carne videbo Deum,* ubi loquitur de visione post resurrectionem: quod patet ex hoc quod praecedit: *in novissimo die de terra surrecturus sum*... Circa hanc quaestionem philosophi erraverunt, et quidam haeretici. Quidam enim philosophi posuerunt, animas a corpore separatas iterato corporibus conjungi. Sed errabant in hoc quantum ad duo. Primo quidem quantum ad modum conjunctionis: quia quidam ponebant, corpori iterum conjungi naturaliter animam separatam per viam generationis. Secundo quantum ad corpus, cui conjungebatur: quia ponebant quod secunda conjunctio non erat ad idem corpus numero, quod per mortem depositum est; sed ad aliud, quandoque idem specie, quandoque autem diversum; *prout in vita se conformaverat moribus hominum, vel bestiarum.* Quidam haeretici in praedictas opiniones philosophorum inciderunt. Quidam autem posuerunt animas iterato conjungi corporibus caelestibus, vel etiam corporibus in modum venti subtilibus, ut Greg. l. 14. Mor. c. 24. de quodam Episcopo Constantinopolitano narrat exponens illud Job. 19. *in*

carne mea videbo Deum, etc. Praedicti errores haereticorum destrui *etiam* possunt ex hoc, quod veritati resurrectionis praejudicant, quam S. Scriptura profitetur. Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio est iterata surrectio. Ejusdem autem est surgere, et cadere. Unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit. Et ita si non est idem corpus quod anima resumit, nec dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio.

(a. 3.) Et pulveres humani corporis ad eam partem corporis, quae in eo dissoluta est per resurrectionem, redibunt . . . praecipue quantum ad partes essentiales et organicas.

(Q. 80.) DE INTEGRITATE CORPORUM RESURGENTIUM.

(a. 1.) Omnia membra humani corporis resurgent . . . (a. 4.) Et quidquid fuit de veritate humanae naturae . . . (a. 5.) considerata totalitate speciei, quae attenditur secundum quantitatem figurae, situm, et ordinem partium.

(Q. 81.) DE QUALITATE RESURGENTIUM.

(a. 1.) Dicitur Ephes. 4, 13. *Donec occurramus omnes . . . in perfectum virum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Sed Christus resurrexit in aetate juvenili, quae circa triginta annos incipit, ut Aug. dicit lib. 22. De Civ. Dei c. 15. Ergo et alii in aetate juvenili resurgent. Praeterea: homo in maxima perfectione naturae resurget. Sed natura

humana perfectissimum statum habet in aetate juvenili. Ergo in illa aetate resurgent omnes.

(a. 2.) Non *autem* omnes resurgent in eadem statura . . . et quantitate; sed quilibet resurget in illa quantitate, in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset, vel defecisset: quod autem superest vel deficit in homine, resecabit, vel supplebit divina potentia.

(a. 3.) *Neque* omnes resurgent in sexu virili... sed in diversis sexibus: et quamvis sit differentia sexuum, deerit tamen confusio mutuae visionis, quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur.

(a. 4.) Illae operationes naturales quae ordinantur ad primam perfectionem humanae naturae vel causandam, vel conservandam, non erunt in resurrectione . . . et quia comedere, bibere, et dormire, et generare ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturae ordinata; ideo in resurrectione talia non erunt . . . nec oportet quod animales delectationes sint de perfectione beatitudinis, ut Judaei, et Saraceni ponunt, et quidam haeretici posuerunt, qui vocantur Chiliastae; qui etiam secundum doctrinam Philosophi non videntur sanum habere affectum: solae enim delectationes spirituales secundum ipsum sunt simpliciter delectationes, et propter se quaerendae: et ideo ipsae solae ad beatitudinem requiruntur.

(Q. 82.) DE IMPASSIBILITATE CORPORUM BEATORUM RESURGENTIUM.

Deinde considerandum est de conditionibus beatorum resurgentium; et primo de eorum corporum impassibilitate; secundo de subtilitate; tertio de agilitate; quarto de claritate.

(a. 1.) Corpora sanctorum post resurrectionem erunt incorruptibilia, ut dicitur I. ad Cor. 15. 42. *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Ergo erunt etiam impassibilia . . . In corpore *scilicet* glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam, qua perficitur ab anima.

(a. 2.) *Quia* autem causa impassibilitatis est dominium animae super corpus: quod quidem dominium causatur ex hoc quod ipsa anima *fruitur* Deo immobiliter: unde in illo qui perfectius *fruitur* Deo, est major impassibilitatis causa . . . . *licet* si impassibilitas secundum se consideretur, quia solam negationem vel privationem importat, non suscipit magis et minus; sed erit aequalis in omnibus beatis.

(a. 3.) Impassibilitas sensum in actu a corporibus gloriosis non excludit . . . unde dicitur Apoc. 1. 7. *Videbit eum omnis oculus.* Ergo erit ibi sensus in actu . . , et quia Deus apprehenditur a Sanctis, ut ratio omnium quae ab eis agentur, vel cognoscentur; ideo occupatio eorum circa sensibilia sentienda, vel quaecumque alia contemplanda, aut agenda in nullo impediet divinam contemplationem, nec e contrario.

(a. 4.) *Quia* potentia conjuncta actui est perfectior, quam non conjuncta. Sed natura humana erit in beatis in maxima perfectione; ergo erunt ibi omnes sensus in suo actu. Praeterea: vicinius

se habent ad animam potentiae sensitivae, quam corpus. Sed corpus praemiabitur vel punietur propter merita vel demerita animae. Ergo et omnes sensus praemiabuntur in beatis, et punientur in malis, secundum delectationem et dolorem, vel tristitiam, quae in operatione sensus consistunt.

(Q. 83.) DE SUBTILITATE CORPORUM BEATORUM.

(a. 1.) Subtilitas est proprietas corporis gloriosi . . . ex dominio animae glorificatae, quae est forma corporis, super ipsum, ratione cujus corpus gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subjectum.

(a. 2.) Non *autem* corpus gloriosum habebit ratione suae subtilitatis quod possit esse simul cum alio corpore; sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione virtutis divinae . . . . ut potest ostendi per hoc quod Dominus ad discipulos intravit clausis januis Joa. 20. . . . (a. 4.) Sed tamen non est conveniens quod corpus gloriosum sit simul cum alio corpore glorioso : tum quia in eis servabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit : tùm quia unum corpus gloriosum non se opponet alteri . . . . (a. 5.) Et ideo dicendum quod corpus gloriosum semper erit in loco sibi aequali.

(a. 6.) Eritque palpabile . . . . . *nam* Dominus in corpore glorioso resurrexit, et tamen corpus palpabile habuit, ut patet Luc. ult. 39. *Palpate et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet.* Haec *autem* est haeresis Eutychii Cpolis Episcopi, ut Greg. dicit 14. Mor. c. 29. qui dixit quod corpus nostrum in resurrectionis gloria erit impalpabile . . . *Sed quamvis* secundum naturam suam

palpabile sit corpus gloriosum, *tamen* ex virtute supernaturali hoc ei competit, ut cum vult non palpetur a corpore non glorioso.

(Q. 84.) DE AGILITATE CORPORUM BEATORUM.

(a. 1.) Sicut per dotem subtilitatis corpus gloriosum animae glorificatae subjicitur totaliter, in quantum est forma corporis, dans esse specificum; ita per dotem agilitatis subjicitur ei, in quantum est motor, ut scilicet sit expeditum, et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus, et actionibus animae.

(a. 2.) Corpora gloriosa aliquando moveri necessarium est ponere: quia et ipsum corpus Christi motum est in ascensione; et similiter *corpora* Sanctorum quae de terra resurgent, ad coel*um empyreum* ascendent; sed etiam postquam coe*los* conscenderint, verisimile est quod aliquando movebuntur pro suae libito voluntatis, ut illud quod habent in virtute, actu exercentes, divinam sapientiam commendabilem ostendant; et ut etiam visus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diversarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit; sensus enim non potest esse nisi praesentium; quamvis magis a longinquo possint sentire corpora gloriosa quam non gloriosa . . . (a. 3.) Corpus *autem* gloriosum movetur in tempore, sed imperceptibili propter brevitatem.

(Q. 85.) DE CLARITATE CORPORUM BEATORUM.

(a. 1.) Corporibus gloriosis claritas conveniet . . sic dicitur Mat. 13. 43. *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* . . . (a. 2.) Claritas *autem*

corporis gloriosi naturaliter ab oculo non glorioso videri potest . . . (a. 3.) Et in potestate glorificatae animae erit, quod corpus suum videatur, vel non videatur; sicut et quaelibet actio alia corporis in animae potestate erit.

(Q. 86.) DE CONDITIONIBUS CORPORUM DAMNATORUM RESURGENTIUM.

(a. 1.) Quidquid defectus, vel turpitudinis, ex corruptione, vel debilitate naturae, sive principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione removebitur; sicut febris, lippitudo, et similia. Defectus autem qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur (sicut ponderositas, passibilitas, et similia) in corporibus damnatorum erunt: quos defectus ab electorum corporibus gloria resurrectionis excludet.

(a. 2.) Corpora damnatorum corrumpi non poterunt: et hoc deservit divinae justitiae, ut perpetuo viventes, perpetuo puniantur . . . (a. 3.) et ideo erunt passibilia.

(Q. 87.) DE COGNITIONE QUAM HABEBUNT RESUSCITATI IN JUDICIO RESPECTU MERITORUM, ET DEMERITORUM.

V. Append. C. III, § 2.

Post haec agendum est de his, quae sequuntur resurrectionem. Quorum prima consideratio erit de cognitione, quam habebunt resuscitati in judicio respectu meritorum, et demeritorum. Secunda de ipso judicio generali, ac tempore, et loco, in quo erit.

Tertia de judicantibus, et judicatis. Quarta de forma, in qua judex veniet ad judicandum. Quinta de statu mundi, et resurgentium post judicium.

(a. 1.) Post resurrectionem quilibet cognoscet peccata, quae fecit... (a. 2.) et quilibet poterit legere omnia quae sunt in conscientia alterius... *quia* in ultimo et in communi judicio oportet quod divina justitia omnibus evidenter appareat, quae nunc in plerisque latet.... *et sic* I. Cor. 4. dicitur: *Illuminabit abscondita tenebrarum* etc.... Et haec est probabilior et communior opinio: quamvis contrarium Magister in littera, 4. Dist. 43 dicat, scilicet quod peccata quae sunt per poenitentiam deleta, in judicio aliis non patefient. Sed ex hoc sequeretur, quod neque etiam poenitentia de peccatis illis perfecte cognoscatur: in quo multum detraheretur Sanctorum gloriae, et laudi divinae, quae tamen misericorditer Sanctos liberavit.

(a. 3.) Singuli singula considerabunt, non tamen in istanti, sed in tempore brevissimo, divina virtute ad hoc adjuvante. Et hoc est quod dicit Aug. 20 de Civ. Dei c. 14, quod *mira celeritate cernentur*.

(Q. 88.) DE JUDICIO GENERALI, TEMPORE ET LOCO, IN QUO FIET.

(a. 1.) Duplex judicium distinguitur. Unum, quod respondet operi gubernationis, quae sine judicio esse non potest: per quod quidem judicium unusquisque singulariter pro suis operibus judicatur, non solum secundum quod sibi competit, sed etiam secundum quod competit gubernationi universi. Unde differtur unius praemiatio pro utilitate aliorum, ut patet Hebr. 11, et poenae unius ad profectum alterius cedunt. Unde necesse est ut sit aliud judicium universale

correspondens ex adverso primae rerum productioni in esse; ut videlicet sicut tunc omnia processerunt immediate a Deo, ita tunc ultima completio mundo detur, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum seipsum ... Unde tunc erit universalis separatio bonorum a malis, quia ulterius non erit locus, ut mali per bonos, vel boni per malos proficiant; propter quem profectum interim commixti inveniuntur boni malis, quoadusque status hujus vitae per divinam providentiam gubernatur ... Nec tamen Deus *judicabit* bis in idipsum ... *sed* boni amplius post judicium universale praemiabuntur tum ex gloria corporis adjuncta, tum ex numero sanctorum completo; et mali etiam plus torquebuntur ex adjuncta poena corporis, et impleto in poenis numero damnatorum, quia quanto cum pluribus ardebunt, tanto magis ardebunt.

(a. 2.) Videtur *autem* quod illa sententia et totum judicium mentaliter compleatur ... Testimonium *enim* et accusatio, et excusatio erit mentalis Rom. 2, 15. ... et si vocaliter discuterentur merita singulorum, non possent omnes et singuli judicari simul, Aug. 20 de Civ. Dei c. 14.

(a. 3.) Tempus futuri judicii, ut diximus, est ignotum ... (a. 4.) qualiter *etiam* illud judicium sit futurum, et quomodo homines ad judicium convenient, non potest multum per certitudinem sciri; tamen probabiliter potest colligi ex Scripturis quod circa locum montis Oliveti descendet, sicut et inde ascendit; ut idem esse ostendatur qui descendit, et qui ascendit ... ut Act. 1, 2 dicitur *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in coelum, ita veniet.* Sed ipse ascendit in coelum de monte Oliveti, qui praeeminet valli Josaphat. Ergo et circa loca illa ad judicandum veniet ... sic dicitur Joelis 3, 2. *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem*

Josaphat, et disceptabo ibi cum eis . . . Magna *autem* multitudo in parvo spatio comprehendi potest. Sufficit ponere quantumcumque spatium circa locum illum ad capiendum multitudinem judicandorum; dummodo ab illo spatio Christum videre possint, qui in aere praeeminens, et maxima claritate refulgens a longinquo inspici poterit.

(Q. 89.) DE JUDICANTIBUS, ET JUDICATIS IN JUDICIO GENERALI.

(a. 1.) Judicare ex propria auctoritate est solius Dei. Alio modo judicare, *seu* sententiam alterius auctoritate latam in aliorum notitiam ducere, quod est sententiam latam pronuntiare; hoc modo perfecti viri judicabunt: quia alios ducent in cognitionem divinae justitiae, ut sciant quid juste pro *meritis* eis debeatur . . . *et sic* dicitur Mat. 19, 28. *Sedebitis et vos soupere sedes duodecim, judicantes duodecim* tribus *Israel* . . . (a. 2.) Pauperibus *autem* voluntariis excellentia judiciaria potestatis promittitur. Mat. 19. *Vos qui reliquistis omnia* etc., ut sic qui propter Christum se humiliat, exaltetur.

(a. 3.) *Quia vero* assessores judicis debent judici esse conformes; judicium autem Filio hominis attribuitur, quia secundum humanam naturam omnibus apparebit tam bonis, quam malis; quamvis tota Trinitas judicet per auctoritatem; et ideo etiam oportet ut assessores judicis humanam naturam habeant, in qua possint ab omnibus bonis, et malis videri; sic angelis non competit judicare: quamvis angeli etiam aliquo modo possint dici judicare, scilicet per sententiae approbationem . . . (a. 3.) Daemones autem exequentur sententiam judicis in damnatos . . . (a. 5.) Omnes *vero* homines in judicio

comparebunt . . . (a. 6. 7.) et boni, et mali judicabuntur.

(a. 8.) Judicium discussionis nullo modo habet locum neque in bonis Angelis, neque in malis: quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad judicium pertinens. Sed si loquamur de judicio retributionis, sic est distinguenda duplex retributio. Una respondens propriis meritis Angelorum: et haec a principio fuit utrisque facta; dum quidam in beatitudine sublimati sunt, quidam vero in miseria demersi. Alia retributio est, quae respondet meritis bonis, vel malis per Angelos procuratis: et haec retributio in futuro judicio fiet: quia boni Angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum, quos ad meritum induxerunt; et mali amplius torquebuntur multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati.

(Q. 90.) DE FORMA JUDICIS VENIENTIS AD JUDICIUM.

(a. 1.) Christus in forma humanitatis est judicaturus . . . (a. 2.) Sed cum gloria, ut dicitur Luc. 21, 27. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate* . . . (a. 3.) Cum *autem* Deus essentialiter sit ipsa bonitas, non potest divinitas sine gaudio videri, . . . *et ideo* divinitas a malis videri non poterit . . . manifeste *tamen* cognoscent Christum esse Deum, non per hoc quod divinitatem ejus videant, sed propter manifestissima divinitatis indicia.

(Q. 91.) DE QUALITATE MUNDI POST JUDICIUM.

Consequenter agendum est de qualitate mundi, et resurgentium post judicium: ubi triplex consideratio occurrit. Prima de statu, et qualitate mundi. Secunda de statu beatorum. Tertia de statu malorum.

(a. 1) Mundus innovabitur. *Sane* omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur, unde et omnia dicuntur ei subjecta. Serviunt autem homini dupliciter. Uno modo ad sustentationem corporalis vitae; alio modo ad profectum cognitionis divinae; in quantum homo *per ea quae facta sunt, invisibilia Dei conspicit,* ut dicitur Rom. 1. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit; cum ejus corpus sit futurum omnino incorruptibile, divina virtute id faciente per animam, quam immediate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam: quia tali cognitione Deum Sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit, ideo ut ei etiam solatium sibi congruens de visione divinitatis praebeatur, inspicit divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinae majestatis apparebunt, et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit, ut etiam alia corpora maiorem influentiam a divina bonitate suscipiant, quam nunc; non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriae perfectionem: et haec erit mundi innovatio. Unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur... hinc habetur Isa. 65, 17. *Ecce ego creo novos coelos, et terram novam; et non erunt in memoria priora*

et Apoc. 21, 1. *Vidi coelum novum, et terram novam; primum enim caelum, et prima terra abiit.*

(a. 5.) Praecipue *autem* quantum ad claritatem corpora coelestia meliorabuntur . . . (a. 4.) sicut et elementa , . . (a. 5.) animalia vero, et plantae, et mineralia, et corpora mixta . . . *quia* nullo modo habent ordinem ad incorruptionem, in illa innovatione non manebunt.

(Q. 92. DE VISIONE DIVINAE ESSENTIAE PER COMPARATIONEM AD BEATOS.

Consequenter considerandum est de his, quae spectant ad beatos post judicium generale. Et primo de visione eorum respectu divinae essentiae, in qua eorum beatitudo principaliter consistit. Secundo de eorum beatitudine, et eorum mansionibus. Tertio de modo quo se erga damnatos habebunt. Quarto de dotibus ipsorum, quae in beatitudine eorum continentur. Quinto de aureolis quibus eorum beatitudo perficitur, et decoratur.

(a. 1.) Cum perfectio intelligentis, in quantum hujusmodi, sit ipsum intelligibile, si in perfectissima operatione intellectus homo non perveniat ad videndam essentiam divinam, sed ad aliquid aliud, oportebit dicere, quod aliquid aliud sit beatificans ipsum hominem quam Deus et cum ultima perfectio cujuslibet sit in conjunctione ad suum principium sequitur quod aliquid aliud sit principium effectivum hominis, quam Deus: quod est absurdum . . . Unde oportet ponere quod intellectus noster quandoque perveniat ad videndam essentiam divinam . . . ut dicitur 1. Cor. 13. 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem . . .*

Ut vero dicit Magister II. distin. 1. Unio animae ad corpus est quoddam exemplum illius beatae unionis, qua spiritus unitur Deo.

(a. 2.) Nullo *autem* modo corporalis sensus Deum videbit . . . quia ut Hier. dicit: *Rex incorporalis corporalibus oculis non videtur . . . Sed licet visus et sensus* divinam essentiam non videt sicut visibile per se, videbit tamen eam sicut visibile per accidens; dum ex parte una visus corporalis tantam gloriam Dei inspiciet in corporibus, et praecipue gloriosis, et maxime in corpore Christi; et ex parte alia intellectus tam clare Deum videbit, quod in rebus corporaliter visis Deus percipietur, sicut in locutione percipitur vita. Quamvis enim tunc intellectus noster non videat Deum ex creaturis, tamen videbit Deum in creaturis corporaliter visis. Et hunc modum quo Deus corporaliter possit videri, Augustinus ponit in fine de Civ. Dei, L. ult., c. 29 *ut patet* ejus verba intuenti; dicit enim sic: *Valde credibile est sic nos esse visuros mundana corpora tunc coeli novi et terrae novae, ut Deum ubique praesentem, et universa etiam corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus; non sicut nunc invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sed sicut homines mox ut aspicimus, vivere non credimus sed videmus.*

(a. 3.) Unusquisque *autem* videntium Deum per essentiam tanto plura in ejus essentia conspicit quanto clarius divinam essentiam intuetur: et inde est quod de his potest unus alium instruere. Et sic scientia Angelorum, et animarum sanctarum potest augeri usque ad diem judicii, sicut et alia quae ad praemium accidentale pertinent. Sed ulterius non proficiet: quia tunc erit ultimus status rerum: et in illo statu possibile est quod omnes omnia cognoscant, quae Deus scientia visionis novit... Porro

omnia quae sunt, et erunt, fuerunt, haec dicitur Deus cognoscere notitia visionis: quia ad similitudinem visionis corporalis cognoscit ea quasi praesentia.

(Q. 93.) DE SANCTORUM BEATITUDINE, ET EORUM MANSIONIBUS.

(a. 1.) Major erit sanctorum beatitudo post resurrectionem quam post mortem . . . (a. 2.) Diversi *autem* beatitudinis gradus mansiones dicuntur . . . Joa. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multae sunt:* quod Aug. exponit de variis gradibus praemiorum tract. 67. in Joa . . . (a. 3.) et *quia* diversitas in merendo tota revertitur ad diversitatem caritatis, sic caritas viae distinguet mansiones per modum meriti.

(Q. 94.) DE MODO QUO SANCTI SE HABEBUNT ERGA DAMNATOS.

(a. 1.) Ut beatitudo Sanctorum eis magis complaceat, et de ea uberiores gratias Deo agant, datur eis ut poenas impiorum perfecte videant . . . . (a. 2.) Nec ullam compassionem ad damnatos habebunt . . . (a. 3.) *Sed* divina justitia, et sua liberatio erunt per se causa gaudii beatorum.

(Q. 95.) DE DOTIBUS BEATORUM.

(a. 1.) Ponendae sunt aliquae dotes in hominibus beatis . . . Dos *autem* est perpetuus animae et corporis ornatus, vitae sufficiens, in aeterna beati-

tudine jugiter perseverans . . . (a. 2.) *hinc* beatitudo, et dos realiter differunt, ut beatitudo dicatur ipsa operatio perfecta, qua anima beata Deo conjungitur; sed dotes dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quaecumque aliae qualitates, quae ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem.

(a. 1.) Christo *autem* vel omnino non convenit ratio dotis, vel non ita proprie, sicut aliis sanctis; ea tamen, quae dotes dicuntur, excellentissime ei conveniunt.

(a. 4.) Quamvis Angeli pertineant ad unitatem Ecclesiae; *quia* tamen non sunt membra Ecclesiae; secundum quod Ecclesia dicitur sponsa per conformitatem naturae, sic non convenit eis proprie habere dotes . . . sicut hominibus.

(a. 5.) Quidam dicunt quod tres dotes animae sunt *visio, dilectio,* et *fruitio;* quidam vero dicunt quod sunt *visio, comprehensio,* et *fruitio:* quidam vero quod sunt *visio, delectatio, et comprehensio.* Omnes tamen hae assignationes reducuntur in idem.

(Q. 96.) DE AUREOLIS.

(a. 1.) Praemium essentiale homini, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animae ad Deum, in quantum eo perfecte fruitur ut viso et amato perfecte. Hoc autem praemium methaforice *corona* dicitur, vel *aurea* . . . Sed quia nihil potest superaddi essentiali, quin sit eo minus, ideo superadditum praemium *aureola* nominatur.

(a. 2.) Fructus, de quo Dominus loquitur Matth. 13; ubi fructum dividit in trigesimum, sexagesimum, et centesimum . . . *scilicet* fructus verbi Dei, differt ab aurea, et ab aureola: quia *aurea* consistit in gaudio quod habetur de Deo; *aureola* vero in

gaudio quod habetur de operum perfectione; sed *fructus* in gaudio quod habetur de ipsa dispositione operantis secundum gradum spiritualitatis, in quem proficit ex semine verbi Dei.

(a. 3.) *Quia* fructus est quoddam praemium quod debetur homini ex hoc quod a carnali vita in spiritualem transit; ideo continentiae magis respondet fructus, quam alii virtuti . . . (a. 4.) et secundum diversum modum spiritualitatis, quem continentia facit, diversi fructus distinguuntur . . . . *Sic* servantibus continentiam conjugalem datur fructus trigesimus, vidualem sexagesimus, virginalem centesimus.

(a. 5.) Cum per virginitatem aliquis singularem quamdam victoriam obtineat de carne, contra quam continue bellum geritur ut patet ad Gal. 5. 17: *Spiritus concupiscit adversus carnem etc.*, virginitati specialis corona debetur, quae *aureola* nominatur.

(a. 6.) *Pariter quia* in martyrio est specialis difficultas pugnae, ei debetur specialis aureola.

(a. 7.) Praedicationi etiam et doctrinae aureola debetur, sicut et virginitati, et martyrio . . . Sicut *enim* per martyrium et virginitatem aliquis perfectissimam victoriam obtinet de carne, et mundo, ita etiam contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam expellit eum, non solum a se, sed etiam ab aliis. Hoc autem fit per praedicationem et doctrinam.

(a. 8.) Quamvis id quod est in Christo non habeat rationem aureolae, tamen est excellentius omni aureola . . . (a. 9.) *Et quia* ea quae in hominibus ad perfectionem meriti pertinent, Angelis sunt connaturalia; vel etiam spectant ad communem statum eorum, aut etiam ad ipsum praemium essentiale; ideo ratione qua hominibus aureola debetur, Angeli non habent aureolam.

(a. 10.) Aureola proprie est in mente: est enim gaudium de operibus illis quibus aureola debetur. Sed sicut ex gaudio essentialis praemii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis; ita ex gaudio aureolae resultat aliquis decor in corpore, ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quamdam etiam redundantiam refulgeat in corpore. Tamen sciendum est quod decor cicatricum, que in corporibus Martyrum apparebunt, non potest dici aureola: quia aliqui martyres aureolam habebunt, in quibus hujusmodi cicatrices non erunt, utpote illi, qui sunt submersi, aut famis inedia, vel squalore carceris, interempti.

(a. 12.) Simpliciter loquendo aureola matyrum inter omnes est potior . . . Et propter hoc etiam Ecclesia in connumeratione Sanctorum, Martyres Doctoribus et Virginibus praeordinat. Sed quantum ad aliquid nihil prohibet alias aureolas excellentiores esse , . . (a. 13.) *et quia* meritum aureolae *potest* majus, et minus, sic et aureola potest esse *major*, et minor.

(Q. 97.) DE POENA DAMNATORUM.

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad damnatos post judicium: et prime de poena damnatorum, et igne quo eorum corpora cruciabuntur: secundo de his quae pertinent ad eorum affectum, et intellectum; tertio de justitia, et misericordia Dei respectu damnatorum.

(a. 1.) Sicut omnis creatura erit beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescet, secundum illud Sap. 25, 21: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*

(a. 2.) Vermis qui in damnatis ponitur, non debet intelligi esse corporalis, sed spiritualis, qui

est conscientiae remorsus . . . (a. 3.) Fletus *autem* qui erit in damnatis, est corporalis. . . et respondet delectationi culpae, quae fuit in anima, et corpore.

(a. 4.) Dispositio inferni erit talis, quod maxime miseriae damnatorum competet. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebrae, prout maxime spectant ad miseriam damnatorum . . . (a. 5.) Quidquid autem dicatur de igne, qui animas separatas cruciat, de igne tamen, quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, oportet dicere quod sit corporeus; quia corpori non potest convenienter adaptari poena, nisi corporea . . . Qualiter autem animae damnatorum ab igne isto corporeo puniantur, alias dictum est q. 70. a. 3.

(a. 6.) Ignis inferni est ejusdem speciei cum igne nostro . . . (a. 7.) et est sub terra, . . . et sic sicut conveniens locus gaudio electorum est coelum empyreum, ita conveniens locus tristitiae damnatorum est infimum terrae, ex Aug. lib. 12. super Gen. c. 34. . . *Licet* idem dicit lib. 20. de Civ. Dei c. 16. *In qua parte mundi infernus sit, scire neminem arbitror, nisi cui divinus spiritus revelavit.*

(Q. 98.) DE VOLUNTATE ET INTELLECTU DAMNATORUM.

(a. 1.) Voluntas deliberativa in damnatis est solum mala: et hoc ideo quia sunt perfecte aversi a fine ultimo rectae voluntatis.

(a. 2.) Nec poenitebunt, per se loquendo, de peccatis, quia voluntas malitiae peccati in eis remanet: poenitebunt autem per accidens, in quantum affligentur de poena, quam pro peccato sustinent.

(a. 3.) Recta *autem* et deliberativa ratione vellent non esse . . . *quia* melius est damnatis non

esse, quam miseros esse . . . (a. 4.) Et felicitas Sanctorum ab eis considerata maxime eos affligit, unde dicitur Isa. 26. 2. *Videant, et confundantur zelantes populi: et ignis hostes tuos devoret;* unde vellent omnes bonos esse damnatos . . .

(a. 5.) Et Deum percipientes in effectu justitiae, qui est poena, eum odio habent; sicut et poenas quas sustinent.

(a. 6.) *Sicut autem* bona voluntas in beatis non erit meritum, sed praemium; ita et mala voluntas non erit in damnatis demeritum, sed poena tantum. .. Sed ante diem judicii quidam dicunt, et beatos mereri, et damnatos demereri. Sed hoc non potest esse respectu praemii essentialis, vel poenae principalis, cum quantum ad hoc utrique ad terminum pervenerint; potest tamen hoc esse respectu praemii accidentalis, vel poenae secundariae, quae possunt *augeri* usque ad diem judicii: et hoc praecipue in daemonibus, vel Angelis bonis; quorum officio aliqui trahuntur ad salutem, ex quo beatorum Angelorum gaudium crescit; vel ad damnationem, ex quo crescit poena daemonum.

(a. 7.) In damnatis erit actualis consideratio eorum, quae prius sciverunt, ut materia tristitiae, non autem ut delectationis causa . . . (a. 8.) Deus secundum se, et secundum id quod est ei proprium, scilicet esse totius bonitatis principium, *quod* nullo modo cogitari potest sine delectatione; sic nullo modo a damnatis cogitabitur. Alio modo secundum aliquid quod est ei quasi accidentale in effectibus ejus, utpote punire, vel aliquid hujusmodi, et secundum quod consideratio de Deo potest tristitiam inducere; hoc modo damnati de Deo cogitabunt.

(a. 9.) Dicitur Luc. 16. quod dives in tormentis positus vidit Abraham, et Lazarum in sinu ejus. Dicendum *ideo*, quod damnati ante diem judicii vide-

bunt beatos in gloria; non hoc modo, quod gloriam eorum qualis sit, cognoscent; sed solum cognoscent eos esse in gloria quadam inaestimabili, et ex hoc turbabuntur, tum propter invidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Unde dicitur Sap. 5. 2. de impiis: *Videntes turbabuntur timore horribili.* Sed post diem judicii omnino beatorum visione privabuntur: nec tamen ex hoc eorum poena minuetur, sed augebitur, quia memoriam habebunt gloriae beatorum, quam in judicio viderunt, vel ante judicium, et hoc erit eis in tormentum; sed ulterius affligentur in hoc quod videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam, quam Sancti merentur habere.

(Q. 99.) DE MISERICORDIA, ET JUSTITIA DEI RESPECTU DAMNATORUM.

(a. 1.) *Sicut* quandoque ille qui peccat in aliqua civitate, ex hoc ipso peccato efficitur dignus, ut totaliter a civium consortio repellatur vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem . . . Ita etiam secundum divinam justitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari; quod fit per omne peccatum, quo contra charitatem peccat, quae est vinculum civitatem praedictam uniens, et ideo pro peccato mortali, quod est contrarium charitati, aliquis in aeternum a societate sanctorum exclusus aeternae poenae addicitur. Quia ut Aug. dicit lib. 21. de Civ. Dei c. 11. *Quod est de civitate ista mortali, homines supplicio primae mortis, hoc est de civitate illa immortali, homines supplicio secundae mortis auferre* . . . Inveniuntur etiam aliae rationes a sanctis assignatae, quare juste pro peccato temporali aliqui poena perpetua puniantur. Una est;

quia peccaverunt contra bonum aeternum, dum contempserunt aeternam vitam: et hoc est etiam quod Aug. in praedicto libro c. 12. dicit: *Factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum.* Alia ratio est, quia homo in suo aeterno peccavit . . . quia vellet perpetuo in peccato manere, si hoc sibi esset impune . . . Potest et alia ratio assignari, quare poena culpae mortalis sit aeterna: quia per eam contra Deum, qui est infinitus, peccatur. Unde cum non possit esse infinita poena per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitae, requiritur quod sit saltem duratione infinita. Est etiam quarta ratio ad hoc idem: quia culpa manet in aeternum, cum culpa non possit remitti sine gratia, quam homo non potest post mortem acquirere, nec debet poena cessare, quamdiu culpa manet.

(a. 2.) *Error autem Origenis fuit,* ut Aug. dicit l. 21. de Civ. Dei c. 17. et 23., quod *Daemones quandoque per Dei misericordiam liberandi sint a poenis.* Sed iste error est ab Ecclesia reprobatus.

(a. 4.) Quidam *etiam* fuerunt, ut dicit Aug. in praedicto lib. c. 20. 21. qui non omnibus promiserunt absolutionem a poena aeterna, sed solis Christianis: et in hoc *etiam* diversificati sunt . . . Sed hoc manifeste contrariatur scripturae: quia Jacobi 2. 20. dicitur. *Fides sine operibus mortua est:* et Mat. 9. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est.* (a. 5.) Jacobi *etiam* 2. 10. dicitur: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* . . . Et ideo dicendum, quod quicumque cum peccato mortali decedunt, nec fides, nec opera misericordiae eos liberabunt a poena aeterna, etiam post quantumcumque spatium temporis.

MONITUM

EX EDITIONE A P. DE RUBEIS ILLUSTRATA.

Ne inolitam Supplementi quaestionum seriem turbaremus, huc transtulimus quaestiones duas, quas a Supplementi Auctore omissas primus concinnavit Nicolajus, et post septuagesimam collocavit, aucto deinceps numero insequentium usque ad finem quaestionum. His addimus articulos duos, quos cum aliis sex secundae quaestioni junctos, et unica quaestione comprehensos dedit editio Patavina anno 1712 in calce T. II. Supplementi; ut nihil jam in hac editione desiderandum supersit.

(Q. 1., *Apud Nicolajum)* DE QUALITATE ANIMARUM, QUAE CUM ORIGINALI PECCATO SOLO EX HAC VITA DECEDUNT.

De qualitate ex S. Thom. in II. Sent. dist. 33. *q.* 2.

Deinde considerandum est in particulari de diversis qualitatibus animarum corporibus exutarum juxta diversum statum earumdem: et primo quidem de animabus, quae cum sola originali culpa ex hac vita decedunt.

(a. 1.) Aug. Enchir. c. 92. dicit poenam parvulorum, qui originali tantum tenentur, omnium esse mitissimam. Sed hoc non esset si sensibili poena torquerentur, quia poena ignis inferni est gravissima. Ergo poenam sensibilem non sustinebunt. Praeterea: acerbitas poenae sensibilis delecta-

tioni culpae respondet: Apoc. 18. 7. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Sed in peccato originali non est aliqua delectatio, sicut nec operatio: delectatio enim operationem consequitur. Ergo peccato originali non debetur poena ignis. Praeterea Greg. Nazianzenus Orat. 40. de his, qui sine culpa sua baptismum non receperunt, ut infantes . . . dicit, quod ipsi *nec coelesti gloria, nec aeterno inferni supplicio a justo, et aeterno judice afficientur*... et rationem reddit, cur etiamsi ad gloriam coelestem non pervenient, poenas tamen aeternas, quales damnati patiuntur, non propterea sustineant. *Quia medium quoddam inter utrumque reperitur; nec statim supplicio dignus est, qui honorem sive gloriam non meretur; vel e converso non statim promeretur gloriam vel honorem, qui supplicio dignus non est* . . . Et sane nulla alia poena ei debetur, nisi privatio illius finis, ad quem donum subtractum ordinabat, ad quod per se natura humana attingere non potest; hoc autem est divina visio: et ideo carentia hujus visionis est propria et sola poena originalis peccati post mortem.

Objic. Primo: dicit Aug. (Fulgentius) de fide ad Petrum c. 27. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, parvulos, qui sine sacramento baptismatis de hoc saeculo transierunt, aeterno supplicio puniendos.*

2. Praeterea: cum veniali peccato debeatur poena ignis, multo amplius originali.

3. Praeterea. Gravius puniuntur peccata post hanc vitam, quam in vita ista, ubi est misericordiae locus. Sed in hac vita respondet originali poena sensibilis: pueri enim qui solum originale habent, multas poenas sensibiles sustinent, nec injuste. Ergo et post hanc vitam poena sensibilis ei debetur.

4. Praeterea. Sicut in peccato actuali est aversio, et conversio; ita et in peccato originali aliquid

aversioni respondet, scilicet privatio originalis justitiae; et aliquid conversioni, scilicet concupiscentia. Sed peccato actuali ratione conversionis debetur poena ignis, ergo et originali ratione concupiscentiae.

Praeterea. Corpora puerorum non habebunt dotem impassibilitatis . . . Ergo praesentibus corporibus activis sensibilem poenam patientur.

Ad I. dicendum quod *supplicium* non nominat in auctoritate illa poenam sensibilem, sed solum poenam damni, quae est carentia divinae visionis, etiam sicut nomine ignis frequenter in Scriptura quaelibet poena significari consuevit.

Ad II. Dicendum quod inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habeat de voluntario, non enim est voluntarium voluntate ipsius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus, in quo est; et ideo minor poena debetur originali, quam veniali. Nec obstat quod originale non compatitur secum gratiam; privatio enim gratiae non habet rationem culpae, sed poenae nisi in quantum ex voluntate est, unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa. Similiter etiam non obstat quod peccato actuali veniali temporalis poena debetur, quia hoc est per accidens in quantum decedens in veniali tantam gratiam habet, virtute cujus poena purgata est. Si autem veniale peccatum sine gratia in aliquo esset, perpetuam poenam haberet.

Ad III. Dicendum, quod non est eadem ratio de poena sensibili ante mortem, et post mortem: quia ante mortem poena sensibilis consequitur virtutem naturae agentis.

Ad IV. Dicendum quod dolor sensibilis respondet delectationi sensibili quae est in conversione actualis peccati; concupiscentia autem habitualis, quae

est in originali peccato, delectationem non habet: ideo dolor sensibilis non respondet ei pro poena.

Ad V. Dicendum, quod corpora puerorum non erunt impassibilia ex defectu potentiae ad patiendum in ipsis, sed ex defectu exterius agentis in ipsa: quia post resurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, praecipue ad corruptionem inducendam per actionem naturae; sed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinae justitiae. Unde illa corpora poenam non patientur, quibus poena sensibilis ex divina justitia non debetur. Corpora autem Sanctorum erunt impassibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum: et ideo impassibilitas in eis erit dos, non autem in pueris.

(a. 2.) Cognitionem *autem* perfectam habebunt eorum, quae naturali cognitioni subjacent, et vita aeterna se privatos esse cognoscent, et causam, quare ab eo exclusi sunt; nec tamen ex hoc aliquo modo affligentur . . . Pueris *enim* nunquam fuere proportionati ad hoc, quod vitam aeternam haberent: quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat; nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur. Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae; immo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate, et perfectionibus naturalibus. Nec potest dici, quod fuerunt proportionati ad vitam aeternam consequendam, quamvis non per actionem suam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari, sicut et multi pueri ejusdem conditionis baptizati vitam aeternam consecuti sunt: hoc est enim superexcedentis gratiae, ut aliquis sine actu proprio praemietur. Unde defectus talis gratiae non magis tristitiam causat in pueris decendentibus non baptizatis, quam in sapientibus hoc,

quod eis multae gratiae non fiunt, quae aliis similibus factae sunt.

Et quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam; non tamen ab eo penitus sunt separati, immo ei conjunguntur per participationem naturalium bonorum : et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, et dilectione. *(Quae sequuntur Nicolajus addidit)* Non tamen eo modo gaudebunt, quo perperam intelligebant Pelagiani, vitam illis beatam assignantes, quia nullum in eis detrimentum naturae, nec peccatum originale cognoscebant. Illorum enim sensus erat, quod ejusmodi parvuli, quamvis absque baptismo decedentes, ab omni prorsus poena immunes ita essent, ac si Adamo non peccasset: quia peccatum ejus nihil in ipsius posteros, vel in ipsam naturam ex ipsius persona propagatam, corruptionis intulerat. Et propterea tale gaudium parvulorum non distinguebant ab adultis, nisi quatenus isti pro bonis operibus actualiter a se factis aliquod singulare praemium reportarent, quod sub nomine requiei coelorum, a quo Christus non baptizatos excludebat, significatum intelligebant. Gaudium autem naturale duntaxat hic ponitur, quod poenam damni, vel carentiam visionis beatificae non excludit.

(Q. 2, *Apud Nicolajum*) DE QUALITATE ANIMARUM QUAE IN PURGATORIO PROPTER PECCATUM ACTUALE, VEL EJUS POENAM EXPIANTUR.

Ex S. Thom. IV. Sent. dist. 21. q. 1.

Deinde considerandum est de animabus, quae post hanc vitam propter actualium peccatorum poenam igne purgatorio expiantur.

(a. 1.) Poena purgatorii quantum ad poenam damni, et sensus excedit omnem poenam istius vitae . . . (a. 2.) Estque voluntaria, quia sine illa ad bonum pervenire non possumus: et sic voluntas eam supportat, et quantum ad hoc voluntaria dicitur.

(a. 3.) Sola justitia divina electi post hanc vitam purgantur, non ministerio daemonum, quorum victores exstiterunt, nec ministerio Angelorum, qui cives suos non tam vehementer affligerent. Sed tamen possibile est, quod eos ad loca poenarum deducant: et etiam ipsi daemones, qui de poenis hominum laetantur, eos comitantur, et assistunt purgandis, tum ut eorum poenis satientur, tum ut in eorum exitu a corpore aliquid suum ibi reperiant. In hoc autem saeculo, quando adhuc locus pugnae est, puniuntur homines et a malis angelis, sicut ab hostibus, ut patet de Job; et a bonis, sicut patet de Jacob, cujus nervus femoris angelo percutiente emarcuit, Gen. 32. Et hoc etiam expresse Dionysius dicit c. 4. de Divinis nominibus, quod boni Angeli interdum puniunt.

(a. 4.) Culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium: quia poena illa aliqualiter voluntaria, virtute gratiae habebit vim expiandi culpam omnem, quae simul cum gratia stare potest.

(a. 5.) Et quia reatus nihil est aliud, quam debitum poenae, per hoc quod aliquis poenam sustinet, quam debebat, reatu absolvitur, et secundum hoc poena purgatorii a reatu purgat.

(a. 6) Et quia ea, quae sunt majoris adhaerentiae, tardius purgantur; ideo quidam in purgatorio diutius, quam alii torquentur, secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.

(*Haec Nicolaj sunt*) Caeterum quod sit ignis proprie dictus vera purgatorii poena, patet aperte satis ex Latinorum, et Graecorum locutione uniformi, priusquam in dubium ac disceptationem ejus veritas vocaretur. Inter Latinos enim Aug. in Psal. 37: *In hac vita me purges, et talem reddas, cui emendatorio igne non sit opus:* et lib. I. Homil. 16. *Qui temporalibus poenis digna gesserunt, per ignem quemdam purgatorium transibunt.* Ambrosius, Hieron., Greg., Bernardus, idem confirmant . . . inter Graecos, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus. etc . . . Hinc et iidem fere omnes nunc locum illum Luc. 3. *Baptizabit vos in Spiritu Sancto, et igni;* nunc illum I. Cor. 3. *Salvus eris quasi per ignem,* sic explicant, ut praeter quasdam, quas adjiciunt interpretationes, *ignem purgatorii* utrobique significari velint. Cum ergo verba Patrum, et potissimum verba Scripturae, quantum fieri potest proprio sensu intelligi debeant, quando nihil metaphorice sumi cogit; et alioquin proprium sit maxime ignis, ut purgativus esse possit; hinc verus ignis purgatorius, et non metaphoricus tantum putandus est, sicut et de igne inferni suo loco dictum est. *Hactenus Nicolajus.*

Articuli duo de Purgatorio ex editione Patavina anno 1712. *S. Thom. IV. dist.* 21, 9, 1.

(a. 1.). Oportet quod ille qui post contritionem de peccato, et absolutionem decedit ante satisfactionem debitam, post hanc vitam puniatur. Et ideo illi, qui purgatorium negant, contra divinam justitiam loquuntur. Et propter hoc erroneum est, et a fide alienum. Unde Greg. Nyssenus dicit (aequivalenter in Ora. de his qui in fide dormiunt): *Si aliquis Christo amico consentiens, in hac vita purgare peccata minus potuerit, post transitum hunc per purgatorii ignis conflagrationem expeditur.* Postea subjungit: *hoc praedicamus, dogma veritatis servantes; et ita credimus: hoc etiam universalis Ecclesia tenet, pro defunctis exorans, ut a peccatis solvantur*, ut II. Mach. 12. 46. dicitur: quod non potest nisi de illis, qui sunt in purgatorio, intelligi. Ecclesiae antem auctoritati quicumque resistit, haeresim incurrit . . . Ergo purgatorium est post hanc vitam.

(a. 2.) De loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura; nec rationes possunt ad hoc efficaces induci. Tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis Sanctorum dictis, et revelationi factae multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem, et sic locus purgatorii est locus inferior, inferno conjunctus; ita quod idem sit ignis qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat: quamvis damnatis, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sint. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem: et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum

subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigaretur . . . Hugo de S. Victore dicit L. II. de Sacram. p. 16, c. 4. *Probabile est quod in his locis puniuntur in quibus commiserunt culpam.* Gregorius etiam in dialogis narrat, L. 4, c. 40, quod Germanus Episcopus Capuanus Paschasium, qui in balneis purgabatur, invenit . . . *Quod* procedit secundum dispensationem specialem.

FINIS

APPENDIX

ADNOTATIONUM

IN TERTIAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGICAE

D. THOMAE AQUINATIS

Feracissimam rerum segetem hoc tomo comprehensam, videlicet de Incarnationis Mysterio a q. 1 ad 59; de *Sacra*mentis, a q. 60 ad 90, et a q. 1 ad 68 Supplem. deque *Vita* aeterna a q. 69 Supp. ad finem, tribus prosequuti sumus adnotationum capitibus. Mirum fortasse alicui videri poterit, nos levi nimium calamo in argumentis adeo spei, et beatitudini nostrae proficientibus haec attigisse; verum ipsamet veritatum ab Angelico expositarum copia a fusiori illustratione nos eximit. Jam in Praefatione T. I, de Supplemento huic tertiae partis ex scriptis D. Thomae in II Sententiarum adjecto, egimus; hic insuper praemonendum binas quaestiones, binosque articulos ad calcem additos a nobis fuisse ex editione a P. de Rubeis illustrata depromptos.

CAPUT PRIMUM

DE INCARNATIONE

§ I.

De Verbi Divini Incarnatione.

A Q. 1. ad 26.

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, Gal. 4. 5. De hoc igitur immensae largitatis opere, ex instituto brevibus notis loquamur, et quia bifariam amplissimum, saluberrimumque tractatum istum partitur Angelicus, ita et nos duplici § procedemus, quorum primus de ipsamet incarnatione generatim discutiet respectu ad quaestiones a. n. 1 ad 26; alter de Salvatoris nostri gestis et gloria, a q. 27. ad 59.

Quia vero *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula,* Hebr. 1, idcirco parumper de venturi Messiae vaticiniis praefandum, quae eximiis juncta miraculis in J. C. fide patratis, ineluctabilia constituunt veritatis divinae incarnationis, nostraeque inde enatae Ecclesiae, argumenta. De miraculis porro tum alibi, quum in sequentibus qq. sermo occurret. Praecipua inter vaticinia, recenseas illud Gen. 3, 14 quando *ait Dominus ad serpentem . . . inimicitias ponam inter te, et mulierem,* etc. sed specialius ex promissis Domini ad Abraham, quae repetit laetabunda Maria, Verbo Dei foeta, in Cantico: *sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, et semini ejus;* hancque benedictionem, ac promissionem futuri Liberatoris, ipse Deus renovavit in Isaac, et Jacob, ut in Gen. habetur. Verum,

illustrior prophetia est illa Jacobi, Gen. 49, 8, dum filiis suis benedicens, ad Judam quartum filiorum, cujus nomen sonat *laus, laudatus*, dixit: *Juda, te laudabunt fratres tui . . . . adorabunt te filii Patris tui . . . . non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Frequentius dein, ac uberius, post egressum Israel de Ægipto istiusmodi vaticinia obtinuere, adeout nedum prophetae ipsi, sed et caeremoniae, ac ritus, aliaque id genus ad judaicum populum spectantia, totidem venturi Messiae figurae, ac vaticinia fuerint; siquidem *omnia, in figura contingebant illis*, I. Cor. 10, 11. Mirum hinc ideo, quod tanta caecitate viluerit electus populus, ut nonnisi imperfecte sui Liberatoris adventum praenoverit, et carnali omnia intuens oculo, Eum magni triumphatoris, ac potentissimi regis instar sibi confinxerit, adeout dum humilis, ac mansuetus in propria venit, sui eum non receperint. Interim, hoc etiam observemus, quod et tempus adventus illius praedictum fuerit, nempe post ablatum sceptrum de Juda, postque annorum hebdomadas septem supra sexagintaduas a Daniele praenuntiatas a reaedificatione secundi Templi c. 9; et ante hujus secundi eversionem Templi, ex Aggaeo c. 2. et Malachia c. 3; immo adnotes, et partum e Virgine, Isa. 7. *Jer. 31*, et locum nativitatis in Bethlehem, Mich. 5. sicut et praecipua vitae J. C. gesta, mortem, resurrectionem, ac gloriam, nec non Judaeorum dispersionem, gentium conversionem, Ecclesiam, etc. in veteri Testamento aperte praedici.

Acerrime de allatis prophetiis disceptatum contra Judaeos, aliosque male feriatos criticos fuit, ut reapse in Christo Jesu adimpletae demonstrarentur; illae praesertim Jacobi, ac Danielis, eruditis gravissimisque contentionibus exagitatae fuere. Apologistas Religionis, Biblicos, Theologos, Criticos adi. Porro circa Jesu Christi tempus, auctoritas, vel praeminentia, per sceptrum a Jacob designata, a Judaico populo defecit, regnante scilicet Herode alienigena, ac Judaea a Romanis in provinciam redacta, et dein Jerusalem a Tito excisa, et dispersis, confusisque per orbem tribubus, ut omnis priscae genealogiae certitudo interierit, sive in tribu Juda, sive in aliis. Utique nonnulli pro sceptro legunt virgam afflictionis, quia vox *Schevet* id innuere ajunt Exod. 21. Prov. 23, etc. Ast et sceptrum, seu praeminentia, hoc vocabulo pluries exprimitur. Immo c. 14. Abnezra, et alii celebres Rabbini hoc eo loci intelligi fatentur; V. *Munimen fidei* p. 1, quod et versiones omnes tenent; estque omnino conforme

benedictionibus a Jacobo filiis suis ominatis, et praenuntiatae superioritati Judae, Leoni assimilato; et aliunde falsa fuisset in adversariorum sensu prophetia; siquidem in V. T. aliquando virgam afflictionis experti non sunt Judaei, nempe sub piis principibus; tunc ergo venire debuisset ille, qui mittendus erat. Legas Basnagium *Hist. de Juifs* l. 5, c. 4, Huetium *demonstr. Ev.* C. 4, Sherlock in dissert. juncta operi *de l'usage et de la fin de la Prophetie*, Bortolucci *Biblioth. Rabbin.* Deylingium *de Judaeorum jure gladii, tempore Christi*, in t. 26. Ugolini, ubi ostenditur id tantum a Romanis relictum fuisse Judaeis, ut in delinquentes in patrias leges animadverterent, non vero in aliorum criminum reos, sicque quoad Jesum de rebellione in Caesarem ab ipsis accusatum, responderunt Pilato: *nobis non licet interficere quemquam;* dum Stephanum, et Apostolos, tamquam suae religionis defectores, punierunt. Videas quoque Calmet, Morinum, Natalem ab Alex., etc. Mazzocchi in Spicileg. Bibl. t. 1. observat, nomine Judae, intelligi totam judaicam gentem, a Judae superioritate sic nuncupatam, proindeque legendum esse ait: *non auferetur sceptrum de Juda, nec legislator de peditibus ejus, donec, etc.* Pedites porro, idem sunt, ac *populares*, vel *cives*. Sicque omnino patet, Jacobaeum vaticinium adimpletum fuisse, dum exiit Messias e judaica gente. Huic applicationi, communiter subscribunt eruditi.

Danielis vaticinium de septuaginta hebdomadis, infensissimos nactum fuit hostes, praesertim circa tempus incipiendi hebdomadas istas annorum, seu an. quatercentorum nonaginta, in quarum ultima deficere debuerit *hostia*, et *sacrificium*. Berti asserit, initium hujusce supputationis figendum esse ad annum septimum imperii Artaxersis Longimani, Regis Persarum, qui regnare coepit an.mundi 3540, ac Periodi Julianae 4250, et ante aeram nostram, 460. Aliter alii nonnulli. Veruntamen, hoc certo certius profluit, quod jam decem et octo fere saecula fluxerunt a destructione Templi et Jerusalem, ergo et Messias jampridem advenit. Nuper cl. Simeon de Magistris. Graecam Danielis versionem septuaginta interpretum ex Bibl. Chisiana Romae 1772 vulgavit. sicut Cajetanus Bugatus an. 1788 exhibuit septemviralem Danielis versionem, *ex Tetraplis desumptam ex Codice Syro-Estranghelo Biblioth. Ambros.* Varietates utique nonnullae. in hisce codicibus cum vulgata comparatis, inspiciuntur, at saltem ex omnibus elucet characteres et circumstantias adventus mortisque Messiae jam adimpletas

fuisse; quod maxime in Judaeos, ac incredulos facit. Videas praedictorum illustrium editorum praefationes. An. 1775 in Hollandia, codici a de Magistris vulgato, *Animadversiones, et praefationes adjecit* Carolus Segear. Nova adventus Messiae demonstratio, ex Psal. 4 ingenti prorsus labore, et acumine, mox inita fuit a Baldo in Dissert. Venetiis 1799. Summopere autem ad evidentissimam, simulque magnificentissimam Messiae D. N. J. C. demonstrationem, exoptandum sacrarum disciplinarum cultoribus est, ut in lucem prodeat insigne opus a Cl. Pey Parisiensis Ecclesiae Canonico, fatis functo Venetiis an. 1797, immensa ingenii veritatisque praestantia elaboratum, quod penes Auctorem ipsemet vidi, ac sum admiratus, cui titulus, *Propheties de l'ancien, et du nouveau Testament, relativement au regne de J. C.*

Insuper observare est, vel ipsos Christiani nominis osores Messiae adventui, gloriaeque J. C. suffragari. Josephus Flavius inter Judaeos nobilitate, eruditioneque praestantissimus, insigne de J. C. testimonium in suis, *Antiq. Jud.* l. 18, c. 4, nobis reliquit: *eodem tempore, fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt; plurimosque tam ex Judaeis, quam ex gentibus, sectatores habuit. Christus erat, quem accusatum a nostrae gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus vates hoc, et alia multa miranda de eo praedixerunt, ut usque in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum, non defecit.* Hunc textum, Josepho abjudicare student e Judaeis, immo et Christianis nonnulli, ast veteres codices, tum Graeci, cum Latini, illum referunt, exceptis quibusdam haebraice scriptis, e quibus non raro hic textus abrasus judaica fraude fuit, quam in codice haebraico Bibl. Vatic. abrasionem, ipsemet Card. Baronius inspexit; dein veteres Scriptores hunc Josepho asserunt, Eusebius Caesariensis, Hieronymus, Ruffinus, etc., nec ullus ante saec. XVI de hujusce Flaviani textus authenticitate anceps haesit; immo et Auctoris congruit stylo, ac difficile concipi posset, cur de Jesu siluerit, dum loquitur l. 18. de D. Jo. Baptista, l. 20 de Jacobo, quem fratrem Dei, sive J. C. nuncupat. Vide Fabry *in Syllabo Scriptorum, qui veritatem Relig. Christ. asseruerunt*, Append. I. *de scriptis graecis;* Ittigium *in Prolegom. ad Josephum.*

Quoad profanos de J. C. testes, celebria Sybillarum carmina in primis veniunt, dein Acta Pilati, quibus maxime Messiae merita extolluntur, adeout, Tiberius apotheosim J. C. a Senatu Rom. petierit; Celsus Epicureus, Julianus Apostata, et alii J. C. hostes, illustria de eo posteritati mandarunt; ipsaque Ecclesiae institutio super Synagogae ruinas, Sanctorum virtutes, miracula in nomine J. C. facta, praefatae prophetiae ad unguem verificatae, ac ipsamet Judaeorum dispersio, dubium omne de Messiae adventu dispellit. Nuper, de Rossi edidit Parmae *de vana expectatione Messiae*. Caeterum haec, aliaque scitu jucunda et utilia in hanc rem, apud Petavium, Tournely, Berti, Gazzaniga, aliosque fusiores dogmatum Scriptores, nec non Religionis Christianae Apologistas, ac Huetium *Demonstr. Ev.* et summum opus D. Mairan, *Divinitas D. N. J. C.*

Hisce praestitutis, seriem quaestionum Angelici de incarnationis mysterio prosequentes, hujus praecipuos adversarios percontamur. Jam, D. Paulus I. Cor. 1, 23, ajebat; *praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;* atque tristi experimento idipsum omni aevo compertum ex hisce hostibus est; et philosophi quidem, tanti mysterii incomprehensibilitatem pro absurditate traducunt. Judaei magnificum Messiam, triumphatorem, terrenaeque opulentiae auctorem expectantes, horrenda caecitate, ac cordis obduratione, quem cruci affixere, adhuc inexplebili oderunt livore. Verum utrisque, ac aliis quibusvis defectoribus, cum Pico Mirandulano, caeteroquin philosophico pallio indui inhiante, reponere fas est: *magna insania est, Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicae resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, daemones confitentur.* Quoad Gentiles praesertim, profanosque omnis aetatis antichristianos, eos cum Aug. l, 10 *de Civ. Dei* c. 29 sic arguere possumus: *quid causae est, cur propter opiniones vestras, quas vos ipsi oppugnatis, Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, et vos superbi estis? . . . Quod iterum dico: Christus est humilis, vos superbi An forte corrigi pudet? et hoc vitium, nonnisi superborum est. Pudet videlicet doctos homines, ex discipulis Platonis, fieri discipulos Christi: qui piscatorem suo spiritu docuit sapere, ac dicere: in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est*

nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Ecquis sane eorum illum audiat Praeceptorem, qui ait: *discite a me quia mitis sum, et humilis corde?* Vel hasce virtutes non docent, vel non in se ipsis exprimunt. *Quae igitur societas luci ad tenebras, quae conventio Christi ad Belial, aut pars fideli cum infideli?* Incarnationis convenientiam, ostendit D. Thomas in q. 1, ideoque et ejus possibilitas evincitur, quae utique ad mysterium revocanda est, immo et *magnum pietatis Sacramentum* cum Apostolo I. Tim. 3, 16, vocari debet, sed non ideo absurditatis postulanda, sicut de omnibus mysteriis generatim contra pseudo-criticos demonstrat Praeceptor noster in C. 7, L. 1 *contra Gentes*, relato in Append. T. I, C. I, § 1, et sicut speciatim innotescit, ex eorum solutione objectorum, quae haeretici juncto cum incredulis foedere, contra Incarnationem ursere.

Ut haereseon percensionem exordiamur, omissis relatis Philosophorum, ac Judaeorum blasphemiis, ac iis, quae ex Arrianismo praesertim contra Dei Verbum, jam attulimus in Append. T. I, c. 3, § 3, mox observamus.

Circa modum unionis naturae divinae cum humana in Verbo incarnato J. C. D. N., ut D. Thomas in q. 2 observat, Nestoriana, ac Eutychiana lues intumuit. Nestorius natione Syrus, facundia utique, sed mediocri doctrina pollens, hypocrisi autem foedatus, ad Constantinopolitanum Patriarchium evectus an. 428, Theodori Mopsuesteni Episcopi vestigiis inhaerens, ut fertur, suae haereseos virus, circa moralem tantum non vero hypostaticam unionem duarum naturarum in Christo, evomuit, duasque idcirco personas in eo admisit, solumque hominem in V. Mariae utero efformatum fuisse effutiit, unde hanc non Deiparam, sed Christiparam nuncupandam voluit.

Tales blasphemias Constantinopolitanus populus cum aliis orthoxis perhorruit, ac S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha pro virili huic haeresi restitit, scripsitque l. *de recta in Christum fide*, nec non ad ipsum Nestorium litteras hortatorias misit, aliasque ad Coelestinum Papam, vix novit Nestorium ad hunc Pontificem de sua causa scripsisse. Coelestinus vero, coacto Romano Concilio an. 430, Nestorium communione, dignitateque privavit, ni intra dies decem resipuisset; ac S. Cyrillum Apostolicae Sedis Legatum in hac re constituit. Hic, habita eodem anno cum suis Patriarchatus Episcopis Synodo, duodecim percelebres anathematismos confecit, et ad

Nestorium misit, quibus ipse errores suos ejurare debebat; at in praeceps ruens, eos Arrianismo favere causatus, totidem blasphemos opposuit anathematismos; resque adeo ebulliit, ut Ephesina Oecumenica Synodus indicta fuerit an. 431, in cujus prima Sessione, die 22 Junii, a 153 Episcopis, et ab aliis pariter dein subscripta, praeside S. Cyrillo, lata sententia fuit excommunicationis, ac depositionis in Nestorium, ac inenarrabili Ephesini populi exultatione, ingentibusque sacrae laetitiae signis, B. V. Maria, Deipara fuit acclamata, Joannes Antiochenus Nestorio favens, fortasse non ex animo, exculpatur enim in fide a pluribus, Conciliabulum statim cum paucis gregalibus opponere studuit, et S. Cyrillum, ac Memnonem deponere, et reliquos excommunicare est ausus, multumque apud Theodosium Imperatorem utrimque fuit actum, sed tandem Deo favente res optime cessit, et Ephesini Concilii acta, vim publicam obtinuere. Attamen, male feriati Orientales nonnulli, turbas fovebant, praecipue Theodoretus Episcopus Cyrensis, S. Cyrilli fidem utique intemeratam agnoscens, sed Nestorium falsa criminis suspicione plexum conquerens, immo cum Iba Edesseno, scripta nonnulla Diodori Tarsensis, ac Theodori Mopsuesteni, Nestorii magistri, velut ortodoxa vulgare studuit, qua de re an. 553 in Constantinopolitano Concilio V. Oecumenico, ejusdem Theodoreti nomen, cum illis Theodori, et Ibae, damnationem subiit, et hac de causa trium Capitulorum Concilium, istud appellari consuevit, tunc siquidem firmata fuit famosa horum trium auctorum condemnatio sub Vigilio Papa; unde tot turbae prodiere in Occidentalibus Episcopis, et Schisma Aquilejensis Ecclesiae, 100 circiter annis. Etenim, hanc damnationem Chalcedonensi Concilio Oecumenico IV an. 451 celebrato, injuriosam arbitrabantur, in quo rursus utique anathema Nestorio dictum, sed nil in Theodorum actum fuit, qui obierat; Theodoretus autem, et Ibas, palinodia Nestorianismi recantata, suis Sedibus ibi restituti fuere; actaque idcirco fuerunt Conciliabula duo Aquilejae an. 553, et circa 698, quibus praefatum Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum, reprobatur. Interim notes, Protestantes in partem veterum criminationum in S. Cyrillum venire: utpote qui in Ephesini gestis Concilii, duo sibi enormiter invisa agnoscant: necesse sit, nempe, summam a Romana Cathedra dependentiam, ac gloriosum Deiparae cultum. Quocirca invidiae, ac falsi zeli S. Cyrillum insimulant, et in controversia adeo dogmati adnexa, logomachiae vitio, Cyrillum, et Nestorium certasse contendunt. Apud Historicos Eccle-

siasticos Orsi praesertim, hujusce disceptationis egregiam expositionem intuere. Porro unitas personae in Verbo incarnato, etiam in Synodo Oecumenica Chalcedonensi, ac Constantinopolitana I, et II, atque a Patribus, Irenaeo, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, Augustino, Leone Magno, et aliis, deinceps confirmatur, sicut Deiparae titulus, et honos B. V. Mariae asseritur, Gal. 4. 4, Eph. 4, 10 etc. Similis nestorianismo haeresis, pullulavit in Hispania Saec. VIII apud *Adoptianos*, asserentes Christum Jesum ex divina natura *filium Dei naturalem*, ex humana vero, *adoptivum* dici debere, cujus luti infecti nobis se produnt, Elipandus Episcopus Toletanus, ac Felix Episcopus Urgelitanus.

In oppositum Nestorio scopulum, fregit Eutyches Presbyter, et Archimandrita Constantinopolitanus, aetate, ac meritis gravis, scientia vero destitutus, qui nedum in persona, sed in naturis commixtionem, ac unitatem in Christo adoptavit. An. 448, Concilium Constantinopolitanum sub Flaviano Patriarcha fuit celebratum, quod a S. Leone Magno, celebri Epistola fuit adprobatum; alterum quoque in eadem urbe. ipso instante Eutychete, Ephesinum generale II fuit habitum, quod *latrocinium* Ephesinum audit, quia Eutyches a S. Leone communionem recipere non valens, ab Imperatore Concilium generale obtinuit, Praeside Dioscoro Patriarcha Alexandrino sibi favente. Alia insequenti tempore Concilia habita sunt. Romanum III sub Leone Magno, Constantinopolitanum an. 450, Mediolanense an. sequenti, sicut et Chalcedonense Oecumenico IV, ubi a 630 Patribus, Praesidibus Legatis Apostolicis, anathema in Eutychen, ac Dioscorum fuit inflictum, et S. Leonis Epistola antea ad Flavianum data, ceu fides Ecclesiae recepta fuit, et exclamatum: *Petrus per Leonem locutus est.* An. 452, indictum fuit Concilium Alexandriae, et an. 459, Constantinopoli etc. Etsi vero Eutychiana sordes detersa hisce Conciliis fuerit, nihilominu Ecclesia Alexandriae suo viduata Pastore Marciano an. 457, eique suffecto Timotheo Aeluro, in Chalcedonensem Synodum, permulti jugum excussere. Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha, Leoni Imperatori obtemperans, coacto Concilio, Timotheum damnavit, et Chalcedonense Concilium admisit. At non defuere alii, ac variis in locis, in praefatum Concilium Chalcedonense adversarii, ac plures ulterius infecti ex hac corrupta Eutychianismi radice surculi pullularunt, quos decem enumerat Anastasius Sinaita, et duodecim Nicephorus: presertim Monophysitae, ac Theopaschitae recensendi sunt. Quoad primos notandum, quod Zenone Eu-

tychiana fraude circumvento, tres praecipue Orientales Cathedrae a sectariis occupatae fuere an 482, videlicet, Alexandrina a Petro Moggo, Antiochena a Petro Fullone, Constantinopolitana ab Acacio, qui etsi non ejusdem cum Eutyche labii fuerint, utpote confusionem in divina, humanaque natura, cum haeresiarcha non asserentes, unicam tamen, ex intima harumce naturarum unione naturam docebant, Monophysitae idcirco nuncupati, sicut et alii subsequentes gregales, tum Eutychem, cum Chalcedonense Concilium reprobantes. Ex his processere Jacobitae, sectatores Jacobi Baradei, ad Episcopatum Edessenum evecti an. 541, Copti in Aegypto, Aethiopes, Syri in Patriarchatu Antiocheno, Christiani Malabarici, vel S. Thomae, hoc luto inficiuntur. Vide, Assemani *Biblioth. Orient.* t 2. ac P. Le Brun, et Renaudot in Liturg. Orient. Catholici Syri prope montem Libanum, Maronitae, ac Melchitae dicuntur. Relate autem ad Teopaschitas, Petrus Fullo, voluit, ut in Trisagio post verba *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, adderetur, *qui passus es pro nobis, miserere nobis*, ut nempe unam e Trinitate personam, ob assertam unicam ex humana divinaque naturam, passam fateretur, et ideo ejus asseclae Theopaschitae appellati sunt. Famosum est circa Eutychianam haeresim, seu potius contra Concilium Chalcedonense, Zenonis Imperatoris *Henoticon*, seu unitivum, edictum an. 482, reconciliandis religiosis aestubus, ab Acacio Patriarcha ei insinuatum, ubi nil dicti Concilii meminit, et solum fidem in Niceno, et Constantinopolitano assertam, amplectitur, et, implicite saltem, tum Concilium Chalcedonense, tum S. Leonis Epistolam, respuit; attamen Zeno, huic Concilio adhaerere cum universa Ecclesia fassus est, in Epistola ad Felicem Papam Nominandus etiam venit Vigilius, qui cum Theodora Augusta pactum iniit, si eum ad Petri sedem elevaret, in Concilium Chalcedonense se insurrecturum; at, Deo cor ejus tangente, vix reapse Pontifex fuit creatus, pro Dei causa fortiter, et ex animo stetit.

In q. 5, modus unionis; quoad assumptionem partium humanae naturae, discutitur, ac haereses oppositae refelluntur, quae vel ipso Apostolico aevo enatae sunt: novimus siquidem, Simonem Magum, ut ait Cyrillus Hieros. Catech. 6, superbe non minus, quam impie asseruisse: *se apud judaeos non in carne, sed in specie sola, tamquam Jesum Christum, apparuisse*; ac dein *Phantasiastas*, seu *Docetas*, auctore fortasse Tatiano juxta Hieronymum, dixisse, Christum *in phantasmate tantum venisse*, ut refert Tertul. *de Praescr.*

c. 46 His porro adhaeserunt, Basilidiani, Secundiani, Marcosiani, Manichaei. Ex istis prodiere Valentiniani, et Apellitae, aliique. generico vocabulo Gnostici appellati I. et II. saeculo, veritatem utique carnis in Christo confitentes, at non ex Virgine Maria, sed e coelo assumptam; quibus manu junguntur vicinioribus saeculis, Anabaptistae, et Quacheri. Adnotes porro, hanc ipsam errorum vertiginem, ingens parere contra Judaeos, aliosque, argumentum: cum enim hostes acerrimi, Jesu Christi existentiam, miraque ejusdem opera non inficientur, immo supponant, ac tantum de ineffabili ejus divinitatis cum humanitate unione disquisierint, jam rigidissimae critices lance, fundamenta Ecclesiae nostrae de Evangeliorum veritate circa J. C. roborantur. Imperfectam quoque incarnationem obtrudebant, Arrius, et Apollinaris; solam humanam carnem, non vero animam, a Verbo assumptam blasphemantes, ut etiam in praefata q. videre est. Ex his quae D. Thomas q. 16, speciatim a. 5. ait, circa *communicationem idiomatum*, vel mutuam proprietatum, utriusque naturae praedicationem in Christo, in concreto tamen, non in abstracto, pronum concludere est, humanae naturae in Christo haud competere ubiquitatem, vel omnipraesentiam, ut Lutherani quidam effutierunt, sicut nec alia attributa, quae solius divinae naturae sunt. Nestoriani, duas admittentes in Christo personas, idiomatum communicationem denegant; asserunt vero Eutychiani, unicam profitentes naturam, et quidem sive in concreto, sive in abstracto; quapropter his accedunt praefati Lutherani, contra quos vel ipsi Calvinistae, ac Zwingliani dimicarunt.

Duplicem in Christo Jesu voluntatem, propugnat Angelicus q. 18 et 19, contra Monothelitas, sive unius voluntatis, ac operationis, nempe divinae, mediante humana natura, assertores, qui saec. VIII, post Nestorianos, Eutychianosque, Ecclesiam afflixere. Theodorus Pharanites in Arabia Episcopus, hanc luem in libro ad Sergium Constantinopolitanum Antistitem misso, an. 626, diffudit. Facile Theodoro pollicem pressit Sergius, dein et Cyrus, Patriarcha Alexandriae, qui an. 633 in Synodo a se habita, hunc proposuit errorem. His impavide restitit Sophronius, ex Monacho, in Sede Jerosolimorum locatus, obtinuitque a Sergio, ut controversia in posterum silentio pressa, praedicaretur J. C. divina, et humana operari. Hanc silentii oeconomiam, Sergius Honorio Pontifici an. 634 retulit summa artificii fraude, cui Honorius rescribens, ejus prudentiam commendat *novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus ge-*

nerare... videlicet, ne parvuli.... aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur, et ad calcem: *hortantes vos, ut unius, aut geminae, novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. J. C. Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis, operatum divina, et humana, fide orthodoxa, et unitate Catholica, praedicetis.* Cumque interim Sophronius oppositam Monothelitis doctrinam in Synodo tuitus fuisset, et hac de re ad Honorium scripsisset, hic iterum respondit, abstinendum a duplicis operationis vocabulo, et Sergius an. 639 ab Heraclio Imperatore. obtinuit *Ectesim*, vel *typum*, seu formulam fidei, qua praefata silentii oeconomia, rigide in hac controversia praecipiebatur, rejectaque fuit a Concilio Lateranensi an. 649, a quo etiam anathema dictum fuit Theodoro Pharanitano, Cyro Alexandrino. Sergio Constantinopolitano, ejusque successoribus pari labe immundis Pyrrho, ac Paulo; qua de re Constans Augustus in iram excadescens, S. Martinum tunc temporis Romanum Pontificem Constantinopolim vi accersivit, ac Chersonam relegavit, ubi aerumnis confectus, an. 655 martyrium sumpsit. Demum Deo Ecclesiae suae pacem largiente, coactum fuit an. 680 Constantinopolitanum Concilium VI Oecumenicum; praesidentibus Agathonis Legatis, ac praesente Imperatore Costantino Pogonato, ubi duae voluntates, ac operationes J. C. definitae fuere. Quod vero nuperis praesertim temporibus Pontificiae Asphaliae osores quam maxime inflat, est nominis Honorii damnatio, in Constantinopolitano VI Concilio cum aliorum Monothelismi auctorum nominibus, emanata. Verum injuria Monothelismi erroris insimulatur Honorius, cujus mentem jam ex tunc exposuit S. Maximus Martyr in dialogo cum Pyrrho; recens autem, Bellarminus, et Baronius, in ejusdem actis Concilii, graeca fraude, loco Theodori, intrusum Honorii nomen suspicantur; his tamen pauci adstipulantur. Jo: Baptista Bartoli Pat. Prof. dein Eps. Feltriensis, *Apologiam pro Honorio S. Rom. Pont.* an. 1750 adornavit, illumque a quavis nedum erroris, sed et imprudentiae macula purgare satagit. Communius vero, Theologi hoc tantum sensu damnatum fuisse ajunt, scilicet ob imprudentem silentii oeconomiam, ut Leo II Agathonis successor, in Epist. 2 ad Episcopos Hispaniae de ipso Honorio ait: *quia, flammam haeretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Ipsemet Gallicanus Theologus Natalis ab Alex. dubio procul haud Ro-

manae Sedis assentator, in prop. 3 dissert. II in Saec. VII Honorium *ab haeresi tam vere, quam pie excusari*, ostendit. Et revera; ex ejus scriptis minime erroris criminandus est, immo Agatho, qui haud multo post Romanam tenuit Sedem, anathemate Sergio, Cyro, Pirrho, aliisque injecto, fidenter asserit, omnes suae Sedis antecessores, ab omni errore immunes extitisse. Nec quidquam in Epistolis definiit Honorius. Praesto tibi sint, Apostolicae Sedis propugnatores, in App. T. I, C. I, § 5 laudati, nec non recentiores Theologiae tractatores.

Doctrinam de adoratione latreutica Christi, ejusque Imaginis, et Crucis, deque hyperdulia erga B. M. Virginem, ac dulia in Sanctos, eorumque reliquias, agit S. Thomas q. 25. Nonnihil hac de re adumbravimus in Append. T. II, C. IV, § 2, ubi de Oratione. Ingens elapso saeculo viguit dissidium, occasione cultus erga Cor Jesu: siquidem labente saeculo XVII, Ven. Margarita Alacoque, Monialis Visitationis B. M. V. sibi revelatione constare asseruit, gratum Deo fore, si feria VI post Octavam Corporis Christi, festum celebraretur SS. Cordis Jesu; reque ad S. Rituum Congregationem perlata, maluit ista festum V Plagarum instituere an. 1697; demum enixius repetitis postulationibus, an. 1765, Officium et Missa SS. Cordis concessum fuit ab eadem S. Congregatione, haecce explicatione addita, videlicet *hujus Officii, et Missae celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam institutum, et symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde.* Idipsum respondit Pius VI an. 1781, consultationi ei porrectae ab Episcopo Pistoriensi, inquiens: *Sancta haec Sedes, modum jam turbis et quaestionibus imposuit, satisque declaravit, quo substantia illius devotionis, ab omni certe superstitione materialitatis immunis, revera spectet, ut in symbolica cordis imagine, immensam charitatem, effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur, atque veneremur.*

Nihilominus turbae ab ipso Pontifice indicatae, quae speciatim postquam Blasius in opere *de Festo Cordis Jesu*, praefatae Congreg. Decretum, de Corde symbolico, an. 1765 vulgavit, editis pluribus utrinque voluminibus, efferbuere, haud cito cessarunt, immo nec ipse Pistoriensis Episcopus a novitate in sua Synodo hac etiam super re inducenda resiluit, jamque tres in Constit. *Auctorem fidei*, ex ea excerptae

propositiones, a praelaudato Pontifice censura affectae fuere. cujusmodi » 61 Propositio, quae asserit, *adorare directe Humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum, datum creaturae*; quatenus per hoc verbum *directe*, intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad Humanitatem Christi, perinde, ac si talis adoratio, qua Humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se, et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honos divinus impertitus creaturae, et non potius una, eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, ex Conc. Cp. V. Gen. Can. 9, *Falsa, captiosa, pio, ac debito cultui Humanitati Christi a fidelibus praestito, ac praestando, detrahens, et injuriosa* « Prop. 62 » Doctrina, quae devotionem erga SS. Cor Jesu, rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, *falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa,* » Prop. 63 » Item in eo, quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant SS. Carnem Cordis Jesu, aut ejus partem aliquam, aut etiam Humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a Divinitate, adorari non posse cultu latriae; quasi Fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel praecisione a Divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe Personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue Corpus Christi in triduo mortis, sine separatione, aut praecisione a Divinitate, adorabile fuit in sepulchro, *Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores, injuriosa.* Haec porro omnia, apprime respondent doctrinae ab Angelico traditae in q. 25, a. 2. Vid. *Animad.* Card. Gerdil in notas Feller. Ad q. 54, a. 2. agemus de Sanguine Christi. De ejus Cruce, videas Trombelli in Appendice insignis sui Operis *de Cultu Sanctorum,* ubi omnia promit, et opposita diluit. Vide etiam *perpetuité de la Foi c. 5.*

Modo addemus, contra Protestantes inibi ut hostes relatos, optime inservire posse quod scripsit S. Hieronymus contra Vigilantium, qui eis in reliquiarum cultu expungendo praeivit, unde et Catholicos idcirco, *idololatras,* ac *cinerarios* nuncupabat. Perlegas quoque ejusdem S. Doctoris Epist. 100 ad Riparium. Miracula in reliquiarum translatione insignia, videas apud S. Aug. l. 22 *de Civ. Dei*, c. 8, Confess. c. 7. Quoad imagines vero, utique vetitus iis cultus, Exod.

20.. Levit. 26, etc., nempe ad tollendum idolatriae periculum. At simul constat, duo Cherubim arcae foederis superextructos a Moyse fuisse, ac Templum imaginibus ornatum a Salomone. Exordiente pariter Ecclesia, evitandae idolatriae ergo, imagines parum adhibitae inveniuntur, attenta etiam sacrorum conventuum, et aedium, squalore, et angustia; nihilominus plures J. C. figurae, sacris vasibus ac alibi expressae, indicantur a Tertulliano, Eusebio etc. Videas Orsi *Orig. Antiq. Eccl.*, multoque magis postea hic mos obtinuit. At saeculo VII Mahometani cum judaeis, in odium contra imagines acti, bellum his indixere, horumque instigatione, Leo Isauricus Imperator Orientis, acerrime in eas, earumque cultores excanduit, et an. 726, Concilium 300 Episcoporum Constantinopoli coegit, quo imaginum cultus fuit proscriptus, atque ex tunc imaginum cultores *Iconoduli*, vel *Iconolatrae*, vocati fuere; earum vero hostes, *Iconomachi*, et earumdem fractores *Iconoclastae*, An. 732, in Concilio Romano sub Gregorio III, et an. 787, favente Irene, ejusque filio Constantino Porphyrogenito, in Niceno Conc. 377 Episcoporum sub Hadriano Papa, adprobatus imaginum cultus fuit, pro quo S. Jo. Damascenus tres Orationes egregias exaravit. Verum, postquam piissimae matris jugum excussit Constantinus circiter an. 797, Niceni Concilii auctoritati obstitit, novumque bellum usque ad an. 832 efferbuit, quo sub Theodora Imperatrice reddita Ecclesiae pax, et imaginibus cultus, Saec. XII iterum furor emersit sub Alexio Commeno. In occidente Waldenses, Albigenses et alii Saec. XII, ac dein Wicleffus, ac Calvinus, pari perciti aestu, in sacrarum imaginum cultum irruerunt. Contra Calvinum, aliosque omnes, stat orthodoxa fides, exposita in Trid. Conc. Sess. 25, et a Catech. Rom. p. 4, c. 7 clare explicata. Haud tacendum, plurimum dissidii ortum in Gallia fuisse, occasione Nicenae definitionis ab Hadriano illuc missae an. 790. Carolus Magnus, eam Episcopis nonnullis expendendam tradidit, qui voce adorationis, innoxie a Graecis ad cultum designandum adhibitae, pertaesi, *Libris Carolinis* sic dictis originem dedere, qui in Nicenam Synodum, ex minus intellecta vocis adorationis significatione, aliisque aequivocationibus, prodiere; sicut ex eadem fonte prodiit decisio Concilii Francofordiensis a Carolo Magno coacti an. 794, nec non illius Parisiis habiti, sub Ludovico Pio an. 825. At re demum nativo lumine inspecta, Nicena Synodus et in Gallia obtinuit. Non omittendas censeo propositiones, de *Sacris imaginibus*, damnatas in Const. *Auctorem fidei* a n. 69 ad 72

inclusive: videlicet 69. » Praescriptio, quae generaliter, et indistincte, inter Imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat Imagines Trinitatis incomprehensibilis, *propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent Imagines Sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae* » 70 « Item doctrina, et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim Imagini solent Fideles impendere, et ad ipsam potius, quam ad aliam confugere, *temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini injuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.* Ex S. Aug. Ep. 78.... 71. » Item, quae vetat ne Imagines, praesertim Beatae Virginis, ullis titulis distinguantur praeterquam denominationibus, quae sint analogae Mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio; quasi nec adscribi possent Imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat, et commendat, *temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae, injuriosa* » 72 » Item, quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae Imagines, *temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad Fidelium pietatem fovendam inducto mori, contraria.* »

Modo expensis errorum monstris, lubet hunc §. 7 praecipuorum elencho Scriptorum absolvere, qui Incarnationis Mysterium strenue tutati sunt. Praeter Evangelia, aliaque opera hagiographa N. T. adest S. Polycarpus in Epist. *ad Philippenses*, S. Dyonisius Areop. Epist. 3. et 4 *ad Cajum Monachum*, Tertullianus *de carne Christi*, Melito Sardicensis *tract. de Incarnat.*, S. Athanasius *tr. de unione humanae naturae cum Verbo, et tract.* 2 *contra Apollinarem*, S. Ambrosius *de Dominicae Incarnationis Mysterio*, S. Jo: Chris. Hom. *contra Judaeos, ac Gentiles*; Theod. Antioch. l. 13 *de Verbi Incarnatione*, S. Cyrillus Alex. l. 10. *de Incarnat. et Anathematismis contra Nestorium*, Theodotus Ancyr. *contra Nestorium*, Theodoretus Cypri Ep. *adversus Eutychen et Dioscorum*, S. Fulgentius, S. Maximus M., S. Leo Magnus in praefata celebri Epistola decretali, dogmatica ad Flavianum, quae in Concilio Chalcedonensi Act. 4. tanta Patrum veneratione recepta fuit, et ab omnibus jubetur a Gelasio Papa sub anathemate recipi; ejusdem hom. de Nativ. Domini, Epistolae quaedam; S. Petrus Chrysolo-

gus *Epist. ad Eutychetem*, etc., S. Anselmus, Hugo a S. Victore, S. Bruno Astensis, aliique e Patribus; ex aliis vero permulti in antecessum relati fuere, plurimique addendi forent, sed satis si iis insistas.

§. II.

De J. C. incarnato, passo, et glorificato.

A Q. 27 ad 59.

Optime alteram tractatus de Incarnatione D. N. J. C. partem exorditur Angelicus, a B. Mariae Virginis praeconiis, haec siquidem, Spiritus Sancti operante virtute, Incarnationi Filii Dei materiam ministravit, ac vere ejus Mater effecta est, ut solemniter Ephesinum Concilium contra Nestorianos definiit, ac proin iis sublimatam virtutibus illam suspicere, ac demirari fas est, quae, ineffabili huic muneri rite fungendo exiguntur. Jamque ejus in utero Matris sanctificationem, astruit S. Doctor q. 27, immo et immaculatae ejus Conceptionis pia viget opinio, de qua in Append. T. I, C. IV, §. ult., ac in T. II. 1, 2, q. 81, a. 3. Immunem pariter a quavis actuali macula etiam veniali, eam fatetur Angelicus, eadem q. a. 4, referens D. Augustini textum, cui sententiae Tridentinum Concilium Sess. 6, can. 22 vim suae auctoritatis adauget, sed specialem insuper ejus gloriam de mira J. C. Conceptione q. 31 percenset, servatamque omni ejus vitae tempore Virginitatem, tuetur: et quidem ante partum, contra Cerinthum, Carpocratem, nonnullosque Ebionitarum, qui Jesum Christum vere Josephi filium, nedum Mariae, esse autumabant; in partu, contra Jovinianum, qui ex D. Aug. *de Haeres*, n. 82 *virginitatem Mariae destruebat, dicens; eam pariendo fuisse corruptam*; et post partum, contra Helvidium, asserentem et alios filios ex Maria, ac Joseph dein ortos fuisse, abutentem iis Scripturae textibus, quos a. 3 sibi objicit Angelicus, valideque refellit. Legatur S. Hieron. in l. 2 *contra Jovinianum*, et alio *contra Helvidium*, sicut et S. Augustinus contra utrumque; ac SS. Ambrosius, Ephrem, Ildephonsus, Anselmus, Bernardus, Bona-

ventura, et alii e Patribus; nec non Paschasius Radbertus, Hugo Victorinus, Natalis Alexander in suis dissertationibus Historiae Ecclesiasticae; Calmet dissert. super illud Isajae 7. 14: *ecce Virgo concipiet*, quod Judaei aliter interpretari student, quam de Matris Messiae Virginitate, etc. In Can. 3. Conc. Roman. sub Martino I, constans traditio de Mariae perpetua Virginitate, ita aperte confirmatur: *si quis secundum SS. Patres non confitetur... sanctam semperque Virginem, et immaculatam Mariam... incorruptibiliter eum genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.* Sane ut S. Epiphanius observat Haer. 78, hoc nomen Virginis, semper antonomastice Mariae fuit. Alia quoque ad B. Mariam Virginem spectantia deinde prosequitur Aquinas, cujusmodi a. 4 virginitatis votum ab ea emissum, desponsationem q. 29, et Annuntiationem q. 30; absolutae autem de Deipara Virgine tractationi addendum videtur, plurimum celebritatis obtinere eam Domum, ubi Incarnatio Verbi Dei peracta est, quaeque a Nazaret in Illyricum, demum in Picaenum saeculo XIII mirabiliter translata fuit. Heterodoxi, aliique dicaces, dubiorum fuliginem moverunt; sive in hujusce sanctae Aedis identitatem cum illa Incarnationis Dominicae, sive in ipsam translationem, quae in toto Orbe, ac speciali ritu die anniversaria decima decembris, in Ecclesia celebratur. Martorelli uberrime scripsit, aliique plures calamum in sanctae Domus vindicias adhibuerunt; V. Art. *Nazaret in Dizionario di Teologia di M. Bergier*, Roma 1797. etc. Celebrior apud Theologos est corporalis Deiparae Assumptio, quae etsi ad fidem non spectet, tamen absque temeritate negari non posset, ut ait Baronius, ac Parisiensis Facultas. Fere communiter post IV saeculum Graeci, et Latini Patres eam admittunt, etsi nonnulli *Dormitionis* vocabulum usurparint; ejus Festum perantiquum est, ejusque Octavam instituit Leo IV. saeculo IX. Adeas S. Jo: Damasc. Orat. 2, S. Petrum Damiani Hom. 40, S. Anselmum, ac plures alios. Plenissime vero omnia ad SS. Mariam Virginem, ejusque Familiam SS. spectantia, exaravit Cl. Trombelli in Opere *Mariae SS. Vita*, etc., atque ab obtrectationibus Kieslingii, aliorumque Acatholicorum, immo et a mendis calamo P. Serry excisis in suis Exercitationibus de Christo, ejusque Virgine Matre, vindicat.

Quoad J. C. Nativitatem, plurimum ab eruditis disceptatum fuit, de vero Nativitatis Jesu Christi anno. Etsi deceat quammaxime tam insignis divini muneris Epocham statis calculis, immo et peculiari annorum serie, initio ab ea du-

cto, celebrare, nihilominus nonnisi saeculo VI. aera Christiana vigere incoepit, instituta a Dionysio Abbate Romano, ob staturae parvitatem, exiguo nuncupato. Duobus ab hinc saeculis, frequentibus scriptis, summisque indaginibus impetita haec aera Dionysiana fuit, ac non desunt qui integro sexennio eam breviorem dicant, alii quadriennio, etc. Ostendunt autem, quod si germana, ac vera foret, haud tempore Herodis, sed post ipsum natus fuisset Jesus, quod Scripturae adversatur. Vide Petavium, Berti, aliosque plurimos chronologos, historicosque, ac nuper Zaccaria; *Raccolta di Dissertazioni di Storia Eccl.* t. 1. et 2, ubi ex Vaillant, Lupi, Roudet res discutitur. An. 1793 P. D. Henricus San-Clementius Congregationis nostrae Abbas, pergrande vulgavit opus, una cum epistola ad scientiarum Europae Academias missum: *De vulgaris aerae emendatione*, in folio, ubi Consularium recensione, ac supplemento fastorum, selectisque omnigenae antiquitatis, ac eruditionis monumentis, aeram volgarem sexennio tardius incoepsisse asserit, et ad finem anni Varroniani Romae DCCXLVII. vel praecise sexto Kal. Januarij anni Varroniani DCCXLVIII. Natalem Domini statuit; dum aera vulgaris incipit anno Varroniano DCCLIV.; plures utraque manu huic operi subscripsere illustris subsellii viri; nonnihil vero ab illo discrepat Auctor *exercitationis de D. Lucae verbis: exiit edictum a Caesare Aug. etc.* Carali MDCCIVC.

Res in immensum efflueret, si in singula Jesu Christi gesta sermone excurrere vellemus. Quae a D. Thoma a q. 31, ad 89 de eo tanguntur, eruditissimis disquisitionibus ansam praebuere, ut apud Biblicos, Ecclesiasticos, Criticos, ac Mysticos Scriptores. Permulti ordinatam J. C. historiam concinnare ex mutua quatuor Evangelistarum collatione, factorumque successiva distributione tentarunt: inter alios Bernardus Lamy, et hisce diebus utilem navat huic argumento symbolam, Cl. Ferrari. Quod summopere observare fas est, primo: vel ipsimet infensissimi hostes lucidis, ac pacatis mentis intervallis, sublimem, divinamque Jesu Christi doctrinam, ac virtutem suspexisse, ut de Josepho Flavio vidimus, utque Rousseau in *Emile* testatur, licet dein ex vertiginis spiritu ad vomitum in suis contradictionibus, ac sphalmatis redierit, de quo argumento Apologistas adeas. Secundo, vere pro nobis in carne mortali passum fuisse Christum, ut frequenter Scriptura, ac Traditio docent, habetque S. Thomas q. 46, ac antea q. 14 et 15; simulque injuste contrariae acatholicae assertionis postulari S. Hilarium Pictavorum Episcopum

ex quibusdam durius adhibitis verbis, ut apud Berti, Gazzaniga, etc. Tertio, vere sibi, ac nobis meruisse, ac Mediatorem, et Redemptorem nostrum existere, q. 48, contra ac Sociniani blasphemant, quippe qui cum Paganis, Ebionitis aliisque id furfuris, Jesum Christum ceu purum hominem habent, ac nonnisi metaphorice Redemptorem agnoscere volunt, utpote qui suo exemplo, praedicatione, ac gratia nobis juvit, non vero pretium pro nobis solvit, et cum Pelagianis peccatum originis, ac sanantis gratiae necessitatem denegant. Socinianis, quoad Pelagianismum praeivit Abelardus, eisque dein plenas detulerunt acerras Quackeri, sicut nonnihil Arminiani, perfectam in J. C. satisfactionem inficiantes. Quoad Orationem Domini, alibi egimus, nempe in T. I. ubi de voluntate Dei; et T. II. de Gratia, universalitatem redemptionis propugnavimus. Descensus Christi ad Inferos, expenditur ab Aquinate q. 52; hunc fidei nostrae articulum Apostolico Symbolo contentum, denegarunt haeretici quidam, teste Isidoro; et Lutherani, ac Calvinistae, haud catholico sensu verba symboli accipiunt, sed vel metaphorice per exinanitionem corporis in sepulchro, et per dolorem animae in Passione vel etiam descensum ad damnatos ut Lutherani; alii, ut Calvinistae, sepulturam ipsam pro inferis sumunt, vel etiam quod inferni dolores in cruce subierit Jesus; immo quidam hunc articulum a Symbolo expungunt, ut Grunerus, Scilerus, etc. Ecquid valet Scripturam solius privati spiritus ductu interpretari? In Scepticismum facilis lapsus.

Gloriosissimam vero Jesu Christi exaltationem in Resurrectione, ejusque consectariis, percenset Angelicus a q. 53, ad 59. Porro nullo non tempore, adversari, in Resurrectionem praesertim, speciali quodam impetu invecti sunt: ratum enim et iis est, quod nostrae fidei columen ab ea dependeat: *si enim Christus non surrexit, inanis est praedicatio, inanis est et Fides, adhuc enim essemus in peccatis*, I. Cor. 15. Pro virili autem, nostri decertarunt, immo et Acatholicus Ditton Anglus contra Deistas praesertim opus confecit, juxta gallicam versionem Amstelodamii cusam an MDCCXXVIII. inscriptum: *la Religion Chrétienne démonstrée par la Resurrection de Notre Signeur Jesus Christ* t. 2. Confer insuper Sherlock, Gilbert, West, et alios. Extat et vetus Ausonii Carmen insigne, *de Resurrectione Christi*, deque eadem SS. Patres passim vindicias egerunt. Demum, relate ad q. 54, a. 2, advertendum, saeculo XV. Dominicanos inter, ac Franciscanos sub Pio II Romano Pontifice, magnum extitisse dissidium

circa unionem sanguinis Jesu Christi in Passione effusi, cum divinitate, in triduo ipsius Passionis. Ii affirmabant, negabant alii, et vetitum utrisque mutuo censura ulla se afficere, donec a Sancta Sede res dirimeretur. Utrum vero aliquid pretiosi Sanguinis Jesu Christi in terris remanserit, pariter hinc inde disputant praefatae scholae, cum pluribus aliis Theologis. Innocentius III in libro *de Mysteriis Missae* c. 30. totum sanguinem in Resurrectione resumptum asserit, ut docet et D. Thomas; verum non desunt qui aliquas saltem guttulas, quae *ad veritatem humanae naturae* resumptae a Jesu Christo minime necessariae essent, ad nostrum solatium, et devotionis augmentum relictas in terris fuisse ajunt, nec inde sequeretur Christum quod semel assumpsit unquam dimisisse, quod nefas asserere, ut Damascenus cum aliis tradit; etenim Verbum humanum assumpsit naturam, nec eam deseruit, quod firmiter stat, etiam suppositis aliquibus pretiosi sanguinis guttis in terra relictis. Huic opinioni suffragatur plurium traditio Ecclesiarum, quae hoc sanguine se ditari gloriantur, cujusmodi Mantuae, ad S. Maximinum in Provincia, etc. Videas Collium, *de Sanguine Christi*, aliosque.

Atque hic ab adnotationibus in tractatum de Incarnatione, manum retrahimus. Plura tibi praesto sunt, apud laudatos Auctores, speciatim nuper relatos: ex Zaccaria *Raccolta di Dissert. di Storia Ecclesiastica*, Roma 1792, ac deinceps, in t. 1. de genealogia duplici Jesu Christi ex Matth. de Magis, ac Luca disquiritur, nec non de ejus Nativitate. In t. 2. de mora pueri Jesu in Aegypto, de quaestione : an Christus agnum paschalem comederit ultimo suae vitae anno, de Epistola regis Abgari ad Jesum, et hujus responso, de veste inconsutili, de Sybillarum, ac Josephi Flavii testimoniis Jesu Christi Metrice de Christo scripserunt Juvencius, Prudentius, Vida. De famosa autem, ac pluries Vaticani ictibus confixa *Histoire de peuple de Dieu*, an. MDCCXXVIII, et deinceps edita a Berruyer, videas P. Tournemine, Pastoralem Instructionem Episcopi Senonensis, P. Mairan, et alios, qui egregiis confutationibus propositiones Arrianismo, Socinianismo, Nestorianismo, Pelagianismo, ac laxitate morum infectas, ex eo damnato opere notarunt.

CAPUT SECUNDUM

DE SACRAMENTIS

§ I.

De Sacramentis in genere.

A. Q. 60 ad 65.

Beneficentissima Jesu Christi munera humano generi redempto ceu futurae Beatitudinis adipiscendae pignora, et coeli januae relicta, Sacramenta videlicet, modo contemplanda sese nobis offerunt. Haec a Tridentino Concilio Sess. 7, et seq, traduntur. Ecquid autem cumulatius, profundius, nitidius in hac sparta adornanda afferre quis poterit, postquam D. Thomas, Bellarminus, Drouven, Trombelli, cum plurimis Dogmatum scriptoribus, adeo divitem praestiterunt symbolum, ut summum absolutae perfectionis apicem attigisse videantur? Satius ergo praeclaris eorum semitis insistere, idque identidem appingere, quod Tractatui aliunde Dogmatico-Canonico-Rituali-Mystico de Sacramentis, pro brevitate proposita valeat congruere.

Intrinsecam sacramentorum significationem, quae *mysteria* apud Graecos nominantur, eorumque materiam, ac formam exponit D. Thomas in q. 60, a. 1, et 2, atque vel hoc ipso in limine, adversarios nanciscimur Protestantes, ac Socinianos, internam sanctificationis gratiam eis adimentes, dum signorum instar ea considerant. Pauliciani e Manichaeorum luto egressi, rejecta sacramentorum materia, solis verbis effectum produci blasphemant; Protestantes vero, justificationem a fide, vel fiducia derivantes, variabiles eorum formas dicunt, nec alium sacramentis effectum tribuunt, nisi ad fovendam justificantem fidem, haud vero gratiam; contra quos D. Thomas q. 61, 62, 63 necessitatem, ac effectum gratiae in omnibus sacramentis, ut characteris in quibusdam, docet. Acri vero controversia disceptari solet,

an pro omnibus sacramentis materiam, et formam speciatim praestituerit Christus, sicut de Baptismo, ac Eucharistia tradunt Scripturae; idque infra in aliis §§ de singulis sacramentis discutietur. Magister Sent. Hugo Victorinus, mediate ab Apostolis institutum dicunt, potestate extraordinaria, sacramentum extremae Unctionis. Alensis ait idem de Confirmatione. S. Bonaventura hanc a Spiritu Sancto post Ascensionem institutam asserit. Omnia prorsus sacramenta a Christo instituta propugnat S. Thomas q. 64, a. 2; et seq. Concilium Tridentinum Sess. VII. Can. 1. inquit: *si quis dixerit sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino Nostro instituta... anathema sit.* Verum primi adnotati observant, haud a Concilio dictum fuisse, ea *immediate* a Jesu Christo instituta. Interim, ut jam alibi, ubi de Traditione in App. T. I, ad traditionem apostolico-divinam id referre fas est, ut in q. 64, a 2, et circa substantiam nil immutare, nilque de novo instituere valet Ecclesia, ut habet Tridentinum Sess. 21, c 2. Optime autem evincitur a D. Thoma q. 64 Jesum Christum esse causam sacramentorum, utpote qui solus est qui justificat, *idque* per sacramenta in nobis contingit, et horum *effectus ex* opere operato profluit, non ex opere operantis, ut effutit Calvinus, qui proin nosmet redarguit, quasi segniores in praeparationibus ad sacramenta ex hac doctrina reddamur.

Nec idcirco ministri sanctitas necessaria est ad valorem sacramenti, ut saeculo IV Donatistae effutiebant, qui suos novos gregales etsi antea ablutos baptismate, iterato baptizabant; utque dein Waldenses, Albigenses, Wiclephus, Joannes Hussius. Nec pariter ad valorem sacramenti exigitur recta in ministro fides, prout rebaptizantium error saeculo IV ingravescens edocebat, siquidem haereticos, ac schismaticos ad Ecclesiae gremium revertentes, rebaptizandos esse dicebant; huic opinioni antequam definiretur contraria, et S. Cyprianus adhaesit, cui Stephanus Papa Romanae Ecclesiae omnium matris, ac magistrae, traditione suffultus occurrit, statuitque: *si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam*, ex Epist. 74 S. Cypriani ad Pompejum. Porro iis verbis *a quacumque haeresi venerit*, quidam e Protestantibus, immo et e Gallis Doupinius, ac Launojus, putarunt a Stephano Papa etiam corruptas baptismi formas, approbatas fuisse; quos Coustant, in T. I *epist. Rom. Pont.*, Natalis Alexander Dissert. 14 in Saec. 3, et alii refellunt.

De hac controversia nonnihil attigimus, ubi de Rom. Pontifice in App. T. I, C. I, § 5 eamque commentitiam traducere studuit P. Missorius *in Dissertatione critica in epistola ad Pompejum*; *inter Cyprianicas* LXXVI Ven. MDCCXXXIII, quem tamen confutat P. Sbaralea in opere, *Germana S. Cypriani... opinio, de haereticorum baptismate.* Bononiae MDCCIXL. Vide D. Thomam q. 64; ubi et de necessaria intentione ministri ad sacramenta conficienda, loquitur.

Q. 65 circa numerum sacramentorum versatur, ex immobili traditione, quae a Florentino, et Tridentino Concilio numero septem definiuntur. Si vero Protestantes audias, Lutherum modo unum tantummodo sacramentum, et tria sacramentalia admittentem offendes, modo duo sacramenta Baptismum, et Coenam, prout et Calvinus posuit. V. Bossuet l. 1, 3. *Variat.* Et sicut horum asseclae vetustas orientalium Christianorum sectas in sacramentorum numero sibi favere dixerunt, *in Perpetuité de la Foi*, putida haec fraus detecta, et exprobrata iis fuit, inconcussis primigeniis de septenario sacramentorum numero monumentis, ubi et caetera ad sacramenta spectantia, miro Ecclesiarum consensu exposita reperiuntur, sicut et apud Liturgias orientales. Videas quoque Leonem Allatium, *de Ecclesiae occidentalis, et orientalis perpetua consensione*, Arcudium *de concordia Ecclesiae orientalis et occidentalis*, Schelestrate, *acta Ecclesiae orientalis, contra Lutheri haeresim*, etc.

Praeter sacramenta proprie dicta, extant et sacramentalia quaedam, seu caeremoniae, venialibus peccatis delendis ab Ecclesia instituta, quae hoc versu indicantur: *orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*; videlicet Oratio Dominica, aqua lustralis, panes benedicti, seu eulogiae, confessio pubblica generica, eleemosyna, benedictio episcopalis, vel sacerdotalis. Quidam etiam cinerum, ac Paschalium cereorum benedictionem, lotionem pedum etc. sacramentalibus accenseat. De his videas liturgicos, ac caeremonistas: porro his pie adhibitis, venialia remitti dicuntur, ob efficaciam praecipue orationum Ecclesiae: de his S. Thomas q. 65, a. 1, ad 8, ait: *nullum sacramentum novae legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quaedam sacramentalia, puta per aquam benedictam, et hujusmodi:* et q. 87, a. 3, ad 3: *dicendum, quod per praedicta tolluntur quaedam peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cujus motus per praedicta excitatur; non autem per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae,*

quia sic qui esset omnino immunis a peccato mortali aspersus aqua benedicta, statim evolaret; sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum motum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur quandoque magis, quandoque autem minus.

Modo de sacramentorum caeremoniis fandum superest, quarum osores, immo et irrisores, se produnt ultimis praesertim saeculis Protestantes, et increduli. Ingens hoc saxum irrito conatu vertere, et infringere saepius tentarunt, cum invincibiles Catholici athletae eos repulerint, Brueg *Defuge du culte exterieur de l' Eglise Catholique*, ac generatim rerum liturgicarum scriptores, cujusmodi Grandcolas, le Brun, Renaudot, Bona, Menardus, Gavantus, Meratus, Cavalieri, Benedictus XIV, et recens Zaccaria *in Bibliotheca Rituali*, ac *Onomastico*. Claudius de Vert. Ord. Cluniac. an. MDCCVIII. caeremonias primitus a simplicibus aliorum populorum usibus, moribusque, et comoditate inductas, asseruit; contra quem Languet Episcopus Suessionensis acriter dimicavit an. MDCCXX. omnem ritum nonnisi ex symbolicis rationibus institutum propugnans. Utrumque conciliare *studuit* Assemanus in l. *de Sacris ritibus*, MDCCIIIL. Extant in sacra Scriptura, praesertim in veteri Testamento, rituum perplurium institutiones, quae ad novae legis sacramenta referuntur; quoad novum, aliquas saltem innuit Apostolus I. Cor. II circa Eucharistiam, sicut caeremoniarum *istiusmodi* typum exhibet Apoc. primis capitibus, et plura apud SS. Patres etiam primaevos, Justinum, Tertullianum, etc. multoque apertius in Sacramentariis, seu ritualibus apud Latinos, et Euchologiis apud Graecos. Mondelli contra P. Le Brun ostendit etiam ante saeculnm IV sacras Liturgias scriptis fuisse consignatas; attamen Sacramentarium primum ad nos usque delatum, est illud a Gelasio Pontifice, saeculo V. confectum, ubi selectissimos, cessantibus persecutionibus ritus collegit, qui antea occulte, et plerumque per traditionem exercebantur juxta *arcani disciplinam*, de qua Schelstrate, Le Brun, et alii egerunt. Gregorius Magnus pariter in id operis intendit. Venerabilis Cardinalis Thomasius an. MDCLXXX. vetera Ecclesiae Romanae Sacramentaria vulgavit. Mabillonius an. MDCLXXXV. Gallicanam liturgiam edidit, ac nuperrime P. Fumagalli Abbas Cisterciensis, de Ambrosiana disseruit, in T. III. *Antichità Longobardico-Milanesi*, sicut antea Muratori de ea, ac Romana egerat. Praefatos aliosque de aliis liturgiis consule. Summopere autem commendabile se prodit Rituale Romanum plurium Pontificum, sed novis-

sine Benedicti XIV curis elucubratum, ubi quae ad sacramentorum, sacramentalium, aliarumque precum, ordo pari dignitatis veritatisque praestantia, indicatur.

Protestantibus, recentioribusque novatoribus exosum, liturgiam, latina, vel alia non vulgari lingua, celebrari; contra primos, praesertim circa Missae Sacrificium, Concilium Tridentinum Sess. 22, cap. 8, et can. 9 ut infra § 4, egit; contra neotericos, praeter alias propositionum hujusmodi damnationes, in Constitutione *Auctorem Fidei*, n. 33 legitur: « propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo; quasi vigens ordo Liturgiae in Ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet, *temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam convinciis.* » V. Renaudot, Le Brun, Antecourt, et Languet.

Inter praecipuos de sacramentis scriptores, adest D. Thomas, qui etiam in l. 4 *contra Gentes* a c. 56 ad 78 inclusive, necnon in IV. Sent., ac variis Opusculis, rem cumulate expendit. E Patribus, aliisque, praestant S. Ambrosius l. 1 *de mysteriis*, ac l. 6. *de sacramentis*. S. Isidorus l. *Quaestionum*, Rabanus Maurus *de divinitate sacramenti*, Hugo a S. Victore, Guilielmus Parisiensis, Canus, Maldonatus, Bosco, Delgadillo, Merlinius. Speciatim adeas Goarium *in Euchologio Ecclesiae Graecae*, Leonem Allatium, circa idem argumentum; praeter supra relatos, caeterosque inferius proferendos. Raynaud specialiter *de sacramentalibus* disseruit.

§ II.

De Baptismo.

A q. 66 ad 71.

Catholica de Baptismi sacramento doctrina, quatuordecim Canonibus complectitur Tridentinum Concilium in Sess. VII, cui perennis Ecclesiarum etiam schismate, aut haeresi pollutarum consensus accedit, ut ex eorum Liturgiis in praecedenti § relatis, trina tamen immersione adhibita. Nihilominus Ascodrutae, Archontici, Cajani ex Irenaco, Quintiliani teste Tertulliano, ac Manichaei, aquam a baptismo expunxerunt, Seleuciani, Hermiani, juxta Philastrium, et alii, igne utebantur, ex prave acceptis verbis Joannis Baptistae apud Matth. c. 3, 11: *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igne* (de quorum sensu verborum, egit P. Ansaldi, in opere *de baptismate in Spiritu Sancto, et igni* MDCCLII). Menander in proprio nomine baptizabat, Montanistae, Montani, ac Priscillae nomina addebant, Sabelliani aliique Trinitatis osores, haud in trium Personarum nomine baptizabant, Calvinistae autem, et Sociniani minime necessariam nostram baptismi formam arbitrantur, siquidem nonnisi externum foedus ea designari effutiunt. Orsi in sua Dissertatione *de baptismo in nomine Christi*, haereticorum mutationes in baptismi formam invectas, profert. Haecce occasione, notandum circa artic. 6, q. 66. D. Thomae, ubi ostendit, expressam trium Divinarum Personarum prolationem, ad baptismalis formae valorem requiri, allatum inibi responsum Nicolai Papae ad Bulgarorum consulta, nec non relativam D. Thomae responsionem, circa baptismum in solo Christi nomine collatum, in invidiam a pluribus trahi, quasi licitum tale baptismum Nicolaus definierit, illudque ab Apostolis adhibitum supposuerit Angelicus. Nicolaum ceu non ex Cathedra definientem, immo isthaec transeunter, ac de suo, non interrogatum addentem, excusant Melchior Canus, Aestius, Natalis ab Alexandro etc. At benignius, Contensonius, sicut et Harduinus, Berti, Gazzaniga, Albertini eum interpretantur. Quoad D. Thomam, acerrima inter Drouven, et Cardinalem Orsi exarsit controversia, siquidem ille in l. 2 de

baptismo, in opere *de re sacramentaria* asseruit: *dici prorsus improbabiliter, Apostolos in solius Christi nomine baptizasse*, quod D. Thomae visum esse ac falsum, monstrare studuit Orsi in citata Dissertatione, novaeque vindiciae utrinque prodiere. Circa conditionatam baptismi formam, praefatos adeas auctores; cumque eam *praetextu adhaesionis ad antiquos canones* omittendam proposuerit Pistoriensis Synodus, haec propositio, *velut temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria, declaratur* in constitutione *Auctorem Fidei* N. 27.

Relate ad q. 68. Waldenses, Apostolici, Petrobusiani, Abailardus, Cathari, Anabaptistae, baptismum parvulis inutilem dixerunt; Sociniani vero, et Novatores Philosophi, Rousseauio adstipulati, eum velut iis incongruum aspernantur. Plura, inclinante praesertim novissimo saeculo, de infantium in utero matris sine baptismo decedentium salute, excogitata fuere. P. Gualdus, baptismum pueris in utero extantibus conferri posse proposuit, ope instrumenti, aquam ad aliquam foeti partem injicientis. P. Bianchi an. MDCCLXVIII. satius existimavit, orationem condere a matre, periclitantis filii nomine proferendam, qua baptismum in voto a matre expressum, filio prodesse asseruit; etenim iste adhuc intima communicatione jungitur naturaliter matri. Biennio post, cusa Faventiae fuit Dissertatio *adversus novum systema P. Bianchii*, etc. Scudellini, Mutinelli, Meliori et alii, de abortivis baptizandis mutuo digladiati nuper fuere. In calce hujus Tomi, de poena parvulorum sine baptismo morientium sermo erit.

Quod I. Cor. 15, 29 legitur, a nonnullis baptismum pro mortuis acceptum fuisse, de hoc videas D. Thomam in expositione illius textus, Calmet in apposita Diss. Mullerum etc. Baptismum campanarum, acriter carpunt Protestantes, sicut et veri baptismi caeremonias alii a Judaeis mutuatas volunt. Calvinus vero, a diabolo introductas; exorcismos autem a Platonicis depromptos, comminiscitur Moshemius, etc. Confer Liturgicos, aliosque, ac luce meridiana splendidius patebit, nil nisi sanctum, expressivum, ac devotionem nutriens, in probatis hujus aliorumque sacramentorum ritibus, reperiri. Etiam de Catechumenis praelaudatos consulito, sed Morinum praesertim.

De Baptismo, videas S. Dionys. Areop. *in Eccl. hierarch.* Tertullianum l. *de Baptismo*, S. Basilium, S. Cyrill. Jerosol., S. Aug., S. Ildefonsum circa idem, etc. S. Benedictum Anianensem *in testimoniorum nubecula, de vitanda Baptismatis*

iteratione, Petrum Cluniac. *de Baptismo parvulorum, adversus errores Petri de Bruis*, Leidradum *de Sacram. et rit. baptismi;* Harduinum *de baptismo in nomine Christi*, Nicolai *de Baptismi antiquo usu*, Spanhemium, ac Schmidt, *de Baptismo super mortuos*, Chardonium *Histor. sacram. Baptismi.*

§ III.

De Confirmatione.

In Q. 72.

Quod *manum impositio* in Act. Apost. 8, 17. *signaculum dominicum*, a S. Cypriano Epist. 73, *sigillum*, quo ab Episcopo obsignantur, a Cornelio Papa *Chrisma*, vel *myrrhon* a graecis nuncupatur, hoc sacramentum *Confirmationis* apud nos sonat. Hujus doctrinam complectitur Tridentinum sess. 7, tribus Canonibus et contra Lutheranos, ac Calvinistas praesertim, primum edidit: *si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum, et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, nisi Catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi, fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* De perenni hujus sacramenti traditione, ac praxi in Ecclesia, videas Lucam Holstenium, Leonem Allatium, Arcudium, P. Marinum, Renaudot, Assemani, e quorum eximiis in veteres liturgias investigationibus, futilitas objectionum Dallaei, Basnagii, etc. elucet. Graeci immediate post baptismum chrisma administrant, quin tamen haec duo sacramenta insimul confundant, ut in eorum Euchologiis, seu ritualibus, videre est.

Circa hujus institutionem sacramenti, inspicito D. Thom. q. 72, a. 1, ac § 1 hujus Cap. Quoniam vero confirmatio manuum impositione, ac chrismatis unctione peragitur, quaestio inde emersit, quaenam sit proprie hujus sacramenti materia; et alii quidem impositionem manuum, alii unctionem, et communius alii utramque simul, ad sacramenti valorem requirunt.

Dum vero D. Thomas in a. 2 chrisma pro materia agnoscit, non ideo impositionem manuum excludit, quam in l. 1

in c. 6. Epist. ad Hebraeos, aperte in sacramento confirmationis admittit. Idem quoque dissidium, circa formam hujus sacramenti, videlicet juxta varias mox relatas de ejus materia opiniones, in cujus applicatione, determinata verba sunt proferenda. De confirmationis ministro, scribit Aquinas a. 11, ubi in resp. ad 1 dicit: *Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem.*

Jo. Morinus l. 9 *de Poenit.*, cui et alii quidam adhaesere, irritam contendit confirmationem ab haeretico ministro collatam, cui valide pollicem vertit Christianus Lupus, in Dissert. *de VIII Syn. Gener.* Vide et recentiores theologorum proceres.

De Confirmatione, egerunt S. Cyrillus Jerosol. *Mystagog. de Chrismate,* S. Isidorus l. 2 *de offic. Ecclesiast.* Hugo a S. Victore, tr. *de Confirmatione,* card. Orsi *de Chrismate confirmatorio,* ac supra citati.

§ IV.

De Eucharistia.

A Q. 73 ad 83.

Nil pio animarum affectui dulcius, at simul nil caenosis Satanae ministris infensius eo Sacramento, quod a debita gratiarum actione erga beneficentissimum ejus munus, graeco vocabulo *Eucharistia,* et aliis quoque nominibus, ut ex a. 4, q. 73 apparet, appellatur, quodque a novis haereticis, ut Maldonatus adnotat, tantummodo coena vocatur. Institutionem Eucharistiae in ultima coena, asserit Angelicus a. 5, atque hac occasione, haud silenda ea controversia est, qua Marcion, Marcus Antonius de Dominis, Grotius, et e Catholicis Bernardus Lamy, Tournemine, Calmet, Parutich, et alii, Christum ultimo vitae anno, judaico more, pascha celebrasse, sunt inficiati. Haec opinio *nimis audax* vocatur a Benedicto XIV *de festis Domini Nostri Jesu Christi,* Vide S. Ephiphan.

Haer. 42, Photii *Biblioth.* Cod. 116, Tillemont, P. Manduit, P. Honoratum a S. Maria T. II *Animad.*, Graveson *de annis et mysteriis Christi*, Berti, Gazzaniga, Zaccaria Tom. II *Raccolta di Dissert. di Storia Eccl.* De hujus materia mysterii, q. 74 disserit D. Thomas, nonnullosque veterum haereticorum errores retundit; sed insuper indigitanda nobis incumbit Photii, ac Caerularii, Constantinopolis Archipraesulum insana praesumptio, de necessitate panis fermentati ad hoc sacramentum valide conficiendum, quo ex errore aliisque, prius saeculo VI. dein XI. dirum exarsit schisma, Graecam a Latina dividens Ecclesia; consulas porro inter caetera, opusculum D. Thomae *contra errores Graecorum*, ubi et haec controversia dirimitur; nec non Leonem IX in epist. *adversus praesumptiones Michaelis Constantinopolitani Patriarchae*, et Humbertum a Sylva Candida, *contra Graecorum calumnias*, Mabillonium *de azymo, et fermentato*, Lupum *de actis Leonis IX*, Benedictum XIV *de Sacrificio Missae*, etc. Quoad materiam calicis, Calvinus, Melanchton, et alii arbitrati sunt, vini inopiam posse alia vulgari potione suppleri.

Realem conversionem panis, et vini in corpus, ac sanguinem Jesu Christi, ac idcirco transubstantiationem tuetur Angelicus q. 75, 76, 77, atque ingenti opus esset volumine, si omnia quae ab haereticis, protestantibus praesertim in haec sacratissima, ac saluberrima dogmata impacta fuere, congerere vellemus. Missis veterum errorum Gnosticorum deliramentis circa phantasticum Jesu Christi corpus, qui idcirco realem ejus praesentiam ne quidem in Eucharistia fatebantur, Pauliciani saec. VII, Manichaeorum surculi hoc dogma respueruut, multoqne apertius Joannes Scotus Erigena saec. IX, cui Paschasius Radbertus occurrit. Berengarius saecul. XI, pluribus in Conciliis damnatus, Wicleffus saec. XIV. a Constantiensi Concilio plexus, ac ultimo pseudo-Reformatores in Germania saeculo XVI exorti, cujusmodi Carlostadius, Zwinglius, Calvinus, realem Jesu Christi praesentiam obtrectarunt, in quos Concilium Tridentinum, sess. 13. Transubstantiationem vero, praefatus Berengarius, et Wicleffus denegarunt, sicut et Lutherus, qui simul cum praesentia reali, quam admittit (at solum in ipsomet Eucharistiae usu), panis vinique substantiam remanere contendit; quod ab ejus asseclis diversimode exponitur, dum Osiander putat, hanc hypostatice uniri corpori, ac sanguini Jesu Christi, ac ideo eam *assumi* asserit; alii corpus, et sanguinem in pane, et vino, locari ajunt, quod *impanatio* audit, alii

consubstantiationem, seu corporis, ac sanguinis cum pane, et vino commixtionem ponunt, unde versus in eos prodiit: *in, sub, cum, totum fallunt monosyllaba mundum.* Communius autem, hanc unionem substantiarum ignoto fieri modo censent, quam idcirco *sacramentalem* vocitant. Vide prae aliis Bousset. *Histoire des variations* etc.

Porro duplici via haereticos istos, Protestantes praesertim, refellere possumus; discussione videlicet, ac praescriptione. *Discussione* quidem, ex sacris litteris, nempe ubi de Eucharistiae institutione ejusque mysterio est sermo Matth. 16, Marc. 14, Luc. 22, nec non I. Cor. 10, et 11; pariter e constanti traditione, ut apud Nicole *La perpetuitè de la Foi de l'Eglise Catholique, touchant l'Eucharistie,* contra Claudium, et felicius, dein contra eumdem, et alios similis farinae adversarios, apud Arnaldum, et Renaudotium, praefatam fidei perpetuitatem in Ecclesia, omnigena eruditionis, ac solidatis praestantia propugnantes. Liturgiae omnes, quarum primarium exemplar videas in Apoc. c. 5, ubi divini honores certis ritibus tribuuntur Agno; Euchologia, omniaque ut vetustissima monumenta praedictis dogmatibus mirifice cohaerent. Hincque et alia confutationis via in hostes emanat, *praescriptionis* scilicet, qua egregie in omnes haereticos usus fuit Tertullianus, quaque et modo sacramentarios compellare possumus: quando existis a nobis, jam fides nostra obtinebat: ecquis, quando, quomodo, aliquid innovare in Ecclesia nostra potuit? An, nemine reclamante, error obtrudi potuit? Nonne monumenta omnia ejusdem fidei incontaminatam praedicant perennitatem? Nonne a vobis extorribus novitas emersit? vel ipsa fluctuantium opinionum varietate, quae neutiquam cum immobili veritate consistere potest, indubie profertis. Nec officit, quod vocabulum transubstantiationis posterius fuerit invectum; optime enim juvat orthodoxae, ac constanter creditae veritati indicandae; adhibitumque hac de causa fuit an. MCCXV a Concilio Cecum. Lateranensi IV. sicut deinceps a Florentina, ac Tridentina Synodis, qua parte tradere instituunt fidei doctrinam. Probe idcirco advertas, merito damnari in Constitutione *Auctorem Fidei,* prop. 29, videlicet: « Doctrina de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus: secundo, tunc omnem panis, et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, pror-

sus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis, in corpus, et totius substantiae vini, in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur; quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem, notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque ideo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica, *perniciosa, derogans expositioni veritatis Catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.* Et haec damnatio, a Card. Gerdil contra Notas Feller propugnatur, in *Animadversionibus*, Romae MDCCVC.

Quoad formam istius sacramenti, quidam, ut admonet et D. Thomas q. 78, a 1. Christum, non expressa verborum forma, sed occulta benedictione consecrasse dixerunt, quod falsum rejicitur; alii vero, ut Graeci, et e Latinis P. Toutteus, et Le Brun, sola Jesu Christi verba ad plenam consecrationem minime sufficere putarunt, sed necessariam esse invocationem, quam Graeci post, et Latini ante consecrationem pronutiant. Hos premit Card. Orsi in dissert. *De invocatione Spiritus Sancti in liturgiis Graecorum, et Orientalium* sicut et Bougeant *de forma consecrationis.* Circa ea, quae D. Thomas a. 3 de calicis consecratione habet, dissident Theologi, dum alii omnia verba, alii et quidem communius, tantum ista: *hic est calix Sanguinis mei*, ad veram consecrationem spectare contendunt; dicendum idcirco cum Scoto, Angelicum eo loci, essentiam a substantia consecrationis distinguere voluisse, quatenus prima haec pauca verba, ad essentiam, sive valorem consecrationis pertineant, reliqua ad substantiam, sive ad plenam integritatem.

Usus hujus sacramenti expenditur q. 80, nosque addimus antiquitus etiam parvulis praestitam fuisse communionem, quin tamen hoc necessarium fuerit, ut declarat Tridentinum Concilium sess. 21, cap. 4, et can. 4. Vide Agnellum Honoratum *de communione infantium*, Zornium, *Historia Eucharistiae infantium.* Frequentem Eucharistiae sumptionem, rigidiori praeparationis fuco, improbavit labente saec. XVII Arnaldus in tractatu *de la fréquente Communion*, qui vapulat a Pichon in apposito opere, aliisque. Anno autem MDCCXXXVII Cremae gravis exorta quaestio est, num scilicet jus insit fidelibus communicandi in Missa, ut

asserebat sacerdos Joseph Guerreri; Benedictus XIV an. MDCCXLII peculiare hac de re edidit Breve, *Certiores effecti*, quo Ecclesiae mentem in Concilio Tridentino sess. 22, cap. 6. exponit, et simul hoc pium animarum desiderium laudát; ac ex opposito, contumaces, sacrisque ritibus importunas praetensiones exprobat. An. MDCCLXXIV P. Nanneroni, ficto nomine Leophilus, hoc jus denuo competere scripsit, eique se adjunxit P. Traversari; horum autem aliorumque similia opera proscripta fuere. Nanneroni publice resipuit an. MDCCLXXX. An. MDCCLXC Volpi edidit *Storia della celebre controversia di Crema*, etc. Plura quoque iu diariis ecclesiasticis Romae ejusdem anni, ac in T. IV diarii. Nuper Synodus Pistoriensis eosdem renovavit errores, ut ex prop. 28 damnata in constitutione *Auctorem Fidei:* « Propositio Synodi, qua postquam statuit, *Victimae participationem esse partem sacrificio essentialem, subjungit, non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;* quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de Victima participant: et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet, *falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.* Sat est vel ipsum Tridentinum inspicere, sess. 22, cap. 6. ut perversae hae doctrinae diluantur.

Adest et alia disquisitio instituenda circa communionem sub utraque specie, et quidem relate ad art. 12 ejusdem q. 80. Saec. XIV. Petrus Dresdendis, ac Jacobellus Misnensis, et insequenti saec. Joannes Huss, ejusque asseclae, Taboritae, et Calixtini, sicut dein Lutherus, et Calvinus, calicis communionem necessariam esse docuerunt. Contra hos omnes, stat germana fides de veritate, et integritate corporis Jesu Christi sub utraque specie, ac ideo totus sumitur Christus sub quavis specie, immo, et in quavis particula. Porro Ecclesiae disciplina varia ex gravibus causis in communionis dispensatione fuit, ut quivis Ecclesiasticae historiae initiatus novit. Concilium vero Constantiense, sub gemina specie administrari fidelibus prohibuit, pluraque in hanc rem statuit Tridentinum Concilium sess. 21. Adeas Roncaglia, et Bousset.

Superest modo, ut de Missae sacrificio sermo instituatur. Lutherus, familiari Satanae consilio actus, ut ipsemet fatetur,

Missam ceu abominationem abrogandam censuit. Calvinus, et alii id furfuris, veram sacrificii ideam a Missa ablegant, et velut caeremonialem oblationem traducunt. Nimii essemus, si omnia quae scitu jucunda, animaeque utilia circa istiusmodi sacratissimum novae legis sacrificium fari queant, heic vel obiter prosequi mens esset. Ea aliunde accire quisquis facile potest; praestat ergo saltem indicare praecipuos tanti argumenti scriptores: excellunt vero S. Cyrillus Hierosol. *Mystag.* 5. 8. S. Isidorus *de Officiis Eccles.* 1 1 S. Ildefonsus *de Missa*, Remigius Monachus Antisiod. *Expositio Missae*, Petrus Cluniacensis *adversus errores Petri de Bruis*, Hugo a S. Victore, S. Germanus, Berno Ab. Augiensis, Odo, Bellarminus, Garetius, Petrus de Marca, Natalis Alex., Curti, Bossuet, et novissime, summo rerum delectu, Benedictus XIV *de Sacrificio Missae*, et alibi. Adde Liturgicos praestantissimos § 1 relatos. Hanc §. absolvet duplex, feroxque protestantium, ac recentiorum pseudozelatorum de vulgari lingua in Missae celebratione adhibenda, ac elata canonis pronuntiatione praetensio. Jam in §. 1 no nihil hac de re indicavimus, ac damnationem a Pio VI latam in propositionem 33 ex Synodo Pistoriensi attulimus. *Lubet* impraesentiarum aliquid e Concilio Tridentino excribere, ut e provido ejus consilio, ac temperamento, injusta obtrectatorum innovationis libido, prorsus innotescat: ait itaque c. 8: *etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre, et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli petant panem, et non sit qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter intra Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter caetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis, et festis.* Et can. 9: *si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari deberi; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.*

Apud Auctores in calce §. 1 adductos, plura in hanc rem scitu jucunda, et utilia videas, quibus dicacium novatorum repetitae in tot libellis recens editis futilitates, facile

exploduntur. Sane, nonne constat ubique mos religiose retinendi pristinam liturgiam? An variantibus linguis, et haec varie exprimi debet? An cuique provinciae, immo et vico, peculiaris sacra versio aptanda erit? Quid porro de primigeniae dignitatis, ac integritatis jactura, non pertimescendum?

In toties allata constitutione *Auctorem Fidei*, censura etiam infligitur propositioni 30 ex Synodo Pistoriensi, circa applicationem fructus sacrificii, necnon prop. 31, ac 32. quibus unicum tantum altare in unoquoque Templo convenire, illudque reliquiis, floribusque haud ornandum, asseritur.

§ V.

De Poenitentia.

A Q. 84 ad 90, et a Q. 1 Suppl. ad 28.

Circa a. 1, q. 86. notandi veniunt Montanistae, seu Cataphryges, aut Pepuziani, qui nonnulla peccata irremissibilia esse effutiebant; ad quorum iniqua castra deflexit et magnus olim Ecclesiae athleta, Tertullianus: ut liquet ex ejus l. *de Pudicitia*, et aliis. Novatiani prius lapsum in fide, dein omnia peccata post baptismum patrata, ab Ecclesia remitti posse inficiabantur. E Socinianis vero nonnulli, procrastinantibus usque ad vitae exitum poenitentiam, hanc iis inutilem esse contendunt. Quoad illud Matth. 12. 31. ubi irremissibilis dicitur blasphemia in Spiritum Sanctum, vel cum Augustino ea accipi potest pro finali impoenitentia, vel cum S. Thoma vero dicere licet, eam non de facili remissibilem; et firmiter orthodoxa stat veritas, de cujusvis remissione peccati per poenitentiam, ut ex eodem Matth. 18. 18, Jo. 20 liquet, dum ullo absque limite, ligandi, solvendique potestas Apostolis committitur; et Patres, Concilia, ac praxis perennis hoc adstruunt.

Longe major disserendi nobis subest occasiò, quoad tres poenitentiae partes primarias, contritionem, confessionem, ac satisfactionem, quas Tridentinum aperte declarat contra nefarium earum osorem Lutherum sess. 14. cap, 3. et can, 4, quo ait: *si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti Poenitentiae, videlicet contri-*

tionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit. De contritione, ac attritione, est sermo in Supplementi primis quinque quaestionibus, illudque certo tenendum, quod D. Thomas q. 1, a. 2, et 3 asserit, nempe contritionem ex intensa charitate cum voto confessionis, perfecte peccata delere, et ab omni culpa absolvere; ut definiit Tridentinum praedicta sess. 14, c. 4. Pariter, perfectam contritionem haud requiri ad sacramenti Poenitentiae fructum percipiendum, sed attritionem sufficere, quae *quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eam ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam, disponit.* Ibidem in Tridentino, contra ac nonnulli Scholasticorum etiam pietate, doctrinaque pollentium antea arbitrabantur, utque recentius insinuare studuit Episcopus Castoriensis in opere *Amor poenitens*, quo contritionis necessitati pro poenitentia favet. Gravis porro postremis hisce saeculis digladiatio Theologos divisit, circa attritionem, cujus vocabulum in Theologiam invectum asserit saec. XIII, Benedictus XIV *de Syn. Dioec.* Ea definitur a Tridentino Concilio: *animi dolor, et detestatio peccati commissi, vel ex turpitudinis ejusdem peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu concepta, peccandique voluntatem excludens, cum spe veniae;* atque hinc diris vovenda Lutheri aliorumque blasphemia de timore servili, quod sit malus, cum potius ejus bonitatem asserat Tridentinum sess. 6, cap. 6, et sess. 14, cap. 4, et can. 5 supra relatis; ac videas T. II, Append. C. III, § 2. In Catholicorum vero Scholis inquiritur, num attritio servilis ex solo metu gehennae, sufficiat ad sacramentum poenitentiae, ullo absque initiali amore Dei, sicut e Praedicatorum Ordine, Victoria, Soto, et Canus; e Jesuitis Suarez, Vasquez, ac alii passim tradidere, immo et quidam contrariam sententiam velut Tridentino adversam, ac censorio stigmate dignam existimarunt, quod prorsus absonum ex Benedicto XIV, de *Syn. Dioec.* L. 7. c. 13. dignoscitur, utque summi ostenderunt Theologi, ex Augustiniana, Thomistica, aliisque Scholis. Atque immensa propemodum scripta hinc inde prodiere, nemine fasces adversario submittente. Anno autem MDCLXVII. ab Alexandro VII vetitum fuit, censuris, injuriis, aut contumeliis alterutram lacessere sen-

…entiam, sub poena excommunicationis latae sententiae, et reservatae, donec aliquid a Sancta Sede fuerit definitum. In Constitutione *Auctorem Fidei*, damnatur propositio 36. dominantem charitatem exigens, ut fideles ad sacramenta admittantur, subdens *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles.*

Quoad alteram sacramenti Poenitentiae partem, de quo in q. 6. scilicet confessionem, prout secreto peragitur, unde et auricularis nuncupatur, a quibusdam veteribus erraticis, sed acrius a Wicleffo, pro contritis, Luthero, et Calvino generatim, velut non a Christo instituta, nec necessaria asseritur, sicut nuper Eybel an. MDCCLXXXII, eumdem errorem restituere studuit, in opere, *quid continent* monumenta antiquitatis *de auriculari confessione.* Illis Tridentinum sess. 14; huic vero occurrit Pius VII. in egregiis litteris, quibus praefatum librum proscribit. Vide Aliprandi, *Osservazioni teologiche;* Muzzarelli, inter Opuscula *il buon uso della Logica;* Castrodardo, *della Confessione sagramentale auricolare;* Barbieri, *Confutazione dell' opuscolo d'Eybel*, et alios.

Q. 7. D. Thomas de ministro Confessionis inquirit, ac nuperis praesertim annis, mensura scandali a Novatoribus impleta fuit, asserendo absolutionum validitatem, vi solius ordinis sacerdotalis, ac insuper nullius roboris esse casuum reservationes a Pontifice, aliisque factas, et hoc pacto in re gravissima, ubi agitur de sacramenti validitate, ad quam vel ipsamet moralia principia tutiori via esse incedendum edocet, sacrilego ausu, ingentique animarum periculo, desipiunt. Vide Tridentinum Concilium sess. 14, cap. 6, et 7. et can. II, ubi Catholica doctrina explicatur, ac Protestantium, recentiorumque errores conteruntur; hos vero directius in damnatione hujus furfuris librorum, ac prop. 37, et 44, 45. Synodi Pistoriensis in Constutione Pii VI. Consule Cristianopoli *della nullità delle assoluzioni de' casi riservati*, contra Can. Litta, an. MDCCLXXXV, Bolgeni contra Siccardi MDCCIXC, etc.

A q. 12 ad 15, de satisfactione peragitur, quae est *medicina curans peccata praeterita, et praeservans a futuris; et secundum hoc . . . respectu culpae praeteritae, quam recompensando curat, dicitur quod satisfactio est illatae injuriae compensatio;* q. 12, a. 3. Protestantes ut in baptismo, ita et poenitentia omne prorsus debitum nobis a Deo condonari praetendunt; at Concilium Tridentinum id reprobavit, videlicet Catholice sentiendum est, per Poenitentiae sacramentum remitti quidem culpam, ac poenam aeternam,

sed aliquid temporaliter luendum superesse; unde Tridentinum sess. 14, cap. 8 decernit: *debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere.* Neminem latet summum Ecclesiae studium, in coercendis peccatoribus, etiam gravissimae poenitentiae publicae, canones stabiliendo, sive ante, sive post acceptum absolutionis beneficium. Vide q. 28. S. Carolus Borromaeus, veteres canones poenitentiales pro variis criminum speciebus in celebri sua Instructione collegit, ut inde Confessarii opportunas, et praesenti frigescentis fidelium charitatis statui aptabiles satisfactiones eruerent. E Synodo Pistoriensi, damnatur prop. 34. qua in *ordine* veteris poenitentiae canonicae, *totam agnoscit dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adjectae sunt.* Censura quoque affigitur ejus propositio 38, qua idipsum repetit, ac insuper innuit, praesentes poenitentias imponi solitas, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus in ipsomet sacramento percipiendo admissis.

Ex eadem Synodo proscribuntur propositiones quaedam, doctrinam catholicam de potestate clavium a D. Thoma traditam a q. 17. ad 28. laedentes, quibus veterum, recentiorumque in censuras, et indulgentias impactae obtrectationes renovantur; sic cum Luthero effectus excommunicationis nonnisi exterior agnoscitur in propositione 46; et sententiae dictae *de facto*, tantum ut seriae comminationes traducuntur, propositione 47; inutilis, ac vana repraesentatur formula absolvendi generatim a censuris, propositione 48; damnantur ut nullae, et invalidae suspensiones ex informata conscientia, propositione 49; et hac potestate, nempe suspensionis, ex informata conscientia haud soli Episcopo fas esse uti, dicitur propositione 50. In istiusmodi recentiorum Novatorum errata, consule Zaccaria, *Le storte idee raddrizzate,* MDCCVIC; Capellari Coenobitam nostrum, *il trionfo della S. Sede, e della Chiesa,* MDCCIC. Quoad indulgentias, in propositione 40. ea nil aliud esse perhibetur, *quam remissio partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti*; quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam; item propositio 41. falsam asserit applicationem thesauri meritorum Christi, et Sanctorum, in indulgentia; et propositio 42. multo *luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec applicatio*

transferri volita sit in defunctos; demum propositio 43 in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc. invehitur; quae omnia in Luthero, aliisque, damnata a Leone X. in Bulla *Exurge*, et in Concilio Tridentino sess. 28, etc. acri, et impudentissimo stylo postliminio revocantur, speciatim in *Trattato storico-dogmatico sulle indulgenze*, cui strenue occurrit Reverendissimus P. Fumè, nostrae Congregationis Abbas Generalis, in opere: *difesa delle dottrine del Concilio di Trento sulle indulgenze*, MDCCLXXXIX; contra hujuscemodi libellos pridem frequentes, videas Viglieno, P. Cecire, Brignole, etc.

Catalogum modo instituere praestat, selectiorum de poenitentia scriptorum. Praeter D. Thomam in locis antea citatis, S. Jo. Chrys. *de compunctione cordis* l. 2, S. Aug. *de peccatorum meritis, et remiss.* ac in humillimis ejus confessionibus, Hugo Victorinus, S. Benedictus Anianensis, Petrus Blessensis, Morinus *Commentarius historicus de Poenitentiae sacramento,* Reatinus *Hist. de S. Confess.* Mansi, et Zaccaria, de confessione a Nectario Constantinopoli sublata, Launojus *de mente Conc. Trid.* Du Pasquier, et alii, de attritione, Sirmondus, et Petavius *de Poenitentia publica,* Faure *de praxi Quesnelliana, in absolutione sacramentali.*

§ VI.

De extrema Unctione.

A Q. 29 ad 33.

Protestantes, e sacramentorum albo Extremam Unctionem expungunt, utpote qui solum baptisma, ac coenam, ut plurimum, sacramentis accensent. Concilium Tridentinum in sessione XIV, immediate post sacramentum Poenitentiae, de illo Extremae Unctionis petractat tribus capitibus, et quatuor canonibus; etenim hoc est Poenitentiae consummativum, reliquias peccati abstergens. De hujus institutione loquitur Angelicus, q. 29, a. 3, eique omnino concordat Tridentinum can. 1: *si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere, et proprie sacramentum a Christo Domino Nostro institutum, et a Beatis Apostolis promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum,*

anathema sit. Hujus materia ex oleo ab Episcopo consecrato asseritur a D. Thoma, et a Concilio Tridentino. Quoad formam autem, Graeci et Latini deprecativa utuntur, etsi non iisdem verbis; quidam vero alii absoluta, cujusmodi Ambrosiani. Relate ad ministrum, aperte ad Sacerdotes id munus pertinere asserit S. Jac. 5, 14: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes,* etc.; et Tridentinum sess. 14, can. 4: *si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.* Quod si Innocentius I ad Eugubinum Episcopum ait, *oleo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet, in sua, aut suorum necessitate,* quod repetit et Beda in Commentario ad Epistolam Jacobi, dicendum, eo loci agi de hujus sacramenti receptione omnibus concessa, non de administratione.

Olim ante Viaticum sacro oleo ungebantur fideles; *nihilominus,* ut ait Benedictus XIV *de Syn. Dioec.* L. 8, c, 8. *praedicta consuetudo ne priscis quidem temporibus fuit ubique, atque ab omnibus inviolabiliter servata;* ac praesentem consuetudinem plurimis auctoritatibus communit, adeoque minus recte Synodus Pistoriensis asseruit, usque ad saec. XIII, excepto aliquo peculiari casu, extremam unctionem ante Eucharistiam constanti praxi apud omnes Ecclesias administratam fuisse.

Praesto tibi esse queunt, Hugo a S. Victore, Mabillonius, Serarius, Chardon, Jacobus de Sainte-Beuve, etc. qui peculiaribus tractatibus de hoc sacramento scripsere.

§ VII.

De Ordine.

A q. 34 ad 40.

Lutherus etiam Ordinem sacramenti dignitate expoliat; Calvinus vero, latiori tantum sensu hunc admittit, scilicet sola praedicationis, ac sacrorum dispensationis potestate.

Ceu verum sacramentum habetur a Tridentino sess. 23, c. 3. Materia et forma, ad validam hujus sacramenti collationem, juxta aliquos statuitur in instrumentorum traditione, ac respondentibus verbis; juxta alios, sola manuum impositio velut necessaria est, ideoque et ejusdem vocales formulae parem induunt necessitatem; alii demum utramque materiam, ac formam requirunt, qua de re legendus est P. Albertini, Acroasi VII. de sacr. Ord.

Septenariam quoque ordinum distinctionem clare exponit D. Thomas q. 37, a. 2, ac Florentinum Concilium in decreto unionis, et Tridentinum Concilium sess. 22, c. 2. Quoad ordinis institutionem, nullum superest dubium, quin divinae sit originis: et sane in ultima Coena potestas fuit collata Apostolis conficiendi Corpus, et Sanguinem Jesu Christi; Luc. 22, sicut facultas absolvendi iis fuit tradita, Jo. 20. Hoc definiit Tridentinum sess. 23, can. 3.

Sed quaestio enascitur de quibusdam e septem Ordinibus; utrum videlicet sint ex divina, vel apostolica, aut ecclesiastica institutione. Baronius, et Bellarminus, omnes apostolicae originis faciunt, alii de solo Sacerdotio, ac Diaconatu hoc sentiunt, et de reliquis inficiantur. Praestat audire Tridentinum sess. 23, c. 2: *non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, et Acolythi, Exorcistae, Lectoris, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, et a sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.* Pariter disceptatur, an quinque posteriores ordines sint vere Sacramenta. At saltem Subdiaconatus communius in hunc censum refertur.

Nil de Diaconissis addimus, quae ipso Apostolico aevo institutae leguntur. quaeque in Ecclesia Constantinopolitana usque ad saec. XII. perdurarunt: earum siquidem officia externo tantum decori, et ordini, quoad mulieres praesertim, inserviebant, nec vere ordinationis gradu pollebant.

De sacramenti Ordinis Ministro, idest Episcopo, agit D. Thomas. q. 38. Lutherani, ac Calvinistae, sacramentalem ordinationem rejiciunt, vel saltem, denegant eam *jure divino ita esse Episcopali muneri alligatum, ut a presbyteris, exigente praesertim Ecclesiae necessitate, et utilitate,*

exerceri nequeat, ut inquit Jo. Gerhardus. L. 24. c. 3. Qui ita sentiunt, *Presbyteriani*, vel *Puritani* audiunt, qui ab *Episcopalibus* divisi sunt in Anglia; hi nempe etsi Calvinismo infecti, Episcopatum admittunt, et ab ipso ordinandi potestatem derivant, ac proprie Anglicanam Ecclesiam sic nuncupatam efficiunt. Hac vero occasione, examinandae veniunt horumce Anglicanorum ordinationes, utrum videlicet sint validae, nec ne. Sub Maria Regina Catholica, quae regnare caepit an. MDLIII, omnium eorum Episcoporum, aliorumque ordinationes, invalidae declaratae fuere, et resipiscentes iterato consecrati sunt. At paulo post, sub Elisabetha Regina, ad pristinos errores Anglicanis redeuntibus, plures e Catholicis in Anglicanas ordinationes calamum strinxerunt, quos inter, vide: Harding, Sacrobosco, Staplatonum, Smith, P. Le Quien *de nullitate Ord. Angl.* contra Courayer. Renaudotius in t. 4 *Perpetuité de la Foi*, praefatas ordinationes etiam a Graecis, aliisque Orientalibus irritas haberi demonstrat.

Restat ut de Episcopatu nonnihil proferamus, quem jure divino presbyteratui antecellere de fide est. Ariani saec. IV. Episcopos, ac presbyteros idem prorsus esse effutierunt, iis praesertim D. Pauli verbis abutentes, quibus Timotheum hortatur: *noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*, I. Tim. 4. 14. quasi idcirco innuat Apostolus, Timotheum a presbyteris ordinatum fuisse. Verum S. Epiphanius *Haeres.* 75. evincit, *presbyterii* nomine, Episcopos, et presbyteros comprehendi. Luculentissima insuper inibi exponit, quibus praedicta haeresis convellitur, totaque Ecclesiastica traditio etiam Conciliorum decretis roborata, Episcopalem dignitatem presbyterali praestantiorem, ac distinctis muniis insignitam ostendit. Arrianis palmas junxere Wicleffitae, Waldenses, Lutherani, ac Calvinistae rigidi; Presbyteriani, Puritani, vel non Conformistae appellati, ut supra. Hi plurimum sibi favere autumant S. Hieronymum in Epistola ad Evagrium, et ad Oceanum; adeout Blondellus Presbyterianae sectae addictus; *Apologiam* ediderit *pro sententia S. Hieronymi de Episcopis, et presbyteris.* Ast praeterquamquod laudabiliter S. Doctoris verba explicantur a Catholicis, ipsemet Episcopalem praelationem fatetur, Epistola 52. ad Nepotianum, 82. ad Theophylum, in Psal. 45, et in *Catal. Virorum illustr.* ipsos Apostolos Episcopos constituisse affirmat, videlicet Jacobum Jerosolymis, Timotheum Ephesi, Titum Cretae etc. Nuper Politi in sua *juris-*

prudentia Eccles. t. 4. praefatis D. Hieronymi verbis potissimum innixus, jus Episcopale a dioecesano distinguit, ac illi ordinationes, et supremam Ecclesiae jurisdictionem, praeside Romano Pontifice, ac relativa honoris insignia intrinsece competere affirmat; huic vero peculiarium Ecclesiarum, ac dioecesum procurationem, ex primaeva Apostolica commissione, quo dioecesano jure postea minutos fuisse presbyteros, auctos vero Episcopos asserit p. 3, q. 1. Vide et Petavium l. 4 *de Hierarch.* c. 1. pluribus vero id non arridet. Confer Bellarminum, et alios.

De Chorepiscopis, sive ruralibus Episcopis, utrum vere Episcopi fuerint, discrepant Ecclesiasticae Antiquitatis eruditi, ac communiter haec iis denegatur dignitas. Caeterum, ut probe ordinis theoria pateat, consulenda sunt quae ex D. Thoma, aliisque, in Append. T. I. C. I. § 5. ubi de Ecclesia, ac Romano Pontifice congessimus, nec non insuper adeundi sunt, S. Isidorus *de Officiis Ecclesiast.* S. Petrus Damiani *de non reordinandis Simoniacis*, Rabanus Maurus, Hugo a S. Victore, Lupus, Morinus, Natalis Alexander, Chardon, Harduinus, Billuart, Gerbert, Mamacchi, *Orig. Antiq.* ac Benedictus XIV.

§ VIII.

De Matrimonio.

A Q. 41 ad 68.

Concilium Tridentinum *sess.* 24, inquit: *cum Matrimonium in Lege Evangelica, veteribus connubiis per Christi gratiam praestet, merito inter novae Legis sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio, semper docuerunt; adversus quam impii homines hujus saeculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo, praetextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiae Catholicae sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto, et verbo asseruerunt.* Hujusmodi sunt Lutherus, atque Calvinus, non solum a sacramentorum numero Matrimonium

arcentes, sed simultaneam pluralitatem uxorum, sive polygamiam permittentes, prout Lutherus, ac Melancthon Henrico VIII. Regi Angliae, nec non Philippo Landtgravio Hassiae indulsere, ac insuper adulterio, ac malitiosa discessione contractum Matrimonium solvi asserentes. Hos perdamnat Angelicus in q. 42. 65. et 67. Tridentinum vero, eos configit sess. 24. c. 1. 2. 5. 7. Quia vero, ut plurimum, pro dissolubilitate astruenda Scripturae eloquiis se niti gloriantur, praecipue Matth. 5. et 19. ubi de libello repudii ex causa fornicationis agitur, quo argumento et Graeci ut matrimonia hacce de causa solvant, utuntur, haec eripere arma nuper curavit D. Ludovicus Nachi, nostrae Congregationis Abbas Visit. in opere Venetiis edito an. MDCCVIIIC. sub titulo: *dell' indissolubilità del Matrimonio provata dai passi evangelici;* nil enim antiquius, sanctiusque se habere praetexunt Protestantes, quam ipsiusmet S. Scripturae litteram, spreto Ecclesiae magisterio; proindeque, ex ipsamet Scriptura eos devincere satagit. Porro ostendit Auctòr, legem Evangelicam de absoluta indivisibilitate Matrimonii, apud S. Marcum c. 10, a Christo in domo, seorsim ab aliis, traditam fuisse Apostolis, promulgandam scilicet post ejus Mortem, qua indivisibilis ejus conjunctio cum Ecclesia ineunda erat, cujus significandae causa, ad Sacramenti dignitatem evehendum erat Matrimonium saltem consummatum, ut innuit Apostolus loquens de matrimonio Eph. 5. 32: *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Pariter ad novam legem spectare affirmat, quae Lucas, et Paulus absolute de Matrimonii indissolubilitate proferunt, omissa exceptione ob fornicationem, quae in Novo Testamento solum reperitur apud Matth. 5. et 19. quibus locis repudii licentiam, non alia de causa nisi ex fornicatione mulieris a Moyse datam ostendit, videlicet, Matth. 5. Pharisaeorum, Scribarumque pseudo-justitiam pandit, et corripit, et cap. 19. quaestio de permissu, et praecepto Moysis erat, ideoque ad sensum Mosaicae permissionis, Deut. 2, 1, et 3, depravatas eorum laxitates circa repudium, Christus utroque in loco redigit. Plura in istiusmodi explicationem a duobus Theologis objecta fuere, iisque opportunam responsionem ipsum parasse, immo et partim typis mandasse scio, fortasse ex integro vulgaturum, ni otium ei defuerìt. Interim praesenti anno P. Albertini in t. 4. Acroasi 3. *de Matr.* eos insectatur; in antecessum vero, nempe an. MDCCVIIC. P. Gazzaniga in tomo 9. p. 2. suarum *Praelectionum Theologicarum*, ubi de Matrimonio, relata hac interpretatione

subdit: *nihil de hac pronuntiare audeo, quia nova est: mirifice tamen ad confirmandum Ecclesiae dogma de Matrimonii indissolubilitate inservit.* Caeterum omnino nova dicenda non est, siquidem innotuit, ipsam a Josepho Motta *de divortii jure,* adstipulantibus Burgensi, Ribera, Durando, Maldonato, cui addi est Sotus lect. 13. a Marcucci dissert. in Matth. 19. 19. Tarvisii MDCCLII, et a Bergier *in Encycl. Meth. Theol. art. divorce Mariage,* traditam libere, ac fidenter, fuisse, nisi quod in hujus operis Bergierii versione Romae elaborata a primo adversariorum Nachianae explicationis, in praeindicatis articulis objectiones antea in Nachium allatas, etiam in Bergierium exeruit. Doctrina vero Ecclesiae de Matrimonii indissolubilitate, statuitur in Concilio Tridentino sess. 24, an. 5. 6. 7. sicut identidem ex eodem Concilio praesertim nonnulla textui D. Thomae adjecimus, relate ad Matrimoni impedimenta, de quibus Canonistas, ac Moralistas fusius videas, multo magis in praesentiarum, serio Canones et traditionem consulere fas est, ut neotericorum impudens abscindatur praetensio, qua Waldensium, Lutheranorum, Calvinistarum, Marci Antonii de Dominis, Launoji etc, errores postliminio reducere audent, circa auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, et Litta quidem, in utraque simul potestate ecclesiastica, et civili, eam ponit; sed Calvi, Tamburini et alii, cum ipsamet Synodo Pistoriensi, totam civili attribuunt. Pey in opere *l'autorité des deux puissances,* alibi citato, Petrus Deodatus, ac Petrus Philalethes, Ituriaga, P. Como, Zaccaria, et alii, invincibiliter Tridentinos Canones de Ecclesiae potestate in hisce impedimentis constituendis, tutati sunt, ac a Pio VI. haeresis damnatur binae propositiones e Synodo Pistoriensi exceptae, sub a. 59. et 60. Ex eadem Synodo plectitur propositio 58. quae sponsalia, sic dicta, actum mere civilem continere, ac civilium legum praescripto, omnino subjacere asserit.

Videas S. Augustinum *de bono conjugali, de adulterinis conjugiis, et concupiscentia,* et quaest. *de conjugio;* S. Petrum Damiani, *de tempore celebrandi nuptias,* Hug. Victor. Petrum de Marca, Campegium, Chardon, dissert. Calmeti de divortiis, et Nat. Alex. contra Matrimonii osores, Nicolaitas, Marcionitas, Montanistas, etc. Apud hos duumviros de patriarcharum polygamia consulas.

CAPUT TERTIUM

DE VITA AETERNA

§ I.

De praecedentibus futuram resurrectionem.

De ultimo hominis fine relate ad vitam aeternam, ad quam divinitus ordinatur, disserit Angelicus a q. 69. ad finem Supplementi; et quia complementum finis ultimi per resurrectionem perficitur, ideo sub hujus respectu prius de praecedentibus ipsam resurrectionem inquirit, dein de concomitatibus, ultimo de consequentibus, et hoc pacto nos pariter procedemus, addentes in calce aliam § de purgatorio, relate ad quaestiones textui ex Nicolajo adjunctas.

Ad q. 69, a. 2, observamus errorem Graecorum esse, quod animae justae ad visionem beatificam non perveniant, nec perversae infernis deputentur poenis, nisi post judicii universalis diem, contra quos D. Thomas invehitur in Opusculo *contra errores Graecorum* inscripto, atque in Florentino Concilio simul cum Latinis una cum aliis erroribus, hunc quoque ejurarunt. Etiam Jo: XXII a quibusdam hujusce sententiae postulatur. Certo tamen certius est, eum nunquam hoc absolute asseruisse aut definiisse, prout coram Cardinalibus an. MCCXXXIV attestatus est, Theologos, Historicosque passim adeas, Quaestio exorta fuit, utrum animae justorum veteris Testamenti sordium reliquiis expiatae, statim beatifica visione fuerint donatae, nec ne. Affirmant Cadonici, Muratori, etc., denegant communius alii; ajentes eas usque ad liberationem a Jesu Christo factam in sinu Abrahae detentas fuisse, ut innuit Apostolus ad Hebr. c. 9, et 11. Confer praedictam quaestionem a. 4, et Mamachi lib. 2, hac de re, Quoad limbum puerorum qui a. 6 inducitur, vide § 4. Ignem vero corporeum, et poenalem, q. 70 fatetur Angelicus, simulque dicacitatem eorum obtrudit, qui dubium intorquent, quomodo anima a corpore separata ignis

poena affici possit; videlicet divinae omnipotenti justitiae nil arduum. Quidam metaphorice accipere voluerunt ignis vocabulum, in sacris litteris adhibitum pro poena alterius vitae indicanda; at recta interpretandi methodus litteralem sensum amplectitur, ubi nil absurdi sequatur, prout certe in casu nostro haud sequitur. Patuzzi *de futuro impiorum statu*, Rusca *de inferno*.

Mortuorum suffragia, de quibus in q. 71, exprobantur a Protestantibus, et ab Ecclesia Catholica perenni traditione, ac praxi tenentur. Celebris est textus Lib. Machab. 12, 43, et hac fortasse de causa, binos hos libros a Canone praefati acatholici expungunt. Perlegas l. *de cura pro mortuis* D. Aug. et S. Jo. Dam. *Serm. pro defunctis*.

De signis judicium praecedentibus, q. 73, et 74 discutitur. In ea praecipuum erit in Antichristo, qui futurus adumbratur Dan. 7, 24, et indicatur Matth. 24, ac describitur I Thess. 2, et Apoc. 11, ac 13, ubi et Henoch et Eliae praedicationes contra Antichristum notandum. Extat S. Hyppolyti tractatus *de consummatione mundi et Antichristo*, S. Ephrem *in serm. de Antichristo, et consum. saeculi*, S. Aug. l. 20, 21, 22 *de Civ. Dei*, S. Petr. Damiani, Magi *de exustione mundi*, Malvenda, Calmet, etc. Varia a variis de Antichristi adventu, stirpe, facinoribus, etc. hariola leguntur. Neminem latet, quo furore Protestantes imperitae plebi Romanum Pontificem ceu Antichristum delineare studuerint. Bossuet, *Hist. des Variat.* l. 3 Jansenistae Antichristum cito venturum dixere, dum ejus prophetiae assertae praesentis Ecclesiae obscurationi appropriare eos non puduit. Vide Mozzi *sul ritorno degli Ebrei*.

§ II.

De Resurrectione.

A Q. 75 ad 86.

Resurrectionis fidem tantopere in Scripturis assertam, Sadducaei inficiati sunt, quibus facile plurimi aetatis nostrae Sophorum, utroque subscribunt pollice. Naturali metamorphosi nos resurrecturos ait Bonnet in sua Palingenya, de

qua in App. T. I. C. 4, § 4, et P. Albertini *de Deo retributore* Acroasi 7. Millenariorum fabulam, tangit S. Thomas q. 77, a. 1, eamqne Cerinthus saec. I commentus est futuram carnalem beatitudinem in Christi regno Jerosolyma, legalibusque sacrificiis restitutis, astruens post mortuorum resurrectionem mille annis ante judicium universale. S. Papias, S. Irenaeus, S. Justinus, et ali , si hoc errore infecti apparent, hoc minime de fide tenebant, atque apocrypho Cerinthi libro sub Joannis Evangelistae nemine vulgato, aliisque innoxiis causis egregie tribuitur ab eorum editoribus, ac Apologistis; attamen pravum Cerinthi sensum de carnalibus voluptatibus minime admiserunt. Communiter autem Patres reliqui, Ecclesiaeque constans Traditio hoc regnum expungunt. Videas Natalem ab Alex. dissert. *in errorem Cerinthi*, etc; ac passim Patres, et Theologos qui de Resurrectione scripsere. Tertullianum, S. Hippolytum, S. Methodium, S. Hieronymum Tostatum, etc. Circa tempus futurae resurrectionis, variae prostant opiniones, nilque certi asserere quis potest. Vide Cornelium a Lapide, Calmet, ac nuper Apocalypsis interpretationem, de Ecclesiae fastis a Pastorini elicitam, ac Baldum in dissert. super Psal. 4.

§ III.

De consequentibus Resurrectionem.

A Q. 87 ad finem Suppl.

Novam mundi instaurationem, etiam ex quibusdam Sacrarum Litterarum locis nonnulli sibi pollicentur, at nil fides in hoc nobis manifestavit, nisi quod, expleta resurrectione, reddatur unicuique juxta opera sua, proindeque coelum novum, et terra nova, quae in Scripturis memorantur, etsi fortasse ex purgatis igne corporeis substantiis sint renascitura, hoc haud nostra intererit, cum jam ad finem perventi erimus. Caeterum mundi conflagrationem futuram omnes Gentes noverunt, ut e sacris profanisque Auctoribus videre est, hocque maxime cohaeret dogmati resurrectionis futurae, quae utpote homines ab hoc mundo eripiens, quibus gi-

gnendis, conservandisque apprime inservit jam praesentis inutilitas mundi consequitur, et ni dicatur in nihilum esse reversurum, novam induturum formam diverso rerum ordini aptam, asserere pronum est. Ut prac. § diximus, Bonnet futuram mundi innovationem e naturali germinum purgatiori renovatione derivat. Recolas deliramenta Teliamed, etc. in Append, T. I, C. IV, § 4. Vide Calmet in dissert. ***de fine et statu mundi post judicium.***

Quoad poenam damnatorum a q. 97 ad 99, eam aeternam evincunt sacrae paginae, Isajae 66, Matth. 24, II Thess. 1, Apoc. 20. etc., sicut et perennis Ecclesiae fides, pluribus etiam in Conciliis asserta. Damnatorum Apocatastasim seu restitutionem, sive poenarum terminum, docuit Origines, cui adstipulantur Bayle, Spinoza, et hujus furfuris plurimi; Sociniani, et Lockius damnatos aliquando in nihilum redigendos volunt. Hos omnes conterit S. Doctor q. 99.

§ IV.

De Purgatorio.

Ad quaestiones in calce adjectas.

Purgatorii existentiam obtrectarunt Aetiani, ut liquet ex S. Epiphanio ***Haer.*** 75, Waldenses, teste Guidone *de Her. Apostolici;* quos respuit Bernardus ***Serm.*** 66 in Cant: demum Lutherani, ac Calvinistae, contra quos Tridentinum catholicam de Purgatorio fidem propugnat sess. 6, can. 30, sess. 22, cap. 2, can, 3, et peculiari decreto in sess. 25, Quod parvulos sine baptismo decedentes, mirum quanta animi concitatione in opinionem de limbo catholicis in scholis libere permissam, ac in Bellarmino praesertim excandescerint neoterici zelatores non secundum scientiam; praesto adest opus a Gusta elaboratum: ***La difesa del Catechismo del Card. Bellarmino***, Bolgeni: ***Stato de' Bambini morti senza Battesimo*** contra Guadagnini, etc; in Constitutione autem saepius laudata ***Auctorem Fidei***, proscribitur sub num. 26 » Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum, (quem Limbi puerorum nomine

fideles passim designant) in quo animae, decedentium cum sola originali culpa, poena damni citra poenam ignis puniantur; perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam igni removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpae, et poenae inter regnum Dei, et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani, *falsa, temeraria in scholas catholicas injuriosa.*

Sat calamo; utinam et operi sat prosperis avibus, ut certe in votis fuit, licet variis distentus muniis, impenderim. Saltem de me et hoc dixerim quod S. Petrus Damiani O. N. ep. ad Clerum et popolum Mediol. ajebat: *nos enim si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendum libenter accedimus, et retractationis opprobrium non veremur.*

Finis Tomi Tertii.

INDEX

IN

SUMMAM THEOLOGICAM

D. THOMAE

VERONAE
Typis Vicentini et Franchini
MDCCCLXI.

INDEX

Universam Summae Theologicae doctrinam ad locos communes, seu doctrinae Christianae capita alphabeti ordine revocata, continens.

Ex Supplemento.

Ex Supplemento.

*